Lesbox

9

18 -2-

LIBRARY
OF THE
Theological Seminary,
PRINCETON, N. J.

Case, Divi BL2270
Shelf, Section, H99
Book, No.

SCD #3009

Theological Seminary.
1815.
Princeton N. J.

VETERUM PERSARUM ET PARTHORUM ET MEDORUM RELIGIONIS HISTORIA.

Autor est THOMAS HYDE, S.T.D. Linguæ *Hebraicæ* in Universitate *Oxon.* Professor *Regius*, & Linguæ *Arabicæ* Professor *Laudianus.*

EDITIO SECUNDA.

OXONII,
E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO, MDCCLX.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Princeton Theological Seminary Library

https://archive.org/details/veterumpersarume00unse

HISTORIA
RELIGIONIS
VETERUM
PERSARUM,
EORUMQUE
MAGORUM.

Ubi etiam nova ABRAHAMI, & MITHRÆ, & VESTÆ, & MANETIS, &c. Hiſtoria; atque ANGELORUM Officia & Præfecturæ ex Veterum Perſarum Sententiâ.

ITEM,

Perſarum Annus *Antiquiſſimus* tangitur, is ℱ *Gjemſhîd* detegitur, verus ℱ *Yézdegherd* de novo proditur, is ℱ *Melicſhâh* expenditur, is ℱ *Selgjûk* & ℱ *Chorzemſhâh* notatur, & is ☥ *Katâ* & ☥ *Oighûr* explicatur.

ZOROASTRIS VITA;

Ejuſque & aliorum Vaticinia de MESSIAH è Perſarum aliorumque Monumentis eruuntur:

Primitivæ Opiniones de DEO & de Hominum Origine reſerantur:

Originale Orientalis SIBYLLÆ Myſterium recluditur:

Atque Magorum Liber SAD-DER (ZOROASTRIS *Præcepta* ſeu Religionis *Canones* continens,) è Perſico traductus exhibetur.

Dantur VETERUM PERSARUM Scripturæ & Linguæ (ut hæ jam primò *Europæ* producantur & Literato Orbi poſtliminiò reddantur,) Specimina.

De Perſiæ ejuſdemque Linguæ Nominibus; déque hujus Dialectis, & à Modernâ Differentiis, ſtrictim agitur.

ILLUSTRISSIMO

ET

HONORATISSIMO VIRO,

JOHANNI

DOMINO

SOMMERS,

BARONI

DE

EVESHAM,

HUNC LIBELLUM

HUMILLIME

D.D.C.Q. AUTOR.

ILLUSTRISSIME

DOMINE,

CUM *Religionis Veterum Perſarum* Notitiam à multis deſiderari perſpicerem, eámque à noſtratium Nemine ſat fuſè & ſat accuratè tractatam fuiſſe animadverterem, ego quidem, feliciori Fato, aliquot ipſorum veteres Libros (ſeu potiùs Κειμήλια) nactus, *Perſicâ Linguâ* etiam non deſtitutus, illud in me penſum ſuſcipere non dubitavi, ut pleniorem ejuſdem Hiſtoriam concinnare aggrederer, nec deſiſterem à pertexendo tunc exorſam Telam eámque perſequendo, donec tandem, aliquot Annorum Labore, eandem ad umbilicum perduxeram: ratus id Operis Doctis & Curioſis haud ingratum fore, ſi in tam deſideratam Antiquitatis Partem inquirendo, hujus Rei Veritas, quæ in Tenebris, maximâ ex Parte, hactenus delituerat, jam excuteretur, & omnibus liquidò conſtare poſſet. Ut, cùm talis Hiſtoria Luce donaretur publicâ, dicta Gens à *Græcorum* & *Mohammedanorum* Offuciis ac Calumniis liberata & vindicata eſſet; eámque ſemper ab *ipſo Diluvio* veri Dei Cultum tenuiſſe, & fermè ab illis Temporibus (quod à paucis ſperatum aut creditum,)

creditum,) rectè conſtitutam Eccleſiam cum *benè regulatâ Hierarchiâ* habuiſſe compareret. Adeò ut, quamvis primitivam ſuam puriorem Religionem interpolando, multas, Proceſſu Temporis, admiſcuerint Superſtitiones, hâc tamen Ratione refutaretur vulgatus ille Error Virorum Doctorum ſuperioris Seculi, *iſtum Populum fuiſſe merè idololatricum, ejúſque Linguam & Literas prorſus exoleviſſe, & ſcripta Monumenta intercidiſſe ac periiſſe, & de his omnibus, quaſi de Rebus internortuis, conclamatum fuiſſe* credentium. Cùm è contra, dicta eorum Eccleſia (ex quo humanum Genus à *Noacho* reparatum,) Deicola ſemper extiterit ; & præſertim in *Medicæ* Monarchiæ Initio maximè florens, triplici *Sacerdotum* & *Præſulum* atque *Archipræſulum* Ordine, ab illis Temporibus uſque ad *Yezdegherd ultimum*, (circa milleſimum abhinc Annum) tanquam Sol in ſuâ Abſide, fulſerit, ſuæ Religionis authenticos Libros, ut vivas & perennantes Tabulas, ſummâ Curâ conſervans. Eáque ſanè hactenùs (quamvis minùs florens,) eſt ſuorum Rituum tenaciſſima, & ad hunc uſque diem vigilantiſſima in Cuſtodiâ ſui *Prophetæ* Codicum, in quibus (præter alia Curioſa,) latere creduntur *de Meſſiah Prophetiæ* plures quàm quas hactenus novimus ; cùm *Vetus Teſtamentum* non fuerit ei ignotum, & is (quamvis *Pſeudopropheta*) peculiaribus quibuſdam Revelationibus adjutus videatur. Et hinc factum eſt, ut poſt *Chriſtum* Hæretici hoc ſubolentes, prætenderint ſe habuiſſe *Zoroaſtris Revelationes de Chriſto* ; genuinorum Codicum Loco, exhibendo nothos & ſpurios, ex ſuo cerebro confictos, quos, ſub ejus Nomine, ignaro Populo talium avido obtrudebant.

Cúmque

EPISTOLA DEDICATORIA.

Cùmque hoc Opus conſcripſeram, & publici juris faciendum decreveram, haud committendum duxi, ut peregrinæ hæ Literæ (tanquam Advenæ ad oras noſtras adpellentes,) relinquerentur *ſolivagæ*, alicujus Magnatis Præſidio & Patrocinio deſtitutæ. Unde ad Illuſtriſſimi Viri Limen deduxi, & præ foribus ſtiti eas humiliter intromitti affectantes. Ubinam enim excipi ſperarent tales Hoſpites, potiùs quàm apud Virum *Honoratiſſimum* pariter ac *Doctiſſimum*, qui adventantibus Favores liberè impertit, eóſque amore proſequitur, & tales Peregrinos, à reliquo Orbe neglectos & repudiatos, ambabus Ulnis amplectitur? Apud quem, inquam, famigeratiſſimus ille *Veterum Perſarum Legiſlator Zerdùſht* (qui *Zoroaſtres)* ſe excipiendum ſperaret, meliùs quàm apud *Legiſperitiſſimum*, Juris & totius politioris Literaturæ conſultiſſimum, qui in Rei publicæ Commodum, Rei ſuæ (i.e. Sanitatis) immemor, proh nimis aſſiduè! ſuum cuique tribuendo allaborare, ſatagere, & incumbere, & à Mane ad Veſperam inſudare ſolebat; dum *Angliæ Cancellaria*, ſub Ipſius (tanquam Æquiſſimi Judicis) Præfecturâ, tot annos verè floruiſſe comperta eſt. Faxit DEUS OPT. MAX. omnium bonorum Dator, ut, Axe ſentiente Onus, non deſit talis Herois Humerus; atque (qualis Ipſe fuit) in poſterum tanto aliquo *Amico* nunquam privetur *Eccleſia*, nec tanto *Patrono* orbetur *Lex*, nec ejuſmodi fido *Conſiliario* deſtituatur Rex Invictiſſimus GUILIELMUS (Belli & Pacis totius *Europæ* ſolus *Arbiter*, Religionis Proteſtantium Stator ἀπὸ μηχανῆς,) quem diu ſoſpitet & conſervet Deus: ut, ipſo ſeriùs in Cœlum redeunte, hæc Regna diu ſub fauſtiſſimo ejus Imperio perennare pergant.

Impoliti

EPISTOLA DEDICATORIA.

Impoliti verò iſtius Operis Autor indignus, qui Beneficiis Tuis ſe ſemper devinctum fuiſſe gratus agnoſcit, (cùm meliora non habeat,) iſtud, qualecunque ſit, Munuſculum ſubmiſſè offert: limatiſſimum interim Judicium Tuum reformidans, Severitatem deprecatus, & Favorem obteſtatus, ut non *Cenſoriâ Virgulâ*, ſed *Amicâ Manu* illud tractare velis; non ejuſdem Nævos nimis acriter perſtringendo, ſed potiùs Paroramata pertranſeundo, Defectus excuſando, & (pro innatâ Benignitate) Erroribus condonando. Ut, ex tali Tuo Exemplo, alii, qui ad alienos Labores carpendum atque ſugillandum proniores, noſtris Conatibus favere, hiantes Rimas implere, & Errata tegere diſcant.

Et is interim apud Supremum omnium JUDICEM contendere non deſinet, ut IPSE, pro infinitâ ſuâ Clementiâ, longam Tibi Vitam largiri velit, eámque ad extremam uſque Senectutem prorogare dignetur. Quod ex Animo ſemper vovebit,

Illuſtriſſimi Nominis Tui

Cultor devotiſſimus

THOMAS HYDE.

AD LECTOREM

PRÆFATIO.

PRomiſſorum Fidem ut tandem liberare poſſim, en Religionis *Veterum Perſarum* Hiſtoriam! in quâ quidem contexendâ ſecutus ſum Methodum naturalem, eam ab Origine Gentis inchoando, eandemque continuando ad hunc uſque diem, quo ab iis in eâdem Fide perſeveratur. Inter ea quæ ab *Europæis* de hoc ſubjecto dicuntur, multa quidem ſunt vera, & alia quædam admiſcentur falſa, prout Linguæ Perſicæ Beneficio deſtitutis competebat. De eorum itaque Relationibus, (uti etiam ſubinde de earundem Partibus & Citationibus quas dedimus,) aliquando meritò dicatur العهدة على الراوي *Fides ſit penes Autorem*; ut de rebus dubiis & incertis ajunt Orientales.

At quamvis Perſarum, & Medorum, & Parthorum, eadem fuit Religio, ejuſdem tamen Monumenta à *Zoroaſtre* (ſub finem Monarchiæ Medicæ vivente) ſcripto conſignata ſunt *ſolâ Linguâ Perſicâ Veteri*, ut hodiè ex ejus Libris apparet. Hæ Gentes omnes (non obſtante Linguæ Perſicæ & Medo-Parthicæ Diverſitate,) eiſdem utebantur Literis, quæ utriuſque Linguæ ſonis dextrè exprimendis ſunt optimè adaptatæ, utpote quæ ab Initio cum illis Linguis natæ. Talium autem Literarum Uſus (Religionis cauſâ, ut ſuo loco diximus,) tandem exolevit apud *Perſas Mohammedanos*, qui in earum locum *Arabicas*, non tam benè dictarum Linguarum ſonis accommodas, introduxerunt. Utriuſque autem Gentis Leges politicæ fuerunt planè eædem: unde conjunctim memoratum eſt, *Medorum & Perſarum Leges eſſe immutabiles*.

PRÆFATIO.

In hoc igitur Opere tractamus tantùm Religionem *Perſarum Veterum:* non verò *Moderniorum Mohammedanorum*, quorum Religio præcipuè continetur in *Corano*, qui eis eſt *Agendorum & Fugiendorum* Norma; quamvis etiam, cum Tempore, introducta fuerint alia quædam Inſtituta, quæ tamen dicto Libro non ſunt *contraria*, nec in eo *vetita*. Inter quæ eſt ſolennis *Viſitatio Sepulchrorum* aliquot Inſigniorum Sanctorum, quæ (ardentibus Cereis & aſtantibus nocte dieque Vigilibus) cum magnâ Pompâ, & diligenti Cuſtodiâ, in auguſtis Ædificiis ad hoc (ex Piorum Legatione) extructis, & Reditibus donatis, ſervantur. Aliud *Mohammedanorum* eſt Religioſæ ac Voluntariæ Paupertatis Inſtitutum, in quo quivis Religioſus, Deo devotus, *Perſicè in genere* vocatur پارسا *Pârisâ*, *Arabicè* ابدال *Abdâl*, & *exoticâ Voce* قلندر *Kalender*, ſeu *Kalandar*, quaſi dixeris Καλὸν Ανδρα. Vel alias, generaliori Titulo, vulgò *Perſicè* audiunt درویش *Dervîſh*, *Arabicè* فقیر *Fakîr*, i.e. *Pauperes Mendicantes*, Religioſi, qui Eleemoſynas, Religionis Cauſâ, à Populo ſemper petunt. Ex horum Cæremoniis eſt in uno Pede diutina *Gyratio*, talis quæ ab *Europæis* fieri non poteſt. Hi non ſunt *Monachi*, ſed *uxorati Religioſi*, qui Mundo renuntiantes, ſpontaneam Paupertatem ſub religioſo Habitu profitentur; Vagabundi, Mendicantes, atque ſubinde in Eccleſiis pernoctantes. Et *Abdalorum* quivis grande quoddam Cornu ad latus appenſum habet, ad inflandum, & (dum religioſam in Foro Oratiunculam habituri ſunt,) ad convocandum ad ſe Populum. Quinetiam datur religioſum quoddam genus, magis *ſpeciatim* dictum صوفي *Sûphi*, ſeu *Sophi*; idque, vel à صوف *Sûph*, *Lanâ*, quaſi dicantur *Lanigeri*, (quia Religioſi Sericum non induunt,) vel q. d. Σοφόι. Hi ſunt Doctiores, Rebus Theologicis operam dantes, qui Sermonem myſticè velare & involvere ſolent, Res divinas & ſpirituales per Res mundanas adumbrando. Circa Annum *Chriſti* MD, ex horum Ordine & Numero fuit religioſum Habitum geſtans (ut narrat *Gjannabius* Cap. 75,) quidam *Sheich*, dictus شیخ حیدر الصوفي *Sheich Haidar AlSophi*, ſeu *Aſſophi*, quem aliqui dicunt paucis Menſibus regnâſſe. Utcunque tamen fuerit, certiſſimè ad Thronum evectus eſt ejus Filius, ideò dictus شاه اسماعیل صوفي *Shâh Iſmael Sophi:* unde factum eſt ut, apud aliquos, *Perſarum Sophi* audiret *Perſarum Rex*. Hujus Succeſſor fuit illius Filius طهماسپ *Tahmaſp*. Deinde (ſi rectè memini) per biduum in regnum ſucceſſit hujus

hujus tertius Filius حيدر خان *Haidar-Chân*: mox *Tahmaſpis* ſecundus Filius اسماعيل خان *Iſmael-Chân* ejus Nominis II: & tandem primus Filius dictus محمد خدابنده *Mohammed Chodâ-bendâ*, qui fuit luſcioſus: & poſteà ejus Filius عباس *Abbâs*. Et circa annum MDCXXX p. m. regnavit *Abbâſi* Abnepos صفي *Sephi* I. Poſteà *Sephi* II, qui, propter inauſpicatum Coronationis Tempus & Res minùs proſperas, rurſus coronatus eſt, mutato Nomine in *Soleimân*, qui Imperii ſui Anno primo miſit ad *Carolum* II Epiſtolam de Vectigalibus Urbis *Ormûz*. Et hodie regnare dicitur *Hoſein*. Dictus itaque Titulus *Sophi* non fuit (ut aliqui perperam ſentiunt,) omnium ſequentium Regum, ſed ad ſolum *Iſmaelem* I pertinebat. Errorem autem peperit ſoni Vicinitas in Titulo *Sophi* & Nomine *Sephi*, quamvis iſte (ut vides) poſt longum Tempus ſucceſſit, nec fuit ex Religioſorum Ordine, unde tali Titulo gaudere poſſet.

Dictorum *Suphiorum*, ſeu *Sophorum*, Theologia Myſtica continetur in Libro Perſico dicto مثنوي *Méſnavi*; & multi Ritus in alio Libro Arabicè conſcripto, cui Titulus علم تصوف *Ilmi Taſávvuph*, i. e. *Scientia Suphiiſmi*, ſeu *Notitia Sophiſmi*, qui eſt علم الوقوف مع الاداب الشرعية ظاهرا وباطنا *Scientia perſiſtendi in Virtutibus legalibus tam externè quam internè*. Iſte enim Liber agit de Amore divino, & de Virtutibus ac Vitiis, &c. Dictus Liber *Méſnavi* (qui valdè prolixus & copioſus,) totus conſcriptus eſt Carmine Perſico, cujus unum Exemplar olim (cum aliis MSS Orientalibus, jam fortè combuſtis,) vidi in Collegio Sionenſi, cujus Forma erat in *Quarto*, amplo & craſſo, exili Manu ſcripto, ubi quævis Pagina III aut IV Columnas denſè ſcriptas continebat. Pro hoc Libro habemus in *Archivis Bodleianis* peculiare Gloſſarium Perſicum, dictum لغت مثنوي *Logáti Méſnavi*, i. e. *Vocabularium pro Libro Méſnavi*; ut in Oriente Mos eſt *Gloſſaria peculiaria* pro ſingulis melioris Notæ Libris conficere. Alius de dicto Subjecto Liber MS Perſicus Proſaïco-metricus, qui Mole minor & Materiâ brevior, in Bibliothecâ Bodleianâ reperitur, dictus معنوي ومثنوي *Ma'navi & Méſnavi*, i. e. *Senſalis & Repetitionalis*; ſc. brevibus Paragraphis Rei ſenſum ſeu ſignificationem Proſâ exhibens, & deinde ejuſdem aliis Verbis Repetitionem, & uberiorem Explicationem, Carmine continens. Et ſic per totum Librum, in ejuſmodi brevibus

Para-

Paragraphis, معنى *Ma'ni* ſeu *Senſus Materiæ* primò datur Proſâ, & deinde ejuſdem مثنى *Méſni* ſeu *Repetitio*, aliis Verbis, mox ſequitur Carmine expreſſa.

Sed ut ad Penſum de *Abrahamo* & *Veteribus Perſis* redeamus; in eâ, quam dedimus, *Abrahami* Hiſtoriâ, non afferuntur omnia trita & alia Frivola (ut apud *Arabes* quædam ſunt,) quæ de eo dicuntur; ejuſmodi enim multa, eo nomine, omiſimus: ſed potiùs in medium adduximus tantùm præcipua quædam, quæ etiam nova ſunt, non vulgò nota. Et ferè idem dicendum eſt tàm de *Manetis* quàm de aliorum Hiſtoriâ: non enim Lectori obtruſimus omnia quæ peti potuerunt ex Operibus *Auguſtini* & aliorum, ſed potiùs ea quæ ſelectiora ſunt.

Apud *Veteres Perſas*, vera & *antiquiſſima Religio*, quæ primò erat in omnibus Partibus orthodoxa, poſteà, Proceſſu Temporis, interpolata eſt multis Rebus ſuperſtitioſis, (ut ſuo loco dicitur,) quæ potiùs amputendæ eſſent. Cæremoniarum quædam ſanè ut *externa* Signa *internæ* Puritatis habentur, uti eſt *Corporis Lotio*: & ſic *Ungues præſcindere*, eſt *Impuritates naturales abjicere*; cum ejuſmodi aliis. At erga Ignem & Sydera *nimius Reſpectus*, & *fauſtorum ac infauſtorum Dierum Obſervatio*, &c. ſunt *meræ Nugæ*, eæque peccaminoſæ; cùm in *Lege Moſaicâ* omnes ſuperſtitioſæ Rerum & Temporum Obſervationes ſint vetitæ, quia à Timore Dei abducunt, ut, miſſâ in Deo Confidentiâ, homines ſeducantur ad confidendum in ejuſmodi vanis Superſtitionibus.

Veterum Perſarum Propheta *Zerdùſht* ſeu *Zerátuſht* (*Græcis* perperam dictus Ζωροάστρης,) ſcripſit aliquammultos Libros de variis Subjectis, (ut ſuo loco docuimus,) omnes *Linguâ antiquâ*, in pleriſque locis jam obſoletâ, qui manent ſicut Theſauri obſignati, quos nondum rimati ſunt Doctorum Oculi. Iſti Codices omnes, diligenti Cuſtodiâ ad hodiernum diem ſervati, apud illius Doctrinæ Aſſeclas nunc extant: quod tamen fortè ægrè perſuaſum ſit noſtratibus, qui in hiſce Rebus Hoſpites, ne quidem ſomniantes *veteres Perſas* ſemper habuiſſe benè regulatam Eccleſiam quæ ſua Monumenta conſervaret; eámque in Splendore durâſſe uſque ad *Yézdegherd* ultimum, circa M abhinc annis regnantem; & poſtmodùm ab eo Tempore (quamvis minùs ſplendidè) huc uſque continuâſſe.

Dicti *Zoroaſtris* Libri ſunt in noſtro Orbe Europæo ferè peregrini, niſi fortè alicubi lateant ignoti. At eorum aliqui (ne ſupradicta gratis dixiſſe

dixiſſe videar,) penes me in privato Muſæo ſunt, *Theologiam* ſpectantes, qui *antiquis Linguâ & Charactere* exarati, Auro contra chari, quos longo Labore & Pecuniâ ex Oriente redemi. Zoroaſtriana Autographa omnia, inquam, ſcripta ſunt *veteri Linguâ Perſicâ* purâ & immixtâ, utpote quæ tunc (ſine *Arabiſmi* Mixtione) obtinebat in *Choraſanæ* ſeu *Bactriæ* Partibus, ubi erat *Guſhtaſpis* Curia: & quæ ibidem hodiè obtinet. Sicque eâdem Linguâ exſcripta ſunt pleraque Apographa; exceptis quibuſdam pro vulgatiore hodiernorum uſu, quæ aliquando admixtas habent voces *Medicas* & *Arabicas*, ut كتاب *Kitâb*, & ذبي *Nubî*, ſeu ذوي *Nivî*, quæ omnia notant *Librum*; quo nomine, à *Perſis Mohammedanis*, ſeu *Medo-Perſis*, aliquando emphaticè appellatur *AlCoranus*, q. d. τὸ βιβλίον. Optandum eſſet ut omnia *Zoroaſtris* Opera è Magorum Tenebris in noſtram Lucem producerentur, unde proculdubio, multa nova, quæ Europæum Orbem hodiè latent, in Doctorum & Curioſorum Uſum eruerentur. Ideóque, Literarum Patronis (dum Deus Opportunitatem largitur,) Pecuniam in hunc uſum maturè erogare incumbit. Tale Opus planè eſſet aliquo Principe, aut Magnate, dignum: nam ſine neceſſariis Sumptibus nihil poterit præſtari: ad quod tamen haud magnâ Summâ Opus eſſet.

Zoroaſtri quidem (ut ſuis Locis fuſiùs diximus,) ex Converſatione cum *Captivis* in Perſiâ *Judæis*, benè notum fuit *Vetus Teſtamentum*, & multi ex eo Ritus in Perſarum uſum deducti ſunt, uti conſtat, tàm ex ejus *Hiſtoriâ Creationis* & *Igne Sacro* in Templis, & aliis Rebus cum Judaïſmo coïncidentibus, quàm ex eo quòd (referente *Gjannabio*) multa *Davidica* in ſuos Libros inſeruit, & *Prophetias* edidit de *Meſſiah*, in *Veteri Teſtamento* prædicto & ſubobſcurè revelato. Sed prætereà neceſſe erat ipſum clariore & magis peculiari Revelatione fuiſſe obſecundatum, eandémque (ut durabilis eſſet, nec cum Tempore intercideret,) in ſuis Libris ſcriptam reliquiſſe pro Magis ſuis, *per Stellam* ducendis ad *Chriſtum* natum in *Judæâ*, Regione longinquâ; cùm aliàs certè id non noviſſent, nec in Judæam, à longinquo, ex Oriente veniſſent: nam iſti Peregrini hanc Rem meliùs perſpectam habuerunt quàm Incolæ Urbis *Bethlehem*, & Rex, & Judæi omnes, qui ab illo *Magorum Evangelio* condocefacti ſimul & terrefacti fuerunt. Quæ omnia ſuadent & perſuadent *Zoroaſtem*, hac in Parte, verè divinam Revelationem habuiſſe: cùm compertum habeamus, quòd Deus aliquando (quia ipſius Sapientiæ ſic viſum eſt,) falſis

Prophetis

Prophetis Res veras revelare dignatus. Ex hujuſmodi externis Teſtimoniis Biblica Veritas fortaſſis munitior & fortior reddatur. Nam quamvis ſacrorum noſtrorum Bibliorum Autoritas, ſine ullo externo Teſtimonio, ſit per ſe evidens, ipſáque Biblia ſint authenticâ Traditione & diligenti Conſervatione ad nos deducta, nec aliâ Defenſione indigentia; tamen, propter eos qui extrà ſunt, ad corroborandum aliquantulùm juvet, quòd iſta Biblia, aliquibus in Partibus, ex *AlCorano*, & *Ethnicorum Scriptis*, tanquam ex abundanti, aliquas Atteſtationes & Confirmationes acceperint. Et eodem quoque modo, è *Zoroaſtris* Operibus, multò antiquius haberi poterit Teſtimonium, itidem ab extrà petitum, quod melius; ut hujus & futuri Temporis *Atheiſtæ* & *Deiſtæ*, ſeu *Anti-ſcripturarii*, Veritatem Biblicam ab *Inimicis* & *Extraneis* confirmatam & ſuffultam videant. *Zoroaſtris* Prophetias de *Meſſiah*, auditu ſaltem, reſciviſſe videntur *veteres*, poſt *Chriſtum*, *Hæretici*, qui multa ex eo prætendebant, ejúſque *arcanos Libros*, ſeu *Revelationes* de *Chriſto*, ſecum habuiſſe jactitabant. Cùm igitur, tàm ex *Sacro Evangelio*, quàm ex aliis Rerum Circumſtantiis, certum ſit, Perſas *Chriſti* in Carne Adventum ſibi revelatum habuiſſe, eóſque eundem Adventum ex Scriptis *Zoroaſtrianis* prænoviſſe, oporteret nos Chriſtianos in hanc Rem meliùs inquirere, ut dicta ejus Scripta in ipſius verbis legere poſſimus. Tales itaque ejus Libri, hoc ſolo Nomine (præter aliam Curioſitatem,) æſtimandi ſunt Theſauri quovis Pretio redimendi.

Apud *Perſas* autem extat alius Liber, *Zoroaſtrianis* Scriptis antiquior, cui Titulus جاويدان خرد *Gjavidân chràd*, ſeu *Æterna Sapientia*, agens de حكمت عملي *Sapientiâ Practicâ*, ſeu *Philoſophiâ Practicâ*, cujus Autor fuit *Medorum* Rex tantùm non antiquiſſimus هوشنك *Hûſhangh*, occiſus (ut ajunt) Ictu Lapidis; qui in *Arabum* Libris aliquando perperam ſcribitur اوشهنج *Ouſhahàngj*; qui à Noſtrate quodam exponitur *Hermes*. Inter antiquos etiam Perſarum Libros numerandi ſunt بزرجمهر في مسايل النجوم *Buzurgjúmhuri Quæſtiones de Stellis*; & de *Arte Chemicâ* Liber اسطاناس الحكيم *Oſthanis Magi & Philoſophi*, qui *Zoroaſtris* Præceptor. Et ſic ſunt *Iſphendiyâri* & *Ciaxaris Inſtitutiones Aſtronomicæ*, dictæ زيج اسفندیار *Zîgj Iſphendiyâr*, & زيج شهريار *Zîgj Shahriyâr*.

Quoad

Quoad *aliarum Gentium* (ut id obiter moneam,) *veteres Libros*, in alterâ Extremitate Orbis, *Chinenſes* habent valdè antiquos philoſophicos *Cum-fu-çu* ſeu *Confucii*, quos in Bibliothecâ Bodlejanâ poſſidemus, cum aliis, tam Medicis, quàm Hiſtoricis. Ex ejuſmodi veteribus Hiſtoricis *Sinicam Hiſtoriam* contexuit D. *Martinius*. *Indorum Shaſter*, ſeu *Librum Creationis*, habemus in Linguâ *Malabaricâ*, ſine Verſione, ex Dono Doctiſſimi Viri *Thomæ Smith* S. T. D. Ex eo tamen multa extraxit D. *Henricus Lordius* in Deſcriptione *Religionis Baneanorum in Indiâ*. Sed *myſterioſi Indorum* Libri *Poran* Verſionem *Anglicam* olim vidi apud aliquem Mercatorem *Londinenſem* quatuor Tomis in 4to. *Sabiorum* Libri antiqui, (quos Patriarchæ *Seth* fuiſſe prætendunt,) habentur in *Syriâ*, & *Meſopotamiâ*: ſed ſub Pœnâ maximâ exteris non revelandi. Nihilominùs tamen, aſtu eos evolverunt *Mohammedani* & *Judæi*, qui quædam ex eis prodiderunt. *Zamolxis* autem Leges nullibi extant. Is fuit olim *Getarum* in *Thraciâ* & *Samothracum* Legiſlator, ad quem poſtea, ſive Hominem, ſive Genium (dicente *Herodoto*) *Getæ*, ſingulis quinquenniis, aliquem è ſuis legare ſolebant, ut is de eorum Rebus certior fieri poſſet. Hujus Vitam ſcripſiſſe dicitur Doctiſſimus *Carolus Lundius* Profeſſor *Upſalenſis*.

Tempore *Tarquinii Superbi* olim ſupererant, & peculiari Cuſtodiâ conſervabantur, *tunc* vetuſta, *Sibyllina Carmina Latina*. Hæc autem & alia *Ethnicorum* Oracula longè ante *Chriſti* Tempora ſponte conciderunt, ut notat *Strabo*: nam, meliore Luce ſubortâ, & Fraude detectâ, ea omnia ceſſârunt & ſiluerunt. Et, eâdem de cauſâ, ſic etiam hodiè (ut ſpero,) ceſſabunt ab *Obſopæo* & *Patritio* edita illa ΜΑΓΙΚΑ ΛΟΓΙΑ, ſeu ΖΩΡΟΑΣΤΡΟΥ ΛΟΓΙΑ Pſeudoracula, peſſimè conficta Carmine Græco. In his memorantur ΜΟΝΑΣ, & ΔΥΑΣ, & ΤΡΙΑΣ, & deinde ΠΑΤΗΡ, & ΝΟΥΣ, cum ejuſmodi aliis, quæ planè *Chriſtianitatem* & Novitatem olent, uti & faciunt moderna illa, quæ circumferuntur, *Sibyllina Græca*, planè ex S. *Bibliis* extracta & collecta. Cùm itaque genuina *Zoroaſtris Præcepta*, ſeu *Effata*, hactenus ſub *Perſiſmi* Involucro latentia, jam Luce donentur, quid valent dicta illa Spuria? Certè Res, in hac Parte, cenſebitur ita ſe habere, perinde ac haberi ſolet de Re quâvis viliore comparatâ cum pretioſiore: ad quam alludentes Perſæ ſolent dicere, در بازار جوهریان شبه جوي دیارد *In Gemmariorum Foro Gagates ne Granum hordeaceum valet*. En! itaque genuina ejus *Præcepta* (niſi cum aliis loquendo, *Oracula* vocare mavis,) eruta è Magorum Libro صد در SAD-DER, cujus *Autor*, ſeu *Collector*, fuit *Melicſhâhi Filius*, nobis itaque *Melicſhahides* dictus.

At pro ملكشاه *Milicſhâh*, aliud Exemplar, factâ Metatheſi, legit شاه ملكى *Shah-meliki Filius*. Certè dolendum eſt quòd iſte Autor proprium ſuum Nomen à nobis celaverit.

Iſte Liber eſt *Codex Præceptorum* ſeu *Canonum Eccleſiæ Magorum*, è *Zoroaſtris* Operibus collectus: & quicquid ibi reperitur, eſt *illis* æquè authenticum ac *nobis* eſt quidvis in *Noſtræ Eccleſiæ Canonibus*, aut S. *Bibliis* repertum. In eo eſt Bonorum ac Malorum Farrago: ſc. multa valdè bona & pia, & alia valdè ſuperſtitioſa & meræ Nugæ: omnia ſimul (benigne Lector) bona cum malis accipe, & æqui bonique conſule. Uncis incluſa, in *Charactere Romano*, non ſunt in *Textu Perſico*, ſed à nobis adduntur, vel explicationis ergô, vel aliâ de cauſâ. Et quamvis reddiderim Proſâ, omnia in illo Libro (utpote non à *Zoroaſtre*, ſed à moderniore Autore ſcripto,) CC abhinc Annis condebantur viliore carmine Perſico, quale ſolebat eſſe illud Monachorum in *Angliâ*, aut hodiè *les Ballades*. Et quidem ſuis Interpretibus Negotium plus quàm ordinarium faceſſere ſolent tales vulgares Verſificatores; qui dum Metrum & Rythmum proſequuntur, bonum ſenſum aliquando amittunt; & ad complendum dictum Metrum vel Rythmum, ſæpè, ſinè aliâ Neceſſitate, addunt multa ſuperflua verba, quæ plerumque omiſi. Et ut alicubi Pleonaſmis, alibi Defectibus laboratur, omittendo verba ad ſenſum neceſſaria, quia Metro aut Rythmo non favebant. Tales Poetæ etiam ſæpiùs coguntur adhibere frequentiorem vocum Metatheſin & Numerorum Enallagen, miſera malorum Poetarum Confugia! incommodum reddentia ſenſum, qui aliàs eſſet magis rotundus, & minùs interruptus videretur. Ideóque Venia indulgenda eſt Interpreti, dum talia Interpretationem minùs gratam efficiunt: cùm è contrà, elegans & genuina Poëſis omnia reddidiſſet gratiora. Si autem, Quiſquilias excutiendo, tandem invenimus Gemmas, debemus abire contenti: & inſuper Poetæ ignoſcere, quamvis non fuerit in ſuo genere *Coryphæus*; cùm omnia ſatis ad captum indocti Vulgi (pro quo hæc ſcripſit) expreſſerit, idque Carmine, quod eis gratius & jucundius habebatur. Is enim (ut alibi monuimus) magis *Religioſus* quàm *Poeta* fuit: & quantumvis aliarum Rerum rudis, tamen in *Zoroaſtris* Libris peritiſſimus & doctiſſimus.

In iſto *Melicſhahidis* Libro aliquando invenies eadem Præcepta in variis *Portis* ſeu *Capitibus* repetita & inculcata. Neſcio an id ex zelo factum, quaſi digna eſſent quæ repeterentur; vel an aliàs, quia ille Autor, in *Extractum* ſuum ex *Zoroaſtris* Libris faciendo, repererit eadem Præcepta in variis locis repetita, unde *Melicſhahidi* in ſuo Com-

Compendio eadem quoque inculcare visum fuerit. Mihi autem tale quidvis potiùs videtur inter ejus Παροράματα numerandum, & ut ejus Ανακρίσεα habendum. Et sic certè est, quòd in pronuntiando Supplicium contra Peccata, id facit, quasi omnia Peccata essent Reatu æqualia & paria. Nam cum unum tantùm (sive Peccatum sive Supplicium) posset esse omnium maximum, ille statuit ferè quodvis Peccatum esse omnium maximum, & pro eo Supplicium maximum, scil. pro eis ferè omnibus (sive maximis sive minimis) decernit Supplicium æquale, *Gehennam* & Damnationem æternam.

Sinicus Character vocis *Chă* (quem nobis dare omisit *Chinensis* noster,) à D. *Mullero* in Libro de *Chataiâ* p. 41 sic datur 𝍐. Sed cùm ejus Autoritas in hac Parte sit dubia, aut potiùs nulla, inter authentica *Sinica Astronomica Tab. V*, visum est hujus Characteris locum vacuum reliquere, potiùs quàm *incertum* pro *certo* Lectori obtrudere. *Mulleri* enim subleśta Fides, tàm alibi, quàm in eodem loco cernitur; scil. cum non sciret verum Characterem vocis *Fengh*, pro illo substituit Characterem vocis *Fungh*, prorsus diversum, & Significatione contrarium. Ideóque, ex *Chinensis nostri* Autoritate, utrumque in suis Locis dedimus, conferendi Causâ.

Infra in hoc Opere p. 391, ex Libro *Mu'gjizât Pharsi* memoratur, apud Persas olim fuisse X Viros, præ cæteris, in toto Orbe Excellentes, quorum VI fuit *Gjamasp*. Sed quia Curiosis fortè non sit ingratum scire quinam etiam reliqui fuerint, en! (ex eodem Libro in ipsissimis illius Autoris Verbis) *horum Primus fuit Persarum Monarcha* فریدون Phridûn, *totius Orbis Rex, qui universum Mundum Justitiâ & Æquitate reparavit, postquam à* Dahâko *vastatus fuerat.* II. *Secundus fuit* Alexander, *Filius* Darâi, *Filii* Darâi, *Rex maximus & sapientissimus,* Aristotelis *Discipulus, qui* Indos & Chinenses *subjugavit, & obiit XXXII Annos natus.* * III. *Tertius fuit optimus Rex* انوشیروان Anushirravân *Filius* Kobâd, — *qui ob Justitiam adeò inclytus fuit, ut* Mohammed *in* Corano *de se notaverit* انا ولدت في زمان الملک العادل *Ego natus fui Tempore Regis Justissimi,* quo Epitheto iste Rex, sine alio Nomine, fuit notissimus & celeberrimus. *Is fuit tam Justus, ut apud Ostium suum posuerit Cistam pro Grava-*

* Heic notanda sunt quædam Autoris istius Ανισόητα: nam *Alexander* non transivit ultrà *Gangem*, & multò minùs ad *Chinam*, quam nunquam vidit. Nec fuit *Darii Filius*, quamvis Persæ, pro suo Honore, id asserant & credant. *Darius* quidem obtulit Filiam suam *Alexandro* in Uxorem: sed recusavit eam, aliàs is fuisset *Darii* gener.

minum رقاع Schedulis, *& ibidem appenderit Tintinnabulum, ut gravati illud pulsare possent: quod tamen Septennio vix pulsatum fuit,* &c. IV. *Quartus fuit* Behrâm *Filius* Yezdegherd, *vulgò dictus* بهرام گور Behrâm Ghûr, *qui* (præter alias Dotes,) *in jaculando parem non habuit: adeò ut, dum Grex Damarum illum pertransiret, Puellæ quam secum habuit dixerit; Quâ Parte vis ut talem Damam feriam? Puella dixit, Ejus Ungulam ejusdem Auri affige. Unde* Behrâm, *accipiens Balistam, globulo percussit Aurem Damæ; quæ itaque levavit Pedem ut Aurem scaberet. Et tum statim Rex, sagittam jaciens, Ungulam affixit Auri.* V. *Quintus fuit* Rustem *Filius* Zâl, *tantus Heros & Eques ut talis alter Equi dorsum nunquam conscenderit. Hoc ei peculiare fuit, ut si secum habuerit mille Equites, &* [bis] *mille fuerint contra eum, illos bis millenos* Rustem *fuderit. Et, si fortè cum aliquo de Fortitudine contendebat, eundem lanceâ ab Equo dejiciebat.* † VI. *Sextus fuit* Gjamasp, Vezîr, *seu* Consiliarius Regis Gushtasp, *ob* Prophetias, *&* Rem Astronomicam *atque* Astrologicam, celebris, de quo suo Loco dictum est. VII. *Septimus fuit* بزرجمهور Buzurgjúmhur, Vezîr, *seu* Consiliarius dicti Regis *Anushirravân. Is summâ Sapientiâ suâ fuit celeberrimus: &, invento ab* Indis Shahiludio, *ille eis* Nerdiludium *reposuit.* * VIII. *Octavus fuit nomine* باربد Bârbud, *qui erat* مغني Archimusicus *Persici Regis* Cosrav-Pervîz: *eique in illâ Facultate tunc par non fuit in toto Mundo. Ajunt quòd, quando ei erat animus aliquod negotium* Cosroi *offerre, nec daretur Opportunitas, ille tunc suum* باربد Bârbud, *seu* Barbiton, *pulsabat; & quoque Rem Carmine complectens, eidem Carmini* آوازي aliquem Tonum [a Tune] *componebat; & posteà, tale Canticum Instrumento suo ludendo sub auditu* Cosrois, *tum Regi innotuit eum adesse: & hoc modo apud Regem Negotia sua peragebat.* IX. *Nonus fuit* صانع شبديز Factor (quisquis fuerit) τῶ Shabdîz, *qui Equus pulcherrimus, cui plures Facultates peculiares erant: adeò ut,* Cosroës *moriturus jusserit ut in latere Montis* بيستون Pîstûn *fieret Porticus lapideus, in cujus medio collocaretur Figura hujus Equi, & super Dorso ejus sedens* Cosroes, زره Loricâ indutus. *Hujus artificium adeò*

† Hujus & *Alexandri* Statuæ marmoreæ, ut Equitantes (dignæ quæ accuratè delineentur,) hodiè tribus milliaribus ab *Istachr* versus occasum cernuntur in colle inde dicto دقعهٔ رستم *Punctum Rustemi.*

* De eo itaque & de *Anushirravân* fusè diximus in nostro Libro *de Ludis Orientalibus*, edito 1693, 8°.

pul-

pulchrum erat, ut ſint qui dicant eam Figuram fuiſſe Opus Dæmonum, cùm Homines tale quid feciſſe nequiverint. Hujus Statuæ توفيق Congruitas, *ſeu* Concinnitas, *dicitur fuiſſe talis, ut Clavi plane non comparerent: & in Figuræ Sculpturâ, ubi oportet ut ſit nigrum, ibi eſt nigrum; & ubi album, ibi album; & ubi rubrum, ibi eſt rubrum: & hinc eſt quòd Homines dixerint illud Opus non fuiſſe Mortalium, ſed Dæmonum.** X. *Decimus fuit* فرهاد Pherhâd, *qui fecit* قصر شيرين Caſr Shîrîn, ſeu *Palatium pro* Shîrîn Amaſiâ ſuâ: *& is fuit qui conatus eſt aperire dictum Montem* Pîſtûn, *& partem ejus abſcidit. Sunt qui aſſerunt ipſius fuiſſe Artificium,* ſeu *Fabrefactionem,* τῦ Shabdîz: *& quia is fuit* Amaſius τῆς Shîrîn, *igitur fecit Statuam illius tantâ Pulchritudine, ut ſint qui dicant quendam, hanc Statuam videndo, dementatum fuiſſe: ideóque hoc Tempore naſum ejus fregerunt, ne aliquis in poſterum dementaretur.* [Hactenus ex Libro *Mu'gj.*] Sed ego ſanè ſubdubito, annon (in Lib. *Mu'gj.*) *Caſr Shîrîn* ſit mendum, pro eo quod infrà ex *Ali Birgjendio* legitur *Coſrav Shirîn?* & annon id quod dicitur de *Amaſiâ* τῦ *Pherhâd*, potiùs ſpectet ad *Shîrîn*, quæ *Amaſia Coſrois*, qui aperiri juſſit latus montis *Pîſtûn*, quod à *Pherhâd* Mechanico præcipi non potuit. Cùm itaque *Factor Equi Shabdîz* ſit aliquis innominatus, & *Pherhâd* habeatur tàm *Factor Equi Shabdîz* quàm etiam *Statuarum Coſrav & Shîrîn*, hâc, inquam, Ratione (ſi ita ſit,) tum dicti Viri Excellentes erant Numero tantùm *Novem.* Et *Pherhâd* erat Sculptor inſigniſſimus qui parem non habuit.

Ex ſupradictis videmus unde ſit *Barbiton*, ſeu, ut in Gloſſâ meliùs legitur, *Barbutum.* Mittantur ergò nugatoriæ illæ Derivationes quæ apud *Martinium* in *Lexico Philologico* leguntur, ut & fabuloſum illud *Callimachi*, qui in Epigrammate quodam *Barbiti* Inventionem tribuit *Melpomenæ*, Muſarum quartæ, Μελπομένη θνητοῖσι μελίφρονα βάρβιτον εὗρε. Quod autem ſuprà rectè *Perſicè* vocatur باربد *Bârbud*, *Arabes* & *Turcæ*, illud vocabulum uſurpantes, id ſcribunt بربط *Bárbut*, & ſubinde ſonant *Bárbet.* Hoc hodiè apud *Arabes* habetur *Teſtudo quædam vilior VI Chordarum:* fortè tale quod apud nos vulgò dicitur *Bandóra*, quæ eſt *Pandura* tenuior, ſeu minùs craſſa, cui VI aut VII Chordarum ænearum Paria uniſona. D. *Meninſkius Bárbet Italicè* vo-

* Hactenus Liber *Mu'gj.* At, inquit *Ali Birgjendi*, Mons *Pîſtûn* eſt in Regione جبل *Montanâ*, (ſeu, ut Lex. Geogr. dicit, in *Irâc-agjam*, i. e. *Hyrcaniâ* ſeu *Parthiâ*;) & ad ejus cacumen aſcendi nequit. Deinde addit; In Dorſo Montis eſt Spelunca, in quâ eſt fons aquæ: & ibidem ſunt Statuæ خسرو وشيرين *Coſrav & Shîrîn*, ſeu *Coſrois & Dulcibellæ*, ut exponi poſſit, Figurâ humanâ.

cat

cat *Colaſcione*, *Polonicè Kopza*, i. q. *Turcicum* قپوز *Kopûz*, & *Arabicum* عود *Oûd*, & *Perſicum* ششتا *Sheſhtâ*, ſeu, ut *Turcæ* ſonant, چشده *Tchéſhda*. Si rectè memini, in *Bahlulidis* Exemplari *Cantabrigienſi*, *Oud* aliàs Calamo (ut apud *Syros*) depingitur in triquetrâ formâ ut *Cithara*. Adeò incerta eſt tàm Veterum quàm Recentiorum Res muſica. Sed ad Defenſionem properandum eſt: nam, ſecundùm quoſdam, benè faciendi Studium nil juvat, ſi in paucis aliquibus Punctulis ſubinde erretur, quod evitâſſe pluſquam humanum eſt.

Celeberrimus ille *Camûſi* Autor *Phiruzabadius*, pro grandi ſuo Opere Apologiam attexens, in ſuâ Præfatione addit; فالانسان محل النسيان وان اول ناس اول الناس *Homo eſt Locus Oblivionis, cùm ſanè primus Obliviſcens fuit primus Homo.* Cùm itaque humanum ſit obliviſci & errare, humanum quoque eſſe debet errantibus & obliviſcentibus ignoſcere. Doctiſſimus *Shahriſtanius* in Opere ſuo *de Religionibus Orientalium & Opinionibus Philoſophorum* Græcorum, Librum ſuum (candidi Lectoris Judicio ſubmittens) ſic claudit; هذا ما وجدته من مقالات اهل العلم ونقلته علي ما وجدته فمن صادف فيه خللا في النقل فاصلحه اصلح الله عز وجل حاله وسدد اقواله وافعاله *Hoc eſt quod inveni in Scriptis Virorum doctorum, illudque* [ex eis] *tranſtuli ſecundùm id quod inveni. Quicunque in eo offenderit aliquem in Tranſlatione Defectum, eúmque emendaverit, ſanè Deus Opt. Max. ipſius Conditionem emendare, & in illius Dictis & Factis hiantes Rimas explere dignetur.* Quod quidem tàm ipſius Dictum quàm illius Votum, jam meum eſſe volo voveóque. Nos enim non ſumus à communi Mortalium Fato exempti: nam quoad præſens Opus, ſumus ſatis conſcii Imperfectionum ejus, præ eo quod optaveramus: pro quibus itaque Defectibus, benigni Lectoris Veniam & Ignoſcentiam petimus; precantes, ut ſi fortè quædam in eo bona & utilia ſint, ea malis & inutilibus præponderare, & pro eis compenſare cenſeantur.

Sunt autem alîus Generis Lectores & Cenſores, quibus placere nec datur, nec à nobis ſtudetur; qui aliorum quoſvis Lapſus aut Defectus cenſoriâ Virgulâ notando, eoſdem, quantum poſſunt, publicè exponere & propalare ſtudent. Si offendunt aliquam incautam Phraſin,

Phraſin, quæ à currente Calamo fortè exciderit, aut alium aliquem, vel Typographi, vel Autoris, Defectum, inter *Paroramata* numerandum, de eo ſtatim Triumphos agunt, tanquam de repertis aliquibus Theſauris abſconditis, aut reportatis Spoliis. Pro tali Delicto (illis judicibus) nulla eſt Compenſatio: ſi mille utilia & mille Theſauros eis aperueris, non ſatisfacit, ſed talis dictus Defectus his omnibus præponderat. Iſti, ſuæ Sortis immemores, Nodum in Scirpto quærere ſatagunt, & Gloriolam ſibi aucupantur, aliena Opera ſugillando; quoſvis Libros rimantes, non ut aliquid boni inde capiant, ſed ut Mendas carpant. *Orientales populi* credunt ſe habere *Averruncum*, ſeu *Amuletum*, contra maligni Oculi Aſpectum, quem زخم چشم *Záchmi Tcheſhm*, *Ictum*, ſeu *Faſcinum*, *Oculi* vocant *Perſæ*. Utinam & nos haberemus ejuſmodi *Amuletum* contra tales noſtri Laboris Inſpectores, qui dum poſt Salices latent, alios pro libitu vellicare & pungere non dubitant. Contra hujuſmodi Homines (ſumptâ Similitudine ab Apibus,) præcavet, & Sententiam ſuam vibrat *celeberrimus Perſa*;

زنبور درشت وبي مروت را گوي — *Aſperæ & incivili dicas Api,*
باري چو عسل دهي دهي ديش مزن — *Quando Mel non facis, pungere quoque deſinas.*

Iſti itaque amicè monendi ſunt, ut vel à Cenſuris & Dicteriis abſtineant, vel edant ſua: aliàs enim, de eis non erimus multùm ſoliciti. Nam ſolis Bonis & Probis placuiſſe ſufficit. *Vale.*

INDEX

SCULPTURARUM.

I. EX *Gemmarum Sculpturis* varii *Iconiſmi Mithræ*, ſeu *Solis in Tauro*, ſecundùm Mithriacos, cum adjunctis Symbolicis: quales paſſim in Marmoribus Romæ viſuntur. Horum autem tres ex D. *Gronovio* deſumpſimus, & unum ex L. *Auguſtino*. *Ad pag.* 111.

II. *Sol in Tauro*, ſecundum Vulgus in Oriente, ex Nummis *Mogulenſibus*. Item, *Sagittarius Perſicus* genuflexus (311,) ſeu *Darius jaculaturus*, prout in Nummo *Darico* apud D. *Spanhemium* cernitur. Item, (ex veteri Nummo Æneo in Bibl. Bodl.) Caput *Togrulbeghi* (210,) prout *Arabibus* & *Perſis* ſonatur, vel aliàs ſimpliciter *Togrul*, vel *Togril*, Græcis *Tangrolipix*, ſeu *Strangolipes*, Turcis & Tataris *Tongrulbegh*, ſeu potiùs *Dongrulbegh*, vel ſimpliciter *Tongrul*, ſeu *Dongrul*, appellatur, *Falconem* ſignificans: tot Modis pronuntiatur. *Ad pag.* 113.

III. Effigies *Aglibaal* & *Malachbaal*, qui *Phœnicum* & *Palmyrenorum* Deitates, unà cum Sole Ἰάμως, ex D. *Sponio*. Addito etiam *Sole* ſub Formâ *Coni* culto, (qui Μάδ☉ ſeu *ignitum Saxum* dicebatur,) atque ſub Formâ *Diſci*, qui erat *Sol* Longurioni impoſitus. *Ad pag.* 114.

IV. Variæ Sculpturæ *Veſtæ* ex Nummis *Romanis* deſumptæ. *Ad pag.* 143.

V. *Chinenſia Aſtronomica* in amplâ Tabulâ exhibente *Sinica* Nomina ad *Annum Sinico-Tataricum* ſpectantia; cum aliis itidem *Aſtronomicis*, quæ omnia nobis accuratè ſcripta reliquit Amicus noſter D. *Michael Shin Fo-çungh* nativus *Chinenſis*. *Ad pag.* 217.

VI. Antiquus *Rex Perſicus Deum adoratarus*, ſtans coram *Sole & Igne*, cujus *Anima* Nube involuta (*Icunculæ* ſeu *Reguli* Formâ) quaſi ad Cœlum aſcenſura cernitur: ex Numero ejuſmodi veterum Regum qui ſunt in *Mauſoléo Perſepolitano* ad Orientem τῆς Ἰſτάχρ. Quin & apud *Chilmanâr* eſt unus *Rex* (quaſi ad *Deum oraturus*, coram dictis *Emblematibus* ſacris, cum *Animâ* etiam ſupernè avolante,) Genubus innixus, & ſimul applicatis Manibus, ſurſum elevatis, ad Cœlum aſpiciens & anhelans: eum autem non dedimus. *Cyrus Paſargadis:* alii alibi ſepulti. Recentiorum *Regum Mauſoléum* eſt apud *Ardebîl* Urbem ſacram. *Ad pag.* 307.

VII. *Dodo* Avis. Et Officinarum *Ben* (p. 537) tam album quàm rubrum. Item, Ramuſculus Arboris *Cherzehræ* (339) ex D. *Thevenoto*. *Ad pag.* 316.

VIII. Veterum Perſarum ſeu Magorum *Templum Ignis*, exeunte per Acroteria (vulgò *las Cupolas*) Fumo; ubi Ignis in mediano *Sacello*, ſeu *Septo*, immunis ſervatur à Solaribus radiis, quos per Feneſtellas in illum ſplenduiſſe nefas. Ex Autorum Deſcriptionibus. *Ad pag.* 359.

IX. Magorum *Sacerdos* miniſtrans, ſeu Officium Precum ex Libro *Zenda-veſtâ* recitans, τῇ *Súdra* indutus, & *Cingulo quadrinodi* cinctus, *Virgarum* Faſciculum Manu tenens : atqui (ne deformaretur Figura,) relicto Ore detecto, quod inter miniſtrandum velari debuerat. Ex Autorum Deſcriptionibus. *Ad pag.* 375.

X. *Phraates*, ſeu *Phraortes*, Parthorum Rex, qui *Magos* ad Dominum & Salvatorem noſtrum CHRISTUM agnoſcendum & adorandum legavit : unà cum Milite *Parthico*, & Corona *Parthica*. Ex veteribus Nummis. *Ad pag.* 384.

XI. Signi Cœleſtis *Geminorum* (ex noſtrâ Sententiâ) tria paria, ſc. Pecorum *Gemelli vitulini*, Pecudum *Gemelli agnini*, atque *hœdini*, ut utrum horum mavis accipias, & in emendatiorem Globum inſeras. *Ad pag.* 397.

XII. Ex Mythologiâ, ad Rem illuſtrandum, datur (hodiernâ Figurâ veterum Analogiam æmulante) *Perſica* ſeu *Chaldaica Virgo ſpicilega*, à Symbolo vulgò ſynecdochicè nominata *Chaldæis* Σίβυλλα, i. e. *Spica*, *Perſis Súmbula*, *Græcis* Στάχυς, unde corruptum Nomen dederunt *Albumaſaris* Scribæ. *Ad pag.* 399.

XIII. Magorum *Conditoria* duo. Item (338) *Focile Brachii* cum *Focili Arundineo* collatum. *Ad pag.* 415.

XIV. Inſcriptiones *Perſepolitanæ* & *Palmyrenæ* inter ſe & cum variis aliis Linguis collatæ, atque cum *Alphabeto Naturali* in MS. *Arabico* reperto, & cum eo *Magicorum* quod *Scriptura Diaboli* vulgò audit, ex MS. *Perſico*. Ex his novum aliquid ſtatuitur, & omnibus hactenus factis Conjecturis occurritur. *Ad pag.* 547.

XV. Specimen benè exaratæ Scripturæ *Tatarorum Mogulenſium* ſupra Murum *Chinenſem*, qui hodiè *Chinam* regunt. *Ad pag.* 551.

XVI. Specimen Scripturæ *Mendæorum* ſeu *Nabatæorum* qui (veterum *Aſſyriorum* Soboles) *Chaldæam* hodiè incolunt ; *Linguâ & Alphabeto Syriacis*, ſed valdè corruptis, utentes. *Ad pag.* 551.

XVII. Specimen nitidæ Scripturæ *Tatarorum de Boutan*, ſc. tale Diploma quod vocari ſolet *un Paſport*, ſeu *Salviconductûs Literæ*, ſubſcriptæ *Sigillo* atramentario continente Nomen Principis dictorum *Tatarorum*, Literis Majuſculis, quod viſu rarius. *Inter pag.* 551. 552.

XVIII. Specimen ex Initio eleganter ſcripti Libri *Tatarorum ♃ Katâ & ♃ Oighûr*, (vulgò *Chatâ*, ſeu *Chitâ*, & *Jougour*,) qui in Globis noſtris ponuntur *Sinis* proximi, quâ Parte ab *Arctozephyro* flatur. Hujus etiam Principium exhibet Majuſculas horum *Tatarorum* Literas. *Ad pag.* 552.

For the Book-Binder.

When two Sculptures are upon the ſame Plate, divided by a Line of Points, the Book-Binder muſt cut them aſunder, and put them to their reſpective Pages or Places noted at the upper Corners of the Plates.

MONITIO
AD
LECTOREM.

MOX ſequentur omnium *Capitum Contenta* ſeu *Argumenta*, eáque plerumque juſto breviora: ne aliàs, ſingularum Rerum Recapitulatione in nimiam Molem excreſcente & tumeſcente, hoc Modo, ex iſto Libro alius Libellus exurgeret, quod in tantâ Subſcriptionum Deficientiâ erat incommodum. Sed hoc fortè parùm referat, cùm haud multos in *nudis Argumentis* (tamquam in *Limine*) diu immorari, ſed potiùs in *ipſam Domum* ingredi velle, ſperetur.

CAP. I.

Perſarum Diſtinctio in Veteres & Moderniores. Gens modernior an ſimplex, vel ex quibus aliis conflata & compoſita? Perſarum & Medorum Nomen (quia ambo olim ſub eodem Imperio) apud Hiſtoricos ſæpè promiſcuè & indiſtinctè uſurpatum. [Exempla videas tàm apud Briſſonium & alios, quàm apud Rualdum in Animadverſione Latinâ ad Plutarchum in Calce Tomi primi Operum Plutarchi.] *Religionis Perſarum Status triplex. An veteres ab Initio habuerint veri Dei Notitiam, & eandem ſemper retinuerint? An fuerint* Sabaitæ *ſeu* Sabii? *Religionem ſuam, quatenus Dei Unitatem agnoſcit, acceptam referunt* Abrahamo. *Cultus divinus datus ſoli* Deo, *at* Mithræ & Igni *Cultus civilis: contrarium affirmantes falluntur Autores. Sacerdotum eorum ad hoc reſponſum.* Mithra *ab eis nunquam vocatus* Deus, *uti nec* Ignis: *nec neceſſitatum Petitiones eis unquam exhibitæ. Qualia Sacra his fiunt. Judæorum Sententia de Proſtratione, &c. Quales Ritus à Judæis acceperint, aut in quibus cum eis convenerint. Nam* Zoroaſtres *non fuit ignarus Veteris Teſtamenti, nec à Judæorum Converſatione alienus.* Zoroaſtres *in Religione Reformator, & in eâdem Legiſlator, ut ante eum fuit* Poreodekéſhangh, *& poſt eum* Erdavirâph. *Ve-*

terum Perſarum recta in Deum Fides & antiquiſſima Eccleſia (quod de nullâ aliâ [Gente,] *exceptâ Judaïcâ, dici poteſt,) fermè ab ipſo Diluvio, à* Shemo *& primis Patriarchis poſt-diluvianis derivata, huc uſque continuatur. Et, etiamſi* Sabaiſmi *&* Pyroduliæ *(non autem* Pyrolatriæ) *Nugas miſcuerint, ii tamen devoti Cultores Dei ſemper fuerunt; quamvis à Mohammedanis & aliis Calumnias paſſi fuerint. Qualis Color in Veſtibus & Rebus aliis ab eis æſtimatur. Veteres Perſæ valdè pii & boni Homines. Ubi Locorum habitant, & quomodo ab aliis habiti. Quo Tempore Perſarum Imperium diſſolutum fuit & finitum, & Migratio facta in Indiam. Pleraque in hoc Opere ex genuinis eorum Monumentis extracta ſunt, & ſecundum eorum Tenorem dicta.* Zoroaſtris Opera *nondum Europæis perſpecta: ea quantivis Pretii redimenda: qualis Doctrina in Genere ex eis expectanda. Ad* Zoroaſtrianos Libros *ex Oriente comparandum præparatoria biennalis Opera neceſſariis Sumptibus acceleranda, ut poſteà* Zoroaſtrianorum Editio *ſequatur; ne, ex nimiâ Tardatione, talis vel comparandi vel edendi Occaſio prorſus intercidat. Qualis ſit Magiſmus orthodoxus, & qualis hæreticus. Quot ſunt in eo Sectæ, & quot in Chriſtianiſmo, & quot in Mohammediſmo. Quid de his & de illis ſentiendum. Liber SADDER eſt Breviarium, ſeu Compendium, ex* Zoroaſtris *Libris Theologicis, à docto quodam Sacerdote olim in Uſum vulgi extractum.*

CAP. II.

Veteris Religionis Perſicæ Nomen: & quomodo ſuam eſſe eam Abrahami *jactitant. Quâ Occaſione datur nova* Vitæ Abrahami Hiſtoria: *ubi de verâ ejus Religione Diſquiſitio, & Perſicæ Religionis cum eâ Collatio. Perſicæ Religionis Liber à* Zoroaſtre *conſcriptus, vocatur* Sohfi Ibrahim, *i. e.* Codex Abrahami; *quia* Zoroaſtres *Religionem* Abrahami *tradidit Perſis.* Abrahami *per totum Orbem Fama apud Paganos. Quot Gentes ſe ab eo denominârunt, eum ut Patronum ſibi adſciverunt, & ſe illius Religionem habere prætenderunt. Quàm variè & malè apud eos interpretatum fuit ejus Exemplum in offerendo Iſaacum. Nominis* Abrahami *Formulæ diminutivæ apud* Arabes. *Is fuit Sacerdos, atque Propheta, & ab omnibus ſic creditus. Magnus Princeps fuit, & à Perſis aliquando vocatus Rex. Quomodo in authentico Turcarum Catechiſmo, Turcicè conſcripto, docetur quid poſt Mortem reſpondendum ſit de Religione* Abrahami.

Abrahami. *Fabulosum apud* Arabes *quòd* Abraham *extruxerit* Caabam, *&c. Quale fuit* Terachi *Nomen Ethnicum apud Orientales. Ejusdem Nominis Occasione agitur de* Martio *Mense, & de Initio Anni apud veteres: ubi* Chaldaica *quædam Nomina explicantur, novâ Luce ab Oriente derivatâ.* Abrahami *Nativitas, quo Anno.* Abraham *natus in* Cûtha: *vixit Tempore* Nini, *qui* Nimrod, *cujus malè parta haud diu durârunt. Res Chronologica tractatur, fusé.* Nini *Successores.* Belus *fuit* Cûsh, *in Babyloniorum Dialecto dictus* Cûth, *ex Orientalium Sententiâ.* Cûshi & Cushitarum *Sedes, ex* Arabum & Persarum *Historiis. Unus tantùm* Cûsh *in S. Bibliis.* Cûsh *nunquam notat* Æthiopiam: *at cur sic exponatur in Græco; quod fecit, ut alius* Cûsh *à quibusdam excogitetur & supponatur, sed sine fundamine. Locus Biblicus de Egressione* Nimrodi in Assyriam, *exponitur fusé: & quot Urbes is extruxerit. Non* Zoroastres, *sed* Oxyartes *fuit* Bactriæ Rex. *Quale fuit Nomen* Oxyartes: *unde alia quædam Persica Nomina Biblica Lucem fœnerantur. Quamdiu* Abraham *mansit in* Haran. Harani *Fratris* Abrahami *Mors, qualis.* Abrahami *Transitus in* Canaan. Abrahami *Bellum cum* Chedorlaomer *Persarum & vicinarum Gentium Monarchâ. Idololatria Tempore* Eber *inchoata, & eadem stabilita Tempore* Sarugh. *Exponitur quales fuerint* Benè Eber. *An Lingua Hebraïca ab* Eber, *vel ab* Ibri, *prolixé: ubi de* Eberi *Sede & Religione. Multis exponitur & restituitur Locus Biblicus depravatus* Num. xxiv. 24, *de* Eber & *de Navibus* Chittim. Abraham *in Ethnicismo natus: quo modo, & quo Ætatis Anno conversus, ex Orientalium Traditione.* Abrahami *Contentio cum Idololatris: ejúsque Incarceratio per aliquot Annos, ex Textu Talmudis. De Urbe* Ur, *seu* Urchoë, *ubi vixit* Abraham: *& de Cognomine Urbe* Urhoi, *ubi etiam diversatus est* Abraham. *De* Chesed & Chasdæis, *inter quos non fuit* Abraham: *id in S. Bibliis prolepticè dictum. Qualia habuit* Abraham, *apud Persas veteres, Nomina antiquissima. De* Saræ *Nomine Ethnico. De Morte* Abrahami & Saræ.

CAP. III.

Disquiritur quænam qualisque fuerit Veterum Persarum Religio, & quatenus cum eâ Abrahami *olim convenerit, vel hodie conveniat: ubi etiam de Persarum & aliorum Sabaismo.*

CAP.

CAPITUM CONTENTA seu ARGUMENTA.

CAP. IV.

Mithræ apud Perſas Cultum non eſſe Adorationem divinam, non obſtantibus eis quæ Græci & Latini & alii in hujus contrarium dixerunt. Perſarum Sacerdotes id expreſsè negant, affirmantes ſe ſolum Deum adorare. De Mithræ Antro, &c.

CAP. V.

Peculiare Caput (per Modum Digreſſionis) in quo ſtrictim agitur de ſequioribus Sabaitis, ſeu Sabiis, ſc. de Sabaiſmo & Idololatriâ Gentilium Nationum, quæ ſub Influentiis Planetarum formabant Imagines adorandas, unde Ortum habuit Idololatria, uti & à Magnatum Statuis; ut Lectori innoteſcat inter utrumque Sabiorum Genus Differentia. Ubi de ratione Denominationis Dierum Septimanæ.

CAP. VI.

De Perſarum cuſtodiâ Aquæ, ſimul & Ignis, cum variis Obſervationibus.

CAP. VII.

De Veſtâ Romanorum & Græcorum.

CAP. VIII.

De Veſtâ Perſarum, ſeu de Ignis Cuſtodiâ apud Sacerdotes Magos. De antiquis Pyreis ante Zoroaſtrem. Et Manugjahri Regis Oratio pia, &c.

CAP. IX.

Perſarum primitiva Principia duo; unum æternum, alterum creatum; cum utriuſque Nominibus. Hæc Zerduſht vocavit Lucem & Tenebras, intelligendo Deum & Diabolum. Opiniones de Deo. Creatio Mundi in VI Temporibus, cum eorum Nominibus & Deſcriptionibus. Solennis eorundem Obſervatio ſtrictè Perſis injuncta, in Memoriam Operum Dei.

CAP.

CAPITUM CONTENTA seu ARGUMENTA.

CAP. X.

Quid Perſæ credunt de humani Generis Origine, & de Diluvio, & de quibuſdam aliis Rebus antiquis. De Fictitiis Paradiſis terreſtribus. De Moſe & de Salomone. Perſarum Religio in multis convenit cum Judaicâ, &, magnâ ex Parte, ab eâ fuit deſumpta.

CAP. XI.

Nomina & Attributa Dei apud veteres Perſas, Scripturâ veteri Perſo-Medo-Parthicâ.

CAP. XII.

Nomina & Epitheta Angelorum, Scripturâ veteri Perſo-Medo-Parthicâ.

CAP. XIII.

Nomina & Epitheta Diaboli, Scripturâ veteri Perſo-Medo-Parthicâ.

CAP. XIV.

De Veterum Perſarum Anno & Epochis variis.

CAP. XV.

Menſium Ordo antiquiſſimus ab initio Martii, Scripturâ veteri. Menſes Gjelalæi. Perſo-Medici Menſis Dies, cum V Appendicibus Scripturâ recentiore; & rurſus Scripturâ veteri Perſo-Medo-Parthicâ.

CAP. XVI.

Menſes Melikæi Yezdegerdici, (qui jam primò Europam vident,) cum ſuis V Appendicibus.

CAP. XVII.

De Annis & Epochis in genere: & de Anno Perſico in particulari.

CAP.

CAPITUM CONTENTA seu ARGUMENTA.

CAP. XVIII.

De Anno seu Epochâ τῆς Katâ & τῆς Oighûr.

CAP. XIX.

Explicatio Nominum Angelorum singulorum Mensium: ubi de dictorum Angelorum Officiis & Præfecturis. Item de Sabbatis, & præcipuis Magorum Festis, & Diebus solennioribus. De Diebus faustis & infaustis, & quid in singulis agendum aut evitandum. In his omnibus, multi eorum religiosi Ritus & Cæremoniæ explicantur, & veteres Consuetudines illustrantur: ex quibus, qualis fuerit hujus Populi Genius & Indoles eluceſcit. De Festis Appendicum, & Parentalium, &c.

CAP. XX.

Explicatio Nominum reliquorum Angelorum & Dierum Mensis, qui in præcedentibus omittebantur. De Gabriele, & Michaele, &c. Et de Regionum Angelis.

CAP. XXI.

De veterum Persarum Legislatoribus. De Eccleſiæ primitivæ & orthodoxæ Religionis Statu: atque de Hæreticis, & eorum Hæresibus ac Sectis; ubi de Manete, Mazdek, & aliis.

CAP. XXII.

Persarum Opiniones primitivæ (eæque hactenus continuatæ,) de Religionis suæ Principiis, seu Articulis primis, ex Damascio, & Plutarcho, & Shahristanio, atque ab Indo-Persis.

CAP. XXIII.

Vitæ Gushtaspis seu Darii Hystaspis Breviarium.

CAP. XXIV.

Zerdushti seu Zoroastris Vita.

CAP.

CAPITUM CONTENTA seu ARGUMENTA.

CAP. XXV.

Operum Zerduſhti generale Nomen explicatum.

CAP. XXVI.

De Zerduſhti peculiaribus Libris, & de Linguâ ac Literis quibus ſcripti ſunt.

CAP. XXVII.

De Naturâ Ignis, & de generali Ratione Cuſtodiæ ejuſdem, &c. Quo Signo Perſæ ad Sacra convocari ſolent, & quid faciunt in Eccleſiis.

CAP. XXVIII.

De Magorum Sacerdotio & Hierarchiâ, florente olim eorum Eccleſiâ, & quoque hodie.

CAP. XXIX.

De Igne ejuſque Nominibus. De Pyréis ſeu Templis Ignis, & quomodo ſe ibi gerunt Magi. De Improperiis ſeu Nominibus Vituperii quibus Mohammedani (& ante eos alii) iſtum Populum appellant, & per invidiam notant: & de Nominibus quibus, inter ſe, iſte Populus ſuos compellare ſolet.

CAP. XXX.

Ordinum Sacerdotum Nomina & Diſtinctiones: & Sacerdotum Habitus.

CAP. XXXI.

De Perſarum Magis in genere, & quales fuerint ejuſmodi Sapientes: præſertim de Chriſti Magis, à quonam Rege in Palæſtinam legati fuerint, & cur Deus tanto Favore dignatus eſt Perſas præ aliis Gentibus, &c. Prophetiæ de Meſſiah per Zoroaſtrem & Gjamaſpem, &c.

CAPITUM CONTENTA seu ARGUMENTA.

CAP. XXXII.

Ex Orientali Mythologiâ unius Σιβύλλης *Origo, reliquarum Explosio. Apud Chaldæos & Phœnices,* Virginis *Cœlestis Signum Synecdochicè & tectè notari solebat suî Symbolo,* Σιβύλλα *seu* Spicâ, *quo Nomine subinde intelligebatur totus Asterismus. Unde Docti & Sacerdotes, Mythologiæ Cusores, de Cœlesti & Miraculosâ* Virgine *Vaticinatrice, pro Ingenii sui Specimine, mira finxerunt & credulo Vulgo obtrusérunt, ut in cæteris solent facere : adeò ut, tandem Mos esset cuilibet Insanienti* Virgini *se Vaticinatricem prætendere. Quâ etiam Occasione, de Phœnice agitur, atque Zodiacalium Signorum Origo Græcorum Fictionibus antecessisse statuitur. De illis & aliis Astris videri possunt Notæ nostræ ad Ulugh-Beighum Persico-Latinum.*

CAP. XXXIII.

Veterum Persarum Fidei Summa : quæ tamen pleniùs petatur ex subsequente Libro Sad-der. *Quid credant de Deo & ejus Attributis ; quòd sit Omnipotens & Æternus, sine Quantitate & sine Qualitate, &c. De Ponte Judiciali, & de Beatorum & Miserorum Statu.*

CAP. XXXIV.

De Nuptiis : de Baptismo seu Lotione : atque de Sepulturis.

CAP. XXXV.

De Persiæ & Persarum Nominibus : & de Modernâ atque Veteri Linguâ Persicâ, ejúsque Dialectis : sc. de Persiâ, Parthiâ, Mediâ, & de harum Regionum Linguis & Dialectis.

Pro hujus Operis Coronide, eſt *Appendix* continens aliquot Diſſertationes, quarum SYLLABUS heic datur.

I. De *Calbiis*, *Durziis*, ſeu *Durûziis*, *Homeidiis*, *Yezidæis*, &c. Incolis Montis *Libani* & *Gordyææ*, déque eorum Religione & Ritibus deteſtandis. *Pag.* 515.

II. De *Bactriæ* Situ & Nominibus antiquis, tam apud *Græcos*, quàm apud *Orientales*. *pag.* 524.

III. De *Magnete*, an in *Jovis Ammoniaci* Oraculo? *pag.* 526.

IV. De *Medicâ*, ſeu *Pabulo Medico*, ſive *Trifolio Cochleato*, cum ejus Speciebus (quæ apud *Rovillium* ſunt tres,) & Nominibus *Arabicis*, *Syriacis*, *Medicis* ſeu *Perſicis*, & *Turcicis*. *pag.* 527.

V. De Inſulâ *Java*, ejúſque præcipuâ Urbe *Bantan*, vulgò *Bantam*: déque harum Nominibus, tam apud *Græcos*, quàm apud *Orientales*; ubi *Ptolemæus* illuſtratur. *pag.* 528.

VI. Compendium Vitæ Celeberrimi Aſtronomi *Omar Cheiyâm*, Anni *Perſici* Reformatoris. *pag.* 529.

VII. De Anno τῆς *Kata* & τῆς *Oighûr*, i. e. *Sinico & Tatarico*; ubi taxatur quorundam Miſſionariorum Incuria & Ἀναχρίβεια, tam in dicti Anni Initio ſtatuendo, quàm in ejuſdem Formam deſcribendo, in quibus (ut & in quibuſdam aliis Rebus *Orientalibus*) ab eis erratur. *pag.* 531.

VIII. De Plantâ & Radice *Ben*, ſeu *Béhman*, duplici, *Syriacâ* & *Perſicâ*, fuſé. *pag.* 536.

IX. De vera Orientali Herbâ *Ribâs*, fuſé: ubi etiam *Europæorum* Frutex *Ribes*, ſeu *Pſeudo-Ribes*, conſideratur. *pag.* 540.

X. Inſcriptionum *Perſepolitanarum* & *Palmyrenarum* inter ſe & cum aliis Collatio, ſc. cum Sculpturâ *Armenicâ* & *Georgianâ*; & cum *Alphabeto Magico*, & *Alphabeto Naturali*. *p.* 546.
Et, conferendi gratiâ, ſubjiciuntur ſequentia Specimina: ſcilicet Specimen Scripturæ *Mogolo-Tataricæ*. *pag.* 551.
Scriptura Tatarorum de *Boutan*, & Tatarorum *Kytæorum*, & *Nabathæorum* ſeu *Mendæorum*. *pag.* 554.

XI. Ex *Elmacino*, *Arabe Chriſtiano*, Spuria, & aliàs inaudita, quædam de *Zarádußht* ſeu *Zoroaſtre*. *pag.* 558.

XII. Tria Magorum Genera, & Eorum Regulæ ſeu Præcepta, ex H. *Lordio*. *pag.* 560.

XIII. De *Paſargadis*, & de *Artaxerxis Mnemonis* Coronatione ibidem factâ. *pag.* 563.

XIV. *Tavernieri* Relatio de *Gavris*, & in eam Animadverſa. *pag.* 565.

XV. De *Ecbatanis*, tam *Syrorum*, quàm *Medorum*. *pag.* 576.

XVI. Ex *H. Lordio* Notata quædam, & in eum Animadverſa. *pag.* 576.

LECTORI

LECTORI BENEVOLO.

DE Natura & Præſtantia hujus Operis celeberrimi de *Religione Veterum Perſarum*, quidquam dicere ſupervacaneum erit. Quid igitur in hac ſecunda Editione expectandum, paucis accipe.

Interpunctionem, commodius, ut ſperamus, refinximus. Menda quædam leviora, ſed manifeſta, ſuſtulimus. Sententias quaſdam, uncis olim incluſas, ſed Lectionem turbantes, ad imam Paginæ Oram rejecimus. Curas Auctoris ſecundas ſuis Locis inſerendas interpoſuimus. Sed de propriis quidquam addere, vel *Hydianis* detrahere, omnino Religio fuit.

Inter Tabulas Æri inciſas, quas Autor Cl. poſt ſe reliquit, unam *Chinenſis Arithmeticæ* Notas continentem invenimus, & hic adjecimus.

Alteram Regum *Medorum* & *Perſicorum*, ut videntur, Nummos complectentem, Vir Digniſſimus & Ornatiſſimus, *Matt. Duane*, pro ſuo erga has Literas Amore, nobiſcum humaniſſimè communicavit. Quorum vero ſint Regum, & quando, vel ubi cuſi, non eſt Sententiam noſtram interponere. Doctis, ſuum cuique Judicium integrum eſto.

Ne quid denique huic Editioni deeſſet, Alphabetum *Vetus Perſicum*, Auctoris noſtri propria Manu deſcriptum, hic adjunximus.

Reſtat,

Reſtat, ut plurimas maximaſque Gratias agamus Sereniſſimo Regi GEORGIO II. bonarum omnium Literarum Patrono, pro Uſu *Typorum Metallicorum* Veteris Linguæ *Perſicæ*, & *Codicum* quorundum rariſſimorum, tam Antiquâ, quam hodiernâ Linguâ *Perſicâ* conſcriptorum ; ſine quibus hæc Editio minimè ſuſcipi, nedum perfici potuit. Nec minora grati Animi teſtimonia debentur eximiis illuſtribuſque Viris, *Muſæi Britannici* Curatoribus, qui, poſtquam, Optimi ejuſdem Principis Munificentiâ, pretioſa hæc Supellex ex *Bibliothecâ Regiâ* in eorum poſſeſſionem tranſierat, ulteriorem ejus Uſum benignè nobis & perhumaniter indulſerunt [a]. Cúmque doctiſſimus Auctor Lexicon celeberrimum, فرهنگ جهانگيري *Pharangh Gjihânghîri*, ſæpe citat, cujus poſteriorem Partem, dictam خاتمه *Châtima*, ſeu *Appendicem*, nobis deeſſe multum queritur, eamque ex *Indiâ Orientali* quovis pretio conquirendam enixè commendat [b]; ſciendum eſt, hunc ipſum *Appendicem* jam noſtrum factum eſſe, quippe quem, cum ingenti aliorum Codd. MSS. *Perſicorum* Theſauro, Vir Cl. & Linguæ *Perſicæ* ſcientiſſimus, *Jacobus Fraſer*, Mercator, apud ipſos *Indos Orientales*, paucis abhinc annis, magno ære comparaverat : quos deinde univerſos ab ejuſdem Hæredibus, Viri Cl. & Munificentiſſimi, ſupremi *Johannis Radclivii* M. D. Teſtamenti Curatores rede-

a Nimirum, hic eſt ille ipſe egregius *Codd. MSS.* & *Typorum Metallicorum* Apparatus, quem ſibi, conſcribendæ atque imprimendæ hujus *Hiſtoriæ* gratiâ, magno pretio, & multo labore comparavit Auctor eruditiſſimus ; à cujus deinde Hæredibus redemptus eſt à Reginâ Pientiſſimâ ANNA f. m. & in *Bibliothecâ Regiâ* repoſitus ; unde, poſt multos annos, Munere Optimi & Beneficentiſſimi Regis GEORGII II. in *Muſæum Britannicum* eſt tranſlatus. Quin & *Tabulæ Æneæ* (ut id obiter notemus) eædem quoque ſunt, quas ſibi inſculpi fecit, quibuſque uſus eſt ipſe *Hydius* ; quippe quas Academia, cùm jam novam hanc Editionem meditaretur, ab ejus Familiâ coemit.

b Pag. 435.

merunt,

merunt, & *Bibliothecæ Radclivianæ*, pro ſummâ ſuâ erga hanc Academiam Benevolentiâ, dono dederunt. Imò duo deſideratiſſimi hujus *Appendicis* Exemplaria in hâc *Collectione* inveniuntur; unum ipſi Lexico ſubjunctum, alterum ſeorsîm parvulo volumine compactum. Ex quibus omnibus MSS. tam *Fraſerianis*, quam *Hydianis* (ſeu iis qui jam ad *Muſæum Britannicum* pertinent) ſiquæ Variantes Lectiones & Emendationes huc acceſſerint, eas Viro Cl. *Thomæ Hunt* S.T.P. & Linguarum *Orientalium* Profeſſori Doctiſſimo deberi ſcias. Ejus Hortatu hæc Editio ſuſcepta eſt, & Conſiliis ad Finem perducta. Vale.

Ex Aula S^ti^ Albani,
Prid. Cal. *Octob.*
A. D. M.DCCLX.

G. Costard.

ERRATA.

Pag. 7. line 29. *lege* קדה. p. 8. l. 14. *l.* בכריעה. p. 17. l. 28. poſt ור *adde* ואו, quæ vox defuit etiam in primâ Editione. p. 18. l. 2. *l.* ڪسڀڄڏ. p. 24. l. 7. *l.* وظيفة. p. 39. l. 7. pro بون hic & alibi paſſim *l.* بوں: Et ſic pro رون, quod ſtatim ſequitur, *l.* روں. p. 42. l. 1. *l.* وتطاولتں. p. 66. l. 14. *l.* נרגל־־אזר. p. 90. l. 17. *l.* بيدختں. p. 95. ad Calc. pro XVI *l.* XIII. p. 122. l. 23. *l.* وگفتں. p. 127. l. 36. *l.* الفلاحة. p. 164. l. 31. poſt vocem *præcedente*, *adde* hanc notam in margine; Huic conjecturæ favet Exemplar Lexici *Ph. Gj. Fraſerianum*, quod habet كوشيار حكيم; in voce گاهنبارها. p. 191. l. 4. poſt vocem *Sororibus*, *adde* hanc notam in margine; Capite 41. hujus Libri dicuntur پنج دختررا ſeu دختريا *Quinque Puellæ ſeu Virgines*. p. 226. l. 3. *l.* مغولاچين. p. 236. —— 240. l. 1. pro 18 *l.* 19. p. 239. ad Calc. *l. Zevarîn*. p. 251. l. 5. *l.* از آنجا بتدبير ازادگان. p. 265. l. 7. pro ماراسغنں, *l.* ماراسغنں. p. 266. l. 11. *l.* دزديده. p. 268. l. 24. *l.* پدرت. p. 270. ad Calc. *l.* فرشتة. p. 314. l. 17. *l.* مونس. ibid. l. ult. *l.* بن وزشت. p. 316. l. 1. *l.* سديومان. p. 367. l. 12. *l.* ſeu. ibid. l. 27. *l.* دين. p. 381. l. 22. *l.* پادشاه. p. 382. l. 31. *l.* ڪرمعا. ibid. ad Calc. *pro* لحدا *l.* لعدا. p. 383. l. 1. *l.* ايلدين. ibid. l. 3. *l.* حمامنو. ibid. l. 12. *l.* ڪهوا. p. 391. l. 11. *l.* مشهور. p. 423. l. 30. *l.* ڪرمعا. p. 427. l. 8. *l.* شادباخ *Shâdbâch*. p. 560. l. 34. *pro* Herwood *l.* Herbood.

HISTORIA RELIGIONIS VETERUM PERSARUM EORUMQUE MAGORUM, &c.

CAP. I.

Argumentum primi Capitis, in quo (quaſi pro Introductione) præmittuntur generaliora quædam Religionis veterum Perſarum, quorum recta in Deum Fides & antiquiſſima Eccleſia (quod de ullâ aliâ in toto terrarum orbe Eccleſiâ & Gente, exceptâ ſacrâ lineâ Judaicâ, dici & monſtrari nequit,) ab ipſo Diluvio arceſſitur huc uſque continuata. Et quamvis proceſſu temporis, aliquas nugas Sabaiſmi & Pyroduliæ (non autem Pyrolatriæ) miſcuerint, tamen devoti cultores Dei ſemper fuerunt omni ævo ſine interruptione ad hoc uſque tempus. Ea itaque Perſicorum Magorum Eccleſia, à Græcis & Mohammedanis, veteres ejuſdem Ritus ignorantibus, ejúſque religioſos Libros non ſatis intelligentibus, invidioſè & injuſtè Ethniciſmi taxata eſt, quaſi Perſæ aliquid præter Deum divino cultu adoraverint, idve Deum vocaverint, quod nunquam fecerunt, nec hodie faciunt, erga verum Deum Zelotæ maximi.

PERSARUM Religionem & Ritus deſcripturus, ut à Lectore promptius intelligar, præmitto, Perſas diſtinguendos eſſe in *Veteres*, eorúmque Sobolem & ſeros Nepotes, qui antiquam Religionem & Diſciplinam adhuc retinent; & in *Moderniores*; quæ Moderniorum Gens (ut & eorum Lingua) olim ex aliquot aliis conflata eſt, partim ex Alienigenis Saracenis & Tataris, præcipuè verò ex aliquibus Indigenis Parthis & Medis & Veteribus Perſis ad Iſlamiſmum deſciſcentibus, præter Fœminas ex Georgiâ & aliis Regionibus raptim corraſas. Hæc dicimus, totius hodierni Imperii Incolas notando: nam aliàs antiquitùs Perſæ & Medi fuerunt prorſus diſtincti & immixti, niſi quòd Religione & Literis convenirent, & ſub eodem Domino viverent.

Dicti Moderniores ii ſunt qui hodie rerum potiuntur in Perſide, profitentes Mohammedaniſmum, ſeu Religonem ferè eandem cum illâ Turcarum, de quâ *Turcicâ*, diſtinctum aliquem Tractatum non

ita pridem edidimus. Illi autem de quorum Religione & Ritibus heic agitur, ſunt *Vetuſtiſſimi Perſæ*, quorum pura & immixta Soboles, hodie ſuperſtes inter Mohammedanos & alios (aut quaſi ſeorſim) in Perſide & Indiâ vivit, veterem ſuam Religionem & priſcos mores colens, & antiquiſſimos Ritus uſque ad hodiernum diem retinens, cum nullis niſi ſuis libenter edens aut bibens; & inter ſuos, tantùm cum contribulibus nubens; cum alienigenis autem (quantum poteſt) in nullâ re, niſi in Mercaturâ, communicationem habens.

Iſtorum itaque Veterum Perſarum eorúmque Poſterorum Religionem, ab initio repetendo, & ab illius Gentis primordiis arceſſendo & perſcrutando, compertum habemus, nullum eſſe dubium, quin Aborigines Gentis Medicæ & Perſicæ Conditores, fuerint orthodoxi; prout Noachides Shem, à quo oriundi ſunt, ſuam familiam & populares docuit, eóſque cum primævâ ſimplicitate in veri Dei cultu & cognitione primò inſtituit. Nam piè credendum eſt, quòd Elam Perſarum Pater, aut Avus, (Shemi filius moriger) poſt tam ſtupendam à Diluvio liberationem, paternam Religionem retinuerit, & in eâdem firmiter perſtiterit; & tantum erga ſe Divinæ Bonitatis Miraculum recente memoriâ habens, à Patre Shemo acceptam Doctrinam ſalutarem ſuis filiis & nepotibus inſtillaverit, illóſque eâdem probè imbuerit. Ita ſaltem benè initiati fuerunt Medi & Perſæ: nam quia utriuſque Gentis eadem ſemper fuit Religio, & hæc Nomina ſæpè ab Autoribus promiſcuè uſurpentur, de his ambabus Gentibus, ſub ſolo Perſarum Nomine, in ſequentibus dicturi ſumus.

Sed ut hominum corrupta & depravata natura in pejorem partem ſemper vergit & propenſior eſt, & paulatim in deteriora degenerat & prolabitur; ſic & iſti ſuam Religionem, quam primò intemeratam & immixtam ſervaverant, proceſſu temporis deinde corruperunt & multis nugis interpolârunt, Dei notitiam cum plurimis Superſtitionibus tenentes, & lucem cum tenebris commiſcentes; tam bono auri & *pretioſorum lapidum* fundamento ſuperſtruentes *ſtramen & ſtipulam*, quæ *in die diſtinctionis ignem probationis non ferent*. Nam quamvis orthodoxiæ tunc jactum fundamen non fuerit prorſus ſummotum, quin ſemper omni ævo veri Dei notitiam retinuerint; ſequendo tamen *figmenta cordis ſui* & *viſum oculorum*, primæ Religioni orthodoxæ ſuperaddiderunt Sabaiſmum, venerationem quandam (non quidem Divinam, ſed tamen nimiam) tribuendo Stellis & Elementis. Et tandem ſumpto exemplo ab Igne Altaris in Templo Dei, Perſæ etiam didicerunt in ſuis Pyreis Ignem

ſervare

ſervare perennem, quem quamvis non cultu Divino adoraverint, nimis tamen ſuperſtitioſè habuerunt, & hodiè habent.

Veterum itaque Perſarum Religio triplici reſpectu, ſecundùm triplicem ejuſdem ſtatum, conſideranda venit. Primò, quatenùs primitivæ Doctrinæ ſequaces, ſolius Dei veri & æterni cultores fuerint, ejus cognitionem veram & devotum cultum, quem à Protoparentibus Shem & Elam acceperant, immixtum retinentes. 2, Quatenùs cum veri Dei cultu commiſcuerunt Sabaiſmum, (ſeu partem Religionis illorum qui vulgò *Sabii*, ſeu *Zabii* audiunt,) Solem & Planetas (ut diximus) non quidem Divino cultu adorando, ſed tamen nimiam reverentiam eis perſolvendo. Hæc (ut nos vocamus) fuit *Interpolatio Sabaitica prima*. Atqui ad omnem ſui temporis alienum cultum & Sabaiſmum opponendum & profligandum, pro virili allaboravit Abraham. Cùm itaque Perſæ Religionem ſuam orthodoxam, quâ Dei Unitas aſſeritur & agnoſcitur, à Protoparentibus Shem & Elam primò habuerint, eamque ab irreptitiis quibuſdam corruptelis poſtea repurgatam & reformatam, acceptam referant Abrahamo, (nam niſi reformata, Abrahami eſſe non potuit,) fas ſit credere Abrahamum omnes eorum in Religione ſuperfluitates & additiones ſuperſtitioſas ſuſtuliſſe, eaſque nugas dedocuiſſe Perſas: qui tamen, ſi ita fuit, eaſdem poſteà malo relapſu, (quæ *Interpolatio Sabaitica ſecunda,)* rurſus arripuerunt & de novo reſumpſerunt, *redeuntes ut Canis ad vomitum & ut Sus lota ad volutabrium cæni*. At in illis ipſis diebus (quamvis admiſtâ ſuperſtitione,) veri Dei cultores fuerunt, ab omni Iconolatriâ immunes; & poſteà tandem evaſerunt vehementes Iconoclaſtæ, Idololatrica Græcorum Templa vaſtantes; utpote qui putarent Deum, qui totum Mundum implet, inter anguſtos Templi parietes contineri & comprehendi non poſſe. Nulla igitur tunc Templa habebant Perſæ, ut notat Herodotus & alii, ſed ſua Sacra omnia ſub Dio peragebant: nec ullas Imagines aut ſtatuas adorabant, nec quævis Sculptilia, aut χαροποίητα faciebant, aut formabant: excepto quòd tandem declinante vetere Imperio Perſico, ſolius Veneris Statuam, per aliquod tempus, quaſi colendam ſervaverint, Templis & Sacerdotibus ei paſſim aſſignatis, Regis alicujus Perſici juſſu, ad id adducti & coacti, ut ſuo loco docebitur. Hoc autem planè hæreticum fuit, & ab orthodoxo Magiſmo prorſus alienum. Nihilominus tamen Sacerdotes ad hoc aſſignati, juſſis audientes, fuerunt contenti Reditibus, quamvis non crediderint illam eſſe Deam, nec Divinum cultum ei tribuerint; cùm eiſdem tempo-

ribus Perſæ omnes Deum Opt. Maximum verè agnoſcerent & devotè colerent, in quo omnis eorum cultus fuit terminatus, & hodie terminatur. 3, Quatenus ad imitationem Ignis Altaris Hieroſolymitani, Perſæ talem in Arâ Ignem perennem ſervaverint, ut Græci & Romani & alii fecerunt. Hunc quidem Ignem æſtimarunt valdè Sacrum, non autem ut Deum habuerunt; ſed aliàs, orthodoxiam ſuam retinentes, *in ipſis Ignibus celebrarunt Jehovam.* Hoc modo Religione ſuâ planè abundando, prioribus illis Principiis ſuperaddiderunt aliquam Pyroduliæ ſpeciem, ad ineptas illas Ceremonias furioſè incenſi & inflammati. Sed ſaniore & mitiore ſenſu hic accipimus *Pyroduliam*, ut diſtinguatur à *Pyrolatriâ*, quæ ad eos non pertinet. Quamvis verò ſuperdictam originem, tam apud Perſas, quàm apud alias Gentes habuerit Pyrodulia, talis tamen ejuſdem origo, ex temporis diuturnitate, hodie fere ignoratur ab eis, propter talium Gentium ἀνιστορησίαν. Ideóque aliqui apud Perſas ſunt, qui à minùs remotâ origine eandem arceſſunt, *viz.* à *Zoroaſtre*; minùs rectè: ille enim tantùm eorum Pyroduliam de novo *reformavit*, & eandem ampliavit ac auxit. Sed quamvis aliqui ſic credant, nos eam, ex alia autoritate, à remotioribus ante *Zoroaſtrem* temporibus ortam & petitam fuiſſe, in hujus Operis ſequelâ probaturi ſumus.

Quòd Perſæ olim fuerint *Sabaitæ*, ſeu *Sabii*, fidem facit *Ibn Phacreddîn Angjou* Perſa in Libro *Pharhangh Gjihânghîri* de Perſis Shemi proneptibus loquens in Proœmio ſuo, وكان دينهم الصابية ثم تمجسوا وبنوا بيوت النيران *Illorum Religio tunc fuit Sabaiſmus: at tandem facti ſunt Magi, & ædificarunt Ædes Ignium.* Dicti Sabaiſmi ſequaces, tam Perſæ quàm alii, Perſicè dicebantur *Nogûſhâ*, ſeu *Nogûſhâk*, & *Ghebr*, i. e. *Infideles* in genere. At nomen *Ghebr*, ſeu *Ghabr*, magis ſpecialiter hodie tribuitur *Ignicolis*, ſeu iis qui ita habentur. Quando enim Perſarum antiquiori Religioni ſuperaddita fuit *Pyrodulia*, tum à Mohammedanis eis tributa ſunt Nomina *Gebr*, & *Atèſh-perèſt*, & *Adurkîſh*, de quibus in calce hujus Libri fuſiùs dicetur.

Verum quidem eſt, quòd totus fere Mundus tunc fuit peſſimo *Sabaiſmo* involutus; talis enim fuit generalis omnium Religio: ideóque Deus, in Lege Moſis, contra talem *Sabaiſmum* præcavendo, Iſraelitas monet, *Ne fortè eleves oculos tuos, & intuendo copias cæleſtes, te proſternendo adores eas.* Nam quia ea fuit omnium vicinarum Gentium Religio, ideo Deus eam vetuit Iſraelitas, videns quàm proni & propenſi eſſent ut, aliorum exemplo, tali cultu inficerentur, & à viâ

viâ rectâ in quâ eos posuerat Deus, deflecterent. Sed (ut suo loco fusiùs docebitur,) *Sabii* fuerunt duorum generum, scil. *Cultores Planetarum*, qui meliores; & *Cultores Idolorum*, qui deteriores. Prioris generis fuerunt Persæ, qui tamen planè negant se divinum cultum his tribuere, aut unquam tribuisse. Græci quidem & Mohammedani, affatim Persis impingunt Divinam Adorationem Solis & Planetarum & Ignis. Atqui haud mirum est si falluntur, cùm exteri non satis intelligant Ritus Persarum veterum; quippe qui studiosè suam Religionem celant, quia Religioso *Zoroastris* Præcepto in Libro *Sad-der*, vetitum est, vel eam, vel veterem ejusdem Linguam & Scripturam cuivis extero revelare & docere. Ille enim prudenter prævidit, incommodum fore ut alieni in Libros & Religionem ejus inspicerent, aut de eis ferrent censuram, quam suspicabatur fore iniquam. Ne autem de eorum Cultu & Religione hæc gratis dixisse videar, Veterum Persarum Sacerdotes in *Indiâ*, meo suasu & consilio de illo cultu, quem *Mithræ* tribuunt, seriò interrogati à singulari Amico nostro in *Indiâ* tunc degente, *Quibus temporibus, quibúsque Ceremoniis Solem adorarent?* Responderunt, *Quòd nunquàm adorabant Solem*, & talem Adorationem planè negarunt: & mox addiderunt, *Se non exhibere Divinam aliquam Adorationem Soli, aut Lunæ, aut Planetis; sed tantùm erga Solem se convertere inter orandum:* hocque (ut alio tempore responderunt Petro de la Valle,) *quòd Sol propiùs accedat ad naturam Ignis.* Ego (propter receptam à nostratibus opinionem,) primâ vice mirabar, ratus eos velle talem suam Adorationem à nobis celare: donec tandem inter Zoroastris Præcepta illis præscripta, invenirem tantùm Solis *Niyâish*, i. e. *Salutationes*, seu Elogia quotidie dicenda; sine mentione alicujus *Preshish*, i. e. *Servitûs* seu Adorationis alicujus Divinæ exhibendæ.

Et sanè quamvis cum corporis prostratione hæc faciant, non tamen præsumitur esse Adoratio talis quæ Deo præstari solet, eóve animo fieri; cùm (dicente D. Sanson & aliis qui inter eos vixerunt) *Persæ Mohammedani* qui omnem Idololatriæ speciem exosam habent & detestantur, hoc idem quoque faciant, atque *Armeni Christiani* in Persia degentes, coram oriente Sole se quotidie *Crucis Signo* decussare soleant, & corpora sua profundâ reverentiâ inclinent & incurvent, corpus fere duplicando; qui quidem mos nuperis annis mihi ob oculos ostensus fuit à *Gjulphensibus Armenis*. Et hoc in Armenis eò magis mirum videtur, quia olim tempore Regis Saporis, multa Christianorum millia in Armeniâ & Persiâ martyrium passi sunt,

ſunt, potiùs quàm Perſarum juſſu, tale dictum Homagium externum vel Regi, vel Soli præſtarent, ut notat *Sozomenus*, quia Chriſtianis videbatur eſſe Adoratio Divina, vel ſaltem ei valdè ſimilis; & noluerunt eſſe contenti reſervatione mentali, ut multi ſolent facere. Quia itaque ut Criterion eis imponebatur, id planè recuſabant; cùm aliàs fortè injuſſi id non recuſaſſent, ſed ultronei plura & majora ſponte præſtitiſſent, ut hodie fit. Et ſanè difficile eſt intuentibus ex ſolo viſu, atque tam Sacras, quàm alias Hiſtorias legentibus, ex vi vocum, diſtinguere inter Adorationem Divinam & Civilem, niſi aliqua ſit in externo geſtu differentia, aut prolata verba diſtinguant: præſertim cùm in Sacris Scriptis idem vocabulum Hebraicum utrique ſpeciei indifferenter tribuatur. Nam השתחוייה *Adoratio-proſtrationis* quæ propriè & ſtrictè ſoli Deo debita, (ut *Deut.* XLVI. 3.) etiam impunè aliquando tributa fuit Hominibus, ut 2 *Reg.* IV. 37, & *Gen.* XLII. 6; & Angelis *Gen.* XVIII. 2. Aliqui Judæorum volunt diſtinctionem eſſe tantùm in mente adorantis. Et quidem verum eſt, quòd in pleriſque rebus Intentio facit Actum ſolennem, ut D. *Paulus* dicit de *Idolothytis*. Sed quando externè ab Adorante non diſtinguitur, nemo alius poteſt diſtinguere ex mero intuitu. Ideóque in ſecundo Decalogi Præcepto, non tantùm cuivis fuit vetitum לעבוד *colere*, ſeu *ſervire*, ſed & quoviſmodo להשתחוה *proſternere*, ſeu *incurvare* ſe Idolis; quia nimia ſuſpicio eſſet Idololatriæ, quamvis prætenderetur quòd tantùm civiliter & ſine religiosâ intentione id fieret. Non autem vetitum, idem civiliter præſtare erga Magnates, utpote ubi nulla poſſit eſſe ſuſpicio Idololatriæ. At (magis ad præſentem caſum,) qualis erat *Proſtratio* quæ *Divinæ Adorationis* ergò fiebat, docet R. Sal. Iſaaki dictus *Jarchi*, ſeu *Lunelenſis*, qui ad *Lev.* XXVI. 1, ait השתחואה בפשוט ידים ורגלים היא ואסרה התורה לעשות כך חוץ מן המקדש *Hiſhtachavaah*, ſeu *Proſtratio fit cum expanſione manuum & pedum: unde prohibet Lex ſic facere extra Sanctuarium*, ſc. extra Templum, quod totum ſæpe Sanctuarii nomine vocari ſolet. Ergò talis Proſtratio erga Homines facienda non erat: ſed contra hoc Præceptum, ſeu hanc Regulam, ſæpè peccatum fuiſſe multùm vereor. Dicta manuum expanſio talis erat qualis eſt Orgyia. Hoc autem nimis ſtrictè & abſolutè dixit *Jarchi*, quaſi excludendo talem Reverentiam erga Magnates, quæ ſine metu Idololatriæ præſtari poteſt & ſolet. At ejus mens eſt (ut reliqui Judæi exponunt,) quòd non licebat talem Proſtrationem adhibere coram אבן משכית *Lapide Effigiei*, ſeu effigiato & picto, ſive deaurato, niſi in Templo, in quo erant

erant tales lapides cælati & cæsi, uti & *Cherubim*; & tamen Proſtratio adhibebatur *coram* illis, non *ad* illos: nam in Templo non erat metus Idololatriæ, ut erat in aliis locis. Rabbi Shemuel Jazia in Libro מבקש השם p. 31, agit de hac re, & concludit quòd in Templo licebat adorare ſuper אבנים המפוצלות *Lapidibus fiſſis*, ſeu elaboratis, ſc. ſuper Pavimento, quia ibi non erat ſuſpicio Idololatriæ, de quâ, in aliis locis ſuſpicio fuiſſet.

Salomon Rex, in primâ Dedicatione Templi, genuflexus orabat ad Deum ſuper כיור *Conchâ* æneâ, ſeu Suggeſto ad hoc erecto. At hoc ſupponitur factum fuiſſe poſt peractam priùs *Adorationem Proſtrationis*. Nam Terra ibi erat Sancta, & Judæi ſemper ingrediebantur diſcalceati in Templum, cujus primo ingreſſu, in benè mundato Pavimento (ubi nulla veſtium inquinatio) proſtrati, expanſis manibus in terrâ adorabant verſus Sanctum Sanctorum: dein ſtantes orabant: & tandem ultimo devotionis actu, ad genua ſe flectebant, aſpiciendo ſemper ad Sanctuarium, & mox retrorſum cedendo exibant, & deinde lateraliter, facie interm in Sanctuarium intentâ: poſteriora enim illuc obvertere, nefas. Talia fecit Pſalmiſta *Pſal.* 95. 6, באו נשתחוה ונכרעה נברכה לפני יהוה עשנו *Venite, Proſtrationeadoremus, & incurvemus nos: genua flectemus coram Deo Creatore noſtro.* Loco autem Proſtrationis in ingreſſu, ſæpe adhibebatur tantum הכריעה *incurvatio ad genua*, quæ erat quaſi Geminatio, ſeu Duplicatio corporis. Nam ad hunc locum ſcribit Kimchi, נכרעה denotare *Incurvationem Capitis cum quâdam corporis parte*, ſcil. non flexo poplite. Sed mihi videtur utrumque denotare, ſc. incurvare ſuperiores corporis partes uſque ad genua, atque etiam incurvare כרעים *crura*, ſeu poplites & genua, ut *Jud.* 7. 6. כרעו על ברכיהם *incurvarunt ſe ſuper genua ſua* ad bibendum aquam. Judæorum autem Proſtratione præmittebatur קדה *Kidda*, *inclinatio capitis & humerorum*, & ſæpe legitur, ויקד וישתחוה לי *& inclinavit-caput & proſtravit ſe Deo.* Nam quamvis *Kidda* erat *levior capitis inclinatio*, & à profundiori Reverentiâ remotior, aliquando tamen ea profundiorem illam Reverentiam immediatè præcedebat, & ad illam fermè extendebatur, ut *Exod.* 34. 8, ויקד ארצה וישתחו *& inclinavit ſe in terram & procidit*, nam talis Procidentia, ſeu Proſtratio eſt Adoratio: i.e. à leviore capitis inclinatione, mox immediatè in totam longitudinem procidendo. At multò magis & faciliùs à propiori כרע in proximam profundiorem Reverentiam deſcendebatur, & quiſque devolvebatur, prout factum eſt in primâ Templi Dedicatione, ut 2 *Chron.* 7. 3.

ויכרעי

ויכרעו אפים ארצה על הרצפה וישתחו *& incurvarunt ſe faciebus in terram ſuper Pavimento, & adorando-proſtrarunt ſe*; i. e. ad medium corporis incurvarunt ſe, & deinde ſuper pavimento lapideo Templi ſe proſtrarunt adorando: erat enim Actus duplex, ſed quaſi junctim præſtitus. Nam certè pavimentum erat mundum, cùm (dicente Maimonide) *in toto Monte Domûs non licebat expuere, (ſed in Sudariolum exſcreandum,) nec calceos habere in pedibus, nec baculum in manu, nec pecuniam in crumenâ,* (excipe pro oblatione pauperibus,) *nec pulverem pedibus hærentem inferre in Templum.* Nam Dominus Deus debebat eis ſufficere pro omnibus neceſſitatibus.

De populi exitu retrorſum poſt Precem finalem עמדה *Amedà* (quâ ſtatur coarctatis pedibus,) legitur in *Orach Chajim* Autore Jac. ben Aſher in *Hilcoth tephillà* fol. 83. 2, numero קכג 123, ובורע ופוסע שלוש פסיעות לאחריו ככריעה אחת ובעודנו כורע קודם שיזקיף יטה בראשו לצד שמאלו כמי שבא ליפטר מרבו ואחכ לימינו *Uſque ad genua-incurvabat ſe, & regrediebatur tribus paſſibus retrorſum incurvatione unâ: & dum adhuc incurvabatur, antequam elevaret ſe, inclinabat caput ſuum ad latus ſiniſtrum, ſicut ille qui ingreditur ut diſcedat à Præceptore ſuo: & deinde ad dextram ſuam,* ſcil. ad latus ſiniſtrum & dextrum Majeſtatis Divinæ, ſeu Sanctuarii.* De ſummi Sacerdotis exitu è Sancto Sanctorum, legitur in Miſhna Tract. *Joma, Perek* 5, fol. 52. 2, ſubobſcurè, יצא ובא לו בדרך בית כניסתו *exivit & venit ſibi per viam* [ſeu *modum*] *domûs ingreſſûs ſui*, i. e. Exivit & introivit *eodem modo*, ſcil. *eo modo* quo ingreſſus fuerat, eâdem corporis poſitione & ſitu exibat: nempe ut ingrediebatur facie verſus Sanctuarium, ſic etiam egrediebatur facie verſus Sanctuarium. Sic enim vult ad hanc Miſhnam Maimonides, היה יוצא אחורנית ופניו כלפי קדשי קדשים ואחריו אל פתח *Exibat retrorſum, ſc. facie ſuâ verſus Sancta Sanctorum, cum poſterioribus ſuis verſus Oſtium.* Imò, & ubicunque terrarum erant, debebant aſpicere verſus Sanctuarium, ſeu Templum, inter orandum, ut *Mohammedani* faciunt erga Meccam, ſeu *Kiblam* ſuam, habentes Tabulas calculatas pro inveniendâ تحويل القبلة *Converſione*, ſeu *Circumgyratione Kiblæ*, ubicunque terrarum ſint. *Kibla* itaque Judæorum qui extra Jeruſalem, erat ipſa Urbs: intra Urbem, Templum fuit eorum *Kibla*: in ipſo Templo, occidens (ubi S. S.) erat omnium *Kibla*: nam verſus Occidentem (ubi Majeſtatis Divinæ ſedes,) flectebant ſe & proſternebant ſe Judæi omnes in Templo exiſtentes, veneratione humillimâ, quæ vocatur עבודה *Avodà*, Perſicè

* Ibidem videas plura.

پرستش

پرستش *Preſtiſh*, *Latria*, *Servitus* tam Animi quàm Corporis intenſiones comprehendens, Deo juſſus, Idolis vetitus. Et ut Judæi proſternebant ſe, ſic etiam Mohammedani (ut id obiter notem) primo ingreſſu in Synagogam ſuam, peragunt Deo Adorationem Proſtrationis, idque (ut aiunt) ſuper 7 corporis membris; quæ fit ſuper سجاده *Segjâda*, quæ aliàs vocatur خمره *Chumra*, quæ eſt حصير *Haſîr*, ſeu *Teges* ex foliis palmæ contexta, longitudinem humanam non excedens. Aliquid enim humo inſternunt, ne frontem & manus ei applicatas inquinent, aut lædant. Sic pro Regibus, aut nobilioribus Perſis, & (ut puto) pro Judæis, *Tapetum* erat humi ſtratum, vel ſaltem dicta *Teges*, ut innuit celeberrimus Poëta Perſicus *Hâphiz*,

سجاده مي رنگين كن اگر پير مغان گويد *Adorationis-Tegetem vino tingito, ſi Mogorum ſenex tibi præceperit.* Nempe ſi Presbyter Mogorum [i. e. *Magorum*] tibi injunxerit, Templum adiens, dictam *Tegetem* amore divino & lacrymis humecta, intensè orando.

Adoratio Proſtrationis (ut & omnis alia Adoratio) ab Idololatris fiebat τῷ *Baal*, 1 *Reg.* XXII. 54. A Deo autem & Prophetis ubique vetita fuit Idolis, uti & Soli atque Stellis & omnibus diis alienis, ut *Deut.* IV. 19, & *Ezek.* VIII. 16, & alibi. Perſæ autem hoc faciunt Soli, tam quia Sol, ratione puritatis, eſt quaſi Dei Imago, habens, eâ in parte, naturam Ignis, quàm quia aliqui eorum (non omnes) credunt Solem aliquando eſſe Dei ſedem, ibique (ex quorundam ignarorum ſententiâ) eſſe Beatorum Paradiſum. Alii autem aliter de Paradiſo ſtatuunt, ut ſuo loco dicetur. At cùm veteres Perſæ, à *Miſſionariis* Europæis Idololatricæ Adorationis taxati, planè negent ſuum *Mithræ* cultum eſſe *Adorationem divinam*, ſed tantùm *Civilem* eſſe aſſerant, & planè profiteantur ſe nihil adorare præter Deum; tum, inquam, hujus rei Judicium à ſolâ Adorantium mente (de quâ nemo judicare poteſt) pendere videbitur, niſi aſſâ voce aliquid prolatum ſit: nam de Adorantium mente & corde, tantùm Deus; ſed de enuntiatâ verborum formulâ, quivis Homo judicare poteſt. Cùm autem per externa Signa (dum verba, vel non audita ſint, vel non intellecta) plerumque judicari ſoleat, haud multùm culpandi ſunt ſeveri, in hac parte, Cenſores illi qui iſtos Perſas de Idololatriâ damnant, dum eorum verbis in veteri illâ Linguâ non intellectis, obſervant illos, externâ ſpecie, tam ſuperſtitioſos, qui *Creaturis* præſtent talia, quæ (ſi ex animo fiunt) ſolo *Creatore* digna eſſe videantur. Mentis autem intentionem, & quo animo talia faciunt Perſæ, ii li-

berè & apertè fatentur omnibus quibus in colloquium cum eis venire, & quæſtionem movere placet, agnoſcentes ſuam intentionem eſſe, neminem præter Deum adorare, ut ſupra notavimus. De quâ re (ut ſpero) haud multùm dubitabitur, cùm certum ſit, quòd Perſæ nullibi unquam dixerunt *Mithram* eſſe Deum, nec Dei nomine eum unquam appellaverunt, (quamvis *Græci* hoc eis impegerint) nec ullas Neceſſitatum Petitiones ei fecerunt; quinimò è contra, Laudationes, ſeu Celebrationes quas in *Mithriacis* adhibent, in Omnipotentis Dei nomine incipiunt, & ad eum immediatè diriguntur, in ejus gloriâ deſinentes. Si itaque olim unquam Perſæ fuerint in hac parte Sabaitæ, ſunt & adhuc Sabaitæ: nam talia quæ olim fecerunt, etiam hodie faciunt. Et, ſi vice versâ, non fuerunt olim magis Sabaitæ quàm ſunt hodie, planè conſtat, eorum Sabaiſmum non fuiſſe talem qui eos à vero Dei cultu avertebat, eumve negabat.

Idem quoque dicendum eſt de eorum cultu Ignis, quem (ut ſupra tetigimus) *imitando Judæos* in *Pyreis* ſervarunt. Nam quamvis ei exhibuerint Reverentiam quandam, eámque per Proſtrationes, hæ tamen non fuerunt Adoratio divina, ſed tantùm civilis, prout ſe habet mos Orientis erga quoſvis *Magnates*, & olim fuit erga *Angelos*, tanquam Dei Legatos, ejus perſonam repræſentantes; cujus rei exempla affatim ſuppetunt non tantùm in Veſt. Teſt. ſed & in Novo, ubi fœminæ ad veram Fidem converſæ (viſis apud Chriſti ſepulchrum Angelis) adorarunt, procidentes faciebus in terram: idque quamvis probè ſcirent non eſſe Deum, ſed Angelos, ut conſtat ex verbis earum profitentium *ſe vidiſſe viſionem Angelorum*. At Perſæ poſt peractam proſtrationem coram Igne, ſtantes ad Deum orabant, & aliquando genuflexi. Sic apud vetuſtiſſimum Palatium *Perſepolitanum*, cernuntur marmoreæ ſtatuæ Regum ſtantium & orantium ad Deum, coram Sole & Igne ſuperiùs in pariete poſitis: & (referente *Herberto* & *Mandelſlo*) una aliqua ſtatua cernitur genuflexa ad Deum orans coram eiſdem. Nam Soli & Igni præmittebant Venerationem civilem & Salutationes, at Preces & Petitiones verbatim dirigebant ad Deum. Id autem faciebant coram Igne, utpote quem habebant Sacrum, in Templo Dei ſervatum, & rem puriſſimam, *colore* repræſentantem Planetam *Martem*, atque *puritate* Deum; ideóque ſacer Ignis in Pyréis ſervatus, vocatur *Ignis Martis*. Nam ut omnis Ignis in *Templo Dei* apud Judæos ſervatus, meritò reputabatur ſacer, iſque ſolus pro Incenſo adhibebatur; ſic & *Perſarum Ignis* ab eo exemplo deſumptus, itidem habi-

tus

tus fuit ſacer; quâ de cauſâ, ei præmittebatur Veneratio civilis, at mox fundebant preces Deo, putantes ſe, in hac parte, imitari veteres Judæos. Nam ut Judæi olim, in Templi introitu, utebantur proſtratione verſus ſanctuarium, dum arderet juxta eos Altaris Ignis, hoc modo verè colentes Deum; ſic & Perſæ tam illuſtre exemplum ſecuti, (addendo autem Ignis venerationem civilem) divino cultu adorabant Deum & ad eum preces fundebant, dum Ignis, in eorum Pyréis, ſuper Arâ arderet juxta eos. Et ut Ignis ſacer cœlitùs accenſus, ſervatus fuit in Templo Dei, eodem nomine, talem in ſuis Pyreís etiam habuerunt Perſæ cœlitùs accenſum: & quia dictus Ignis, juſſu divino, perpetuò ardens & inextinctus fuit ſervatus in Templo Dei Hieroſolymitano, ergo & Perſæ, quaſi eidem præcepto parentes, (vel eodem exemplo ducti) paritur in ſuis Pyréis Ignem (ut ſuprà diximus) conſervari voluêre perpetuum. Si itaque vetuſtiſſimi Perſæ, Judæorum, hac ratione, æmuli & bonâ mente ducti, minùs rectam aliquam, in hac parte, notionem conceperunt, quaſi novo illo lumine ſeducti; id eis ignoſcendum, quia Judæorum imitatione factum eſt. Ideóque iſti qui primò optimi cultûs divini Zelotæ, haud temerè damnandi ſunt ab iis qui eorum Religionis primævæ puritatem & inculpatam praxin non perſpexerunt, nec meminerunt, nec iſtius ſuperſtructionis, ſeu interpolationis, innocentiam probè perpenderunt; dum, inquam, Perſæ innocenter, ſed tamen perperam, putarint Judæos inter venerandum Deum, proſtratione ſuâ civiliter quoque veneratos fuiſſe Ignem, cùm id non facerent, ſed procidendo tantùm venerarentur Deum, ſine reſpectu ad Ignem.

Non itaque eſt cauſa cur eis imputemus *Pyrolatriam* veram, (quæ cum religioſâ animi intenſione) cùm ex animo planè & apertè contrarium profiteantur. Cùm enim Amicus in *Orientali India*, meo ſuaſu, eorum Sacerdotes ſeriò conſuleret, *An in cultu ſuo aliquas preces funderent directè ad Ignem?* Reſpondebant, *Quod nullas preces fundebant directè ad Ignem, ſed omnes preces ſuas dirigebant immediatè ad Deum Omnipotentem.* Et cùm D. *Sanſon* apud *Iſpahân*, & D. *Tavernier* apud *Kirmân* Perſidis, eorum Sacerdotes de hac eâdem re conſulerent & interrogarent, ſemper invenerunt eos planè negantes ſe divinam aliquam Adorationem perſolvere Igni, ægrè ferentes ut, eo nomine, haberentur Idololatræ, cùm nihil præter Deum adorarent. Adeo ut omnes eorum Sacerdotes, iique in regionibus à ſe invicem longè diſſitis habitantes, de hac re interrogati, uno conſentiente ore affirment, ſe Deum tantùm *divino cultu* adorare, Solem autem & Ignem non niſi

civili reſpectu honorare, ut ſolet fieri tam Regibus quàm Magnatibus in Oriente, quos proſtratione venerantur Clientes omnes. Ideóque cum grano ſalis (ut dicimus) legendi & intelligendi ſunt Autores qui contrarium aſſerunt, ſine certâ ſcientiâ loquentes, & externâ Adorantium ſpecie decepti; cùm realis diſtinctio non ſit in externo corporis geſtu, ſed in mente Adorantium, quæ non dignoſcenda niſi ex prolatis verbis, (quæ mentis indices) quibus utuntur tales Adorantes: ideóque Perſas ſuos-ipſorum eſſe, in hac parte, Interpretes relinquemus.

Iis itaque ductis perſuaſione Ignem ſuum eſſe ſacrum, illúmque ut venerabile quiddam ſuſpiciendo, ſi quis ſolenni Juramento adigendus erat, id fiebat coram Igne in eorum Arâ ardente, uti Judæi idem faciebant ſiſtendo ſolenniter jurantes coram Altari Hieroſolymitano cum Igne ardente ſuper eo. Hoc idem quoque faciebant *Arabes* pagani, qui (ſi ſuſpicio falſi juramenti,) clanculùm injiciebant ſalem, cujus crepitatio eſſet in terriculamentum perjurii.

Et cùm Judæorum ſacer Ignis fuit pro Sacrificiis, igitur & Perſæ offerebant Victimas, & Holocauſta comburebant in ſuo Igne ſacro: nam Sacrificia, apud utramque gentem, non inquinabant Ignem, ut aliæ res prophanæ & ſordidæ; uti nec apud *Romanos*, cùm integri Vituli cremarentur in *Veſtali* Igne. Si autem alias ſordes in aliquem horum Ignium quis injeciſſet, aut inſpuiſſet, capitale erat. Perſarum Reges & homines ditiores aliquando Uniones & pretioſa Olea atque Aromata inſpergebant, ut Ignis delicatiùs paſceretur, quæ vocabantur, *Epulæ Ignis*, ut poſthac dicetur. Sed omnia quæ faciebant Igni, aut per Ignem, in honorem Dei facta ſunt, & in eo terminata. Id voluit *Cyrus*, qui (ut in primo Libro *Ezræ*, VI. 24. proditum,) in Diplomate juſſit, ut extrueretur Templum Dei Hieroſolymitanum, *in quo Sacra Deo fiebant perpetuo Igne*; eodem ſcil. modo quo Perſæ tunc Deum colebant, & hodie colunt, ad *eum ſolum* orantes; non ad *Ignem*, ſed tantùm *coram* eo; nec Ignem unquam vocantes Deum, nec, ejus cauſâ, Deum negligentes, aut ab ejus cultu aliquid defalcantes. Ignis enim apud eos reputatur tantùm Creatura, ſeu Elementum quod lignis paſcitur, facilè extinguitur, vel ſi (opus ſit) ſub pedibus conculcatur; ſcil. unum ex notiſſimis *Quatuor Elementis*. Et cùm Ignem inter Elementa creata numerent, impoſſibile eſt ut eundem reputent eſſe Deum, & hoc modo cœcutientes, rem *conditam* cum ejuſdem *Conditore* confundant. Cúmque ſint religioſi erga Deum Zelotæ, eum ut cœli & terræ Creatorem agnoſcentes in Libris

bris ſuis, non eſt probàbile quòd cultum divinum tribuerint alteri. An tale quid ſit Deus, quod ab hominibus extingui & annihilari queat, & Aquâ, vel Terrâ, tam facilè obruatur? An totidem habuerunt Deos Elementarios, & prætereà 7 Deos Planetarios? Abſit! Meliora certè & majora concipiunt de Deo, ejus Omnipotentiam & reliqua omnia ejus Attributa glorioſa (ut prope calcem Operis fuſiùs dicemus) promptè agnoſcentes, quorum nulla tribuunt Mithræ, aut Igni, nec in eorum Libris de Religione agentibus tale quid unquam comparet. *Syri*, in hiſce rebus planè hoſpites, perperam vocant Magos *Cultores Elementorum*. An ergò qui Dei Unitatem agnoſcunt, reputabuntur habere 4 Deos, aut potiùs 11 Deos, quaſi *Polytheiſmi* eſſent damnati, quia civiles aliquas Elementis & Planetis Cæremonias faciunt, quæ aliquando incautis plus quàm civiles videntur? Cùm ſint potiùs *Curatores Elementorum*, ut ea in puritate conſervare, & ab omni pollutione vindicare poſſint. Nam (ut alibi magis particulariter notavimus) cùm, præter exemplum Ignis Judaici, putent Elementa, ut omnium rerum Principia & Semina, eſſe quodammodo ſacra, & in ſuâ nativâ puritate conſervanda, olim habuerunt, & adhuc habent pro Singulis Elementis *Curatores*, qui ſtipendiis ad id aluntur, ut Aquæ & Fluminibus & Fontibus invigilent, & qui Aërem, quantum poſſunt, à Fœtoribus, & Ignem à Sordibus, & Terram à Cadaveroſis defendant, eáque è platéis eliminent; unde eſt quòd mortuos non ſepeliant. Et ne Aërem Cadavera nimium contaminent, Corvi & Vultures curant, eadem in viſceribus ſuis ſepelientes: his enim ſepeliendos tradunt defunctos ſuos. Et ab eiſdem Principiis eâdemque origine eſt, quòd *Veſtales* olim, ex Inſtitutione *Numæ*, quatuor Elementorum curam geſſerint, ratione Inſtitutionis ſuæ: unde eſt quòd *Veſta*, quæ præcipuè *Ignis*, aliquando *Terra* exponatur: & *Veſtales* Aquam (*Camœnarum* Fontem) Templo ſuo propè adjunctam curare tenebantur.

Cùm ergò Igni non tribuerint, nec hodie tribuant, ulla Divinitatis Attributa, præter Puritatem, nec Ignis ab eis unquam vocatus fuit *Deus*, nec hodiè ſic vocetur, nec Petitiones ad eum dirigantur, nec cum *Intentione* colatur, ut Deus, ſatis conſtat quòd à *Mohammedanis* & aliis injuſtè eis affigatur & inuratur abſolutum *Ignicolarum* nomen; cùm ea Proſtrationis Reverentia quæ Igni & Mithræ præſtatur, non ſit alius cultus quàm qui per Orientem omnibus Regibus & Magnatibus civiliter exhiberi ſolet. Eorum itaque erga Ignem Reverentia non avertebat, avocabátve à veri Dei cultu, ſed ut Inſtrumentale

mentale ad ipſius cultum pertinebat pro Sacrificiis & aliter, eúmque cultum promovebat & ad eundem faciebat, uti faciebat Ignis Altaris Judaici in Templo Dei. Cùm igitur Perſarum Ignis eos non avertebat quò minùs Dei cultum cum vigore & veritate proſequerentur, eóſque ad eundem magis accenderet, ceſſent in poſterum *Calumniatores* qui nimiam culpam, in hac parte, impingunt eis qui reverà putant non eſſe culpam, ſed rem innocentem & innocuam, ad verum Dei cultum magis facientem, cùm honori divino nihil, eo nomine, derogetur, ſed immane quid ejus honori, hac ratione, addatur, Dei cultum non minuendo per cæremonias erga Ignem, ſed eundem cultum augendo & meliùs celebrando.

Si Mithram, aut Ignem, habuiſſent Deos, proculdubiò res ſuas ſolenniores exorſi fuiſſent in alterutrius nomine. At tale quid nunquam fiebat, nec hodie fit, in nomine Mithræ, aut Ignis, ſed ſemper in nomine Dei: & quidem Libros ſuos antiquiſſimos omnes in Nomine Dei ſemper inchoant, plerumque in hac ſequente formâ,



In Nomine Dei Clementiſſimi Juſtiſſimi.

Et in hac Formulâ, Nomen Dei tale eſt quod alteri competere non poteſt: nam Solis aut Ignis mentionem facientes, id non aliter faciunt quàm propriis ſuis Nominibus eos vocando. Plura & majora de eorum orthodoxâ in Deo fide, in hujus Operis proceſſu occurrunt.

Ignis ergò, multiplici reſpectu, habebatur ſacer, ſc. tam ut exemplum Ignis Judæorum, quàm ut originale aliquod Elementum, & ut res ſuâ naturâ puriſſima, &c. ut ſuis locis diximus. Proximè eorum Fidem ab initio arceſſemus.

Et quidem ab initio Monarchiæ eorum, poſſumus eſſe ſat certi de *Medorum* & *Perſarum* fide in ſolo Deo, cùm illa tempora inter, vel Orientalis, vel Occidentalis Hiſtoriæ limites veniant: quamvis & de antecedentibus temporibus non dubitemus, quoniam in initio Monarchiæ *Medicæ*, illa Fides (ut ex eorum Hiſtoriis infrà conſtabit,) non videtur tunc quaſi nova, ſed videtur fuiſſe receptiſſima, quaſi à longo tempore tunc diu ſtabilita, abſque coactione ullâ, aut aliunde petitis Principiis. Et profectò, ſi res benè inquiratur & perpendatur, Quis (aliàs) debuerit eos ad Dei Fidem convertiſſe? Quis fuerit tam potens, ut potuerit convertere, & ad novam aliquam Religionem cogere Medos (ſub quibus tunc erant Perſæ,) totius Orbis Monarchas? Verum quidem eſt, Deo ſuccenſente, Jeremiam, [XLIX. 34.] temporibus *Zedekiæ* & *Nebucadneſſaris*, pronuntiâſſe *Elamitas* eſſe

eſſe debellandos, & inter omnes Gentes diſpergendos pro tempore; illos autem pòſt reſtituendos, & dictam diſperſionem eſſe recolligendam, & reducendam eſſe Captivitatem eorum. Hoc verò non fuit initio Monarchiæ, ſed longè poſtquam vera Fides inter eos diu ſtabilita fuerat. Dato autem, & non conceſſo, quòd aliqui exteri *potuerint* hoc facere, idque fecerint eoſque coëgerint, quis ex circumjacentibus nationibus Ethnicis *voluit* eos ad veri Dei Fidem vocare & convertere, cùm circumpoſitæ Nationes omnes tunc eſſent Infideles? Sanè ante ſuam Monarchiam, Medi erant ſub Monarchiâ *Aſſyriorum*, qui proculdubiò (ſi poſſibile) eos potiùs pervertiſſent, illóſque à veri Dei cultu ad Idololatriam abduxiſſent. Sed Aſſyrii (qui dubio procul omnes de ſuâ Religione eſſe voluerunt,) hoc non fecerunt, nec id efficere potuerunt dum eis ſubjicerentur Medi & Perſæ, qui, ante *Arbacem*, erant Aſſyriorum Exarchia. Cùm itaque Medi (ut & Perſæ) ineunte ſuâ Monarchiâ fuerunt veri Dei cultores, non ab Aſſyriis, aut aliis coacti, aut converſi, inde ſatis conſtat eos ultrò fuiſſe tales primò, etiam longè ante illud tempus, (ante Monarchiam ſuam,) idque ab initio Gentis: quia impoſſibile fuit ut, vel *Aſſyrii*, vel *Babylonii*, vel aliæ aliquæ Gentes Idololatricæ eos converterent ad veri Dei cultum, quippe quem tales Gentes ipſæ repudiabant & odio habebant & deridebant, Idololatriæ prorſus addictæ. Cùm itaque temporibus *Arbacis*, in initio Monarchiæ ſuæ, Medi & Perſæ inventi fuêre Orthodoxiæ tunc ſequaces; & nec ante, nec poſt illud initium, poſſit aſſignari certum aliquod tempus quo, vel dictum Cultum reliquerunt, vel eundem reſumpſerunt, præſumendum eſt, Aborigines Medos & Perſas in primo ſuo Religionis fundamine, ab antiquo benè initiatos fuiſſe in veri Dei cultu, & in eodem poſteà ſemper perſtitiſſe; atque eos poſterioribus temporibus (ſc. poſt 140 annos) in eodem cultu plus confirmatos fuiſſe & plura orthodoxa didiciſſe ex converſatione cum *Iſraelitis*, quos Captivos *Salmanaſſar* tranſtulit in *Shuſhan* & *Hara* & *Gozan* & reliquas urbes Medorum. Nam (ut inde colligimus) pro aliquo tempore, Medi videntur redacti ſub plenariâ poteſtate Aſſyriorum, vel ſaltem erant eorum confœderati, quia *Salmanaſſar* habuit libertatem ibi collocandi *Samaritas* Iſraëlitas, & vice versâ ejus Nepos, *Sennacheribi* filius, *Eſarhaddon* (Cuthæis aliàs dictus *Aſnapper*) in *Samariam* tranſtulit *Medos*, *Suſanitas*, *Dehitas*, & *Elamitas*, &c. Et quòd Fideles erant & veri Dei cultui addicti, ideò Deus ducentis annis antequam *Cyrus* naſceretur, per *Iſaiam* prædixit, eum cum Perſis & Medis ſuis capturum *Babyloniam* & eorum Idololatriam perditurum:

rum: ſic *Iſa.* XXI. 2, 9, *Aſcende ô Elam, obſidionem pone ô Media.* —— *Cecidit Babylon, omnia Deorum ejus Sculptilia ad terram uſque confregit.* Hoc facturi erant Medi & Perſæ, quòd eſſent veri Dei cultores Idololatriam exoſi.

Et ut in primis temporibus erant Fideles, ſic pro eorum continuatione in veri Dei Fide, ſub finem ejuſdem Monarchiæ, apparuit *Zoroaſtres* Medorum & Perſarum Præceptor, qui in Dei notitiâ educatus Veteri Teſtamento non fuit inaſſuetus, nec à *Judæorum* converſatione alienus; imò à quibuſdam in *Palæſtinâ* natus cenſetur: qui itaque ipſe Deum noſcens, ſuos Medos & Perſas in Dei cultu continuavit & ulteriùs informavit in orthodoxiâ, quam itaque eorum poſteri ad hodiernum uſque diem retinent, ut ex eorum Religioſis Libris conſtat. Hoc modo Medorum & Perſarum orthodoxiam ad hoc uſque tempus deduximus.

Iſte *Zoroaſtres* fuit Religionis Perſo-Medicæ *Reformator*, qui novas ſuas Lucis & Tenebrarum explicationes dedit, hæc duo, ex Creationis Hiſtoriâ, ut Religionis Principia ſtatuens, cum multis aliis quæ ſuis locis docebuntur. Is etiam cùm eſſet inſignis Philoſophus, Religione auſterus, & totius *Matheſeως* peritiſſimus, hac ratione, Perſas ſui admiratione perculit, & ſuæ Doctrinæ attentos reddidit. Præſertim coluit Deum in naturali quodam *Antro*, quod ille *Mithriacum* effecit & mirificè, ac *mathematicè*, comparavit; ubi ſcil. Mithra præſidens, hæc inferiora Regio modo regens eáque imprægnans ſedebat: adeò ut omnes poſteà non tantùm in ſummis Montium jugis, antiquiſſimo more, Deum colebant, ſed & ſubinde illius exemplo, *Sacra ſua Mithriaca* in tali *Antro* præſtare & peragere didicerent. In eo erant Mithræ & hujus Mundi Symbolica philoſophicè & mathematicè ſpectanda & contemplanda, non autem colenda; quâ itaque in re falluntur Autores: nam Perſæ tunc talia Simulachra non colebant. Romani autem & Græci, à Perſis mutuantes talium Mithriacorum figuras, eas coluerunt & in uſum Idololatricum verterunt. At montium jugis & Antris Mithriacis, poſteà tandem pro cultu divino ſuperaddita ſunt Pyréa; non quidem ad continendum Deum, qui nullis parietibus comprehendi potuit, ſed ad alendum Ignem neceſſaria Domicilia, cùm propter pluvias & alia incommoda, ſub Dio vivere & conſervari non potuit. Et ſanè talium Pyreorum pleraque in editioribus locis & ſummis montium jugis eminebant, primitivo mori, eo ſitu, conformia.

Dictus

Dictus *Zoroaſtres* (inquit *Agathias* p. 54,) eam Religionem quam hodiè exercent, inſtituit, eámque ſtabilivit. Id autem non ſine magnis difficultatibus & contentionibus cum Perſis, à quibus incarcerationem paſſus eſt; (ut ſuo loco monſtrabitur ex Libro *Shâhnâma-Neſr*, qui diverſus eſt à *Shâhnâma-Nezm)* nec ad Regem admitti potuit propter illius temporis Sacerdotes, qui tanquam pro Aris & Focis contendentes, ejus admiſſionem prohibebant. Cúmque tandem aſtu ad Regem intraverat, dicti Sacerdotes eum accerrimè oppugnabant cum eo diſputantes, & aſſerentes, *Quòd quamvis rationi conſentanea diceret, non tamen æquum eſſe ut aliquæ in Religione mutationes, aut innovationes fierent, ſine præmiſſis miraculis.* Is itaque miracula quædam (ut ſuo loco dicetur) præſtitit, ut illis videbatur; quamvis per meram philoſophiam illis ignotam omnia fecerit: & ut Doctrinæ ſuæ pleniorem fidem faceret, novas quaſdam Revelationes prætendebat. Nam ante Zoroaſtrem, ſub alio *Sabaitico* Legiſlatore *Poreodekéſhangh*, aliquam Religionis diverſitatem agnoſcunt Perſarum Sacerdotes in Indiâ, ſc. *Sabaiſmum* abſque *Pyrodulia*. Hanc autem Religionem quam hodiè habent, hoc modo emendatam & reformatam, credunt divinitùs approbatam, & præ omni aliâ puram: hocque fuiſſe cœlitùs revelatum Prophetæ ſuo *Zoroaſtri* (illis dicto *Zerdûſht*, ſeu *Zerâtuſht*,) uti ſcriptum extat in Libro *Sad-dèr*, qui eſt Præceptorum & Canonum Eccleſiæ *Magorum* Syntagma, à doctiſſimo aliquo Magorum Sacerdote, ex religioſis Zoroaſtris Libris, olim collectum, per modum Epitomes ad communem populi uſum; cujus aliquot Exemplaria penes me habeo. In dicto, inquam, Libro, qui maximæ apud eos autoritatis habetur, ſequente modo, de receptâ tunc Perſarum Religione (quæ etiam hodiè uſitata,) teſtatum eſt, his verbis,

وزیدکی زرتشت دین بدین نیکوتر

Hoc enim ad Zerâtuſht venit pro certo,

دیگر دینها نیست

Iſtam eſſe omnium Religionum optimam.

At non obſtantibus *Zoroaſtris* Revelationibus (ut vulgò creditum,) & in eis per multa ſecula fide receptiſſimâ, de eâ tamen Religione, Perſarum Regi *Ardeſhîr Babacan*, vulgò dicto *Erdaſhir Bobgân* (quamvis dictam Religionem externè profiteretur & tueretur,) ſuborta ſunt quædam dubia & Scrupula, præſertim de futuro ſtatu: unde totius Regni ſui *Clero* majore (ſc. *Præſulibus)* ad generale Concilium convocato, eos conſuluit, hæc illis præfatus,


Id mihi oſtendant, ut dubia è Mundo Procul arceam, & Dei Religionem amplectar. Cupio ut mihi de eâ Demonſtrationem oſtendant, Veritatem toti Mundo demonſtrent.

Hæc Dubia ſolvebat Perſarum in Sacris Legiſlator ultimus *Erdaviráph*, qui ad id à Rege & toto Concilio electus, ex novâ Revelatione (ut prætendebatur, ſed reverà aſtu quodam adhibito,) dictam Religionem clariùs explicavit, Regis Fidem confirmavit, Dubiis ſatisfecit, omnes ab erroribus ſuis reduxit, & tunc receptam Zoroaſtris Religionem veram eſſe demonſtravit; uti in hujus Operis ſequelâ ſuo loco fuſiùs monſtrabitur ex ipſius Libro *Erdavirâph-nâma* dicto, qui penes me ſervatur. Interim breviter accipe id quod p. 321. (interlin.) ibidem de totius rei eventu & ſucceſſu legitur: ſc. quòd tandem


Omnes in viâ Zerâtuſht Sphitamân Iverunt, in Religione τῆς Mazdiyaſenân.

Sphitamân breviatè legitur pro *Eſphintamân* Zoroaſtris patre. *Mazdiyaſenân* eſt eorum Codex ſacer Verbi Dei, (ſc. *Zeratuſhti* Scripta,) ut quando nos *Scripturam ſacram*, aut *Bibliorum Codicem* nominamus.

Porrò ex *Shahriſtâni* & *Xenophonte* & *Herodoto* conſtat, tam *Perſas* quàm *Scythas Sabios* Solis cultores, Ignem Sacrum ſervâſſe *ante* tempora Zoroaſtris. At cùm ille novos Ritus inſtitueret, & ejus ſuaſu, plurima Pyréa extruens *Guſhtâſp*, ad novos iſtos Ritus amicè invitaret vicinum *τῆς Turân*, ſeu *Scythiæ Orientalis* Regem *Argjâſp*, iſte pro vetere Religione Zelotes planè ſuccenſuit; & propterea alterum bello invadens, dicta Pyréa diruit & ſolo æquavit, ad tales in Religione Innovationes à Guſhtaſpe invitari renuens. Donec tandem Victor evadens *Guſhtâſp*, ea rurſus inſtauravit, ut *Megjdi* Hiſtoricus Perſa in *Guſhtaſpis* Vitâ multis tradit. A Perſis itaque talis Ignis, etiam hodiè, perpetuus & per plurima ſecula inextinctus, in omnibus eorum Pyréis die noctéque alitur, & per quaternos homines ſemper curatur & fovetur. A *Scythis* etiam, ſeu *Tataris*, Ignis hodiè (ut & olim) habetur Sacer, at non pari Rituum apparatu ſervatur.

In hac quidem Religione, omnem Ignem quodammodo honorant: & tamen (ut in Sacerdotio Levitico) valdè cauti ſunt ab *Alieno Igne*,

ne

ne in aliquod Pyréum introducatur & coram Deo ponatur: nullum Ignem æſtimantes verè Sacrum, niſi qui ritè & legitimè accendatur, ſc. vel à Sole, vel à Silice, vel ab Arâ alterius Pyréi, ubi Ignis Sacer diu conſervatus & legitimè primò accenſus fuit. Multa enim habent communia cum Judæis, à quibus hujus Religionis magna pars deſumpta eſt. *Suratenſes* nullum habent Pyréum, ſed (ut Judæi faciunt in Synagogis ſuis,) Lampadibus Olei in ædibus privatis conſervant Sacrum Ignem accenſum à Pyréo eorum in urbe *Núſſari*, quæ ad Lat. 20 graduum cum 40 minutis: eáque 10 milliaribus diſtat à *Surát*. Non autem accendunt ab urbe *Gúndavy*, (ut vult *Pet. de la Valle,*) 7 milliaribus diſtante à *Núſſari*.

Grave erat & malè mulctandum peccatum in eo cujus neglectu Ignis Sacer extingueretur, aut moreretur apud Judæos: nam Maimonides agens de Sacrificio jugi, Tract. VI. §. 6, ait, *Si quis Ignem Altaris (vel unum Carbonem de majore Rogo ſublatum) extinxerat, verberandus erat: at ſi Ignem Candelabri, aut Thuribuli extinxerat, impunè ferebat, utpote qui non tenebatur eſſe perennis.* Nec tale quid erat minùs mulctabile apud Perſas. Sed cùm Perſis eſſent plures ejuſmodi Ignes, id eis non erat æquè *portentoſum* ac fuit *Romanis*, apud quos, *unicus* tantùm fuit pro toto Imperio *Ignis ſacer*. *Græcis* erant plures Ignes *Delphis* & alibi: & *Pauſanias* notat Ignem perpetuum fuiſſe in *Cereris* & *Proſerpinæ* Templo, quem extinxiſſe nefas. Perſæ Ignem ſuum æſtimant tam Sacrum, ut nihil Igni ingratum facturi ſint: ideóque nec in Sacrum, nec in quemvis alium Ignem, unquam inſpuunt, aut ſordes injiciunt, & multò minus eum Aquâ extinguunt; nec *Candelam* exanimant, ſed ſponte emori ſinunt, uti etiam fecêre *Romani:* nec domûs ſuæ incendium aliter ſupprimunt, quàm per injectionem terræ, aut alio modo ſuffocando. Imò quod augeret flammam, Oleum adderent, potiùs quàm injicerent Aquam quæ extingueret, ſi alterum horum faciendum eſſet. Ignem non extinguunt Aquâ, utpote quæ ſit itidem ſacra. Præterea Aquam injicere, eſſet ſummâ vi & injuriâ utrumque violare & probro afficere, & inter duo Elementa ſacra pugnam inſtituere: adeò ut, florente olim Perſarum Imperio, Ignem & Aquam commiſiſſe, erat crimen capitale & malâ morte mulctandum piaculum, nec minore pœnâ expiandum, idémque in altero Mundo, poſt Reſurrectionem, variis ſuppliciis corporalibus puniendum credebant. Hinc neque Perſæ in *Indiâ* calens ferrum (utpote quod Ignem in ſe contineat,) in Aquam immittunt, ne violentiam inferant Igni, quod damnabile. Eâdem de causâ etiam Gladios non portant, nec

armati accedunt Ignem, ne violentiam illaturi & minaturi videantur. E contra autem, ignem alere & fovere, ſive communem, ſive ſacrum, meritorium habetur ; cùm tam ex Fide erga Deum, quàm ex pietate & bonis operibus ſalutem æternam ſperent, *ita tamen ut per Ignem* ; non quidem purgatorium, nam tale quid, ut in ſe abſurdum, ſic & illis prorſus inauditum : nec credunt ſupplicium aliquod futurum per Ignem.

Quoad veteris ſtirpis Perſarum Habitum, (dicente *Mandelſlo* & aliis teſtibus oculatis,) ii qui in *Indiâ* degunt, tam Sacerdotes quàm Laïci, albis veſtibus induti incedunt. Hoc autem ideò eſt, ut meliùs imitentur *Banianos Indos*, & in hoc ſe iis conforment, inter quos, & ſub quibus vivunt. Unde nec porcinam edunt : ſed urgente neceſſitate, eam tangunt. Hoſce in *Indiâ* Perſas *Magos* planè indigitavit *Diogenes Laërtius*, quos ſuo tempore dixit albis veſtibus indutos tunc eſſe. Et hi iidem ſunt quos *Mobéiyida*, ſeu *Candidatos*, vocat *Gjéubari*, المبيضة فرقة من الثنوية وهم المتسمع سموا بذلك لتبييضهم ثيابهم مخالفة للمسودة من اصحاب الدولة العباسية *Candidati ſunt Secta quædam Dualiſtarum, (ſunt nempe Al Mokánna',) qui ſic nominantur, quia albas induunt veſtes ; in contrarium Nigratorum qui ſunt homines Dynaſtiæ Abbaſidum.* Tales سپيد جامگان *Candidati* reverà ſunt Perſæ in Indiâ *Dualiſtæ*. Nomen *Mokánna'* ſignificat *Calanticâ indutos*, vel etiam *Galeâ indutos :* ſed prior ſignificatio eligenda, nam non gerunt Pileos tumentes ſicut Mohammedani. Sed cùm Perſæ in Indiâ degentes, ſint è patriâ exules & extorres, videntur etiam in quibuſdam aliis rebus (præterquam in Veſtibus) infecti alienis moribus, ſubjectione ſubacti, ideóque nec in opinionibus religioſis ſemper orthodoxi : unde horum praxis fortè non ſit ſemper probanda, nec ſint orthodoxis Perſis, tam in hoc quàm in aliis quibuſdam rebus, exemplar imitabile. Nam à veteribus Perſis antiquæ ſtirpis in Perſide, ubi liberiùs vivitur, in aliquibus rebus aliter fit : ibi enim gratiâ Ignis (apud eos qui regulares ſunt) quivis tam *ſplendens*, quàm *rubens* color, in omnibus cujuſcunque generis rebus, æſtimatur & ſacer habetur : & ut olim, ſic etiam hodie, (dicente *Thevenoto)* affectant induere veſtes flaveſcentes, aut rubeſcentes, flammei, ſeu latericii coloris, quippe qui ſit Ignem quodammodo referens ſimulánſque : hinc *Curtius* meminit in *Xerxis* ſolenni Proceſſione (ſecundùm numerum dierum Anni,) fuiſſe 365 *juvenes puniceis amiculis velatos*, i. e. rubeis. Et eodem modo, melioris notæ fœminæ Peplum luteum,

Flam-

Flammeúmve ponè dependere ſinunt, ſc. talis coloris Pallam muliebrem gerunt. In hujus Operis proceſſu, plura de eorum habitu ex Autore Gallico Autopte notantur. Atque propter ſupradictam cauſam eſt, quòd *Rubinus* & *Balaſcius* & *Carbunculus* & *Pyropus* & *Hyacinthus* ruber & *Granatus*, æſtimentur præ aliis Gemmis & in pretio habeantur. Et ſic in omnibus aliis rebus.

Et propter eam quam cum Igne inferore convenientiam habent, Stellas & Ignita Meteora & Coruſcamina & Ignes cœleſtes omnes in honore ſemper habuerunt, & etiamnum habent & magni faciunt. Et, ſi aliquem tetigerit Fulgur, id pro *fauſto omine* reputatur, quamvis eo tactus fortè lædatur; quia ſi quis ſit à cœlo tactus, id digito divino factum cenſetur: nam reſpectu puritatis, tam Ignis, quàm Sol & Luminoſa omnia ſunt cognata, & eorum opinione, res divinæ. Ideóque omnis Ignis, ſive ſit cœleſtis & ſuperior, ut Planetarum & Meteororum; ſive terreſtris & inferior, aliquid Sanctitatis & Beatitudinis in ſe habere creditur. Sed (ut ſupra dictum,) non ut Deus adoratur: Deum enim Omnipotentem cœli & terræ Creatorem ſolum adorant, idque devotiſſimè, ſcrupulosâ conſcientiâ malum fugientes & bonum facientes & exercentes, pietate & timore Dei excellentes, & pleraſque totius Orbis Gentes, in hac parte, ſuperantes. Et quidem de eis peculiariter notari debet, quòd veterum Perſarum Eccleſia & Gens ſola ſit & in toto terrarum Orbe unica, quæ (exceptâ Iſraelitarum & Judæorum lineâ ſacrâ,) continuò & conſtanter à ſuis primordiis, ſeu incunabulis, & ab ipſo Diluvio ad hoc uſque tempus, veri Dei notitiam & cultum ſemper, ſine ullâ temporum interruptione, retinuerit & adhuc retineat. Et quamvis (ut ſuperiùs notavimus,) *Sabaiſmi* & *Pyroduliæ* externâ ſpecie, Religionem ſuam veriorem interpolaverint & inquinaverint, & plurimas ſuperſtitioſas & peccaminoſas nugas cum vero cultu (ut *Lolium* cum *Tritico)* miſcuerint, id quidem, erroneæ conſcientiæ ductu factum, Dei timorem & cultum non excluſit, quin omni ævo, veræ Religionis & pietatis energiam ſemper retinuerint. Eos itaque tam miram Religionem habuiſſe, cum talibus nugis Dei timorem tenendo, atque ſoli Deo cultum divinum, Elementis autem & Planetis cultum tantùm civilem exhibendo; talem, inquam, eorum, in hac parte, praxin ante *ter mille annos* uſitatam, nunc ſerò tandem hiſce temporibus reſciviſſe & detexiſſe, certè juvat, multum juvat rereſcreátque! Omnis autem talis praxis in Sacro Codice damnata eſt. Quid verò de Deo crediderunt & adhuc credunt, quantopere eum honorant, & quanto ardore illum venerantur, (cum Fidei eorum ſummâ,

mâ, & omnibus illis Attributis, quæ à mortalium religioſiſſimis Divinæ ejus Majeſtati tribui ſolent, aut poſſunt,) ſub finem hujus Operis particulatim docebitur. Supradictæ erga Solem & Ignem cæremoniæ, (quatenùs ſunt reſpectus externi & tantùm civiles erga tam glorioſa corpora, dum veri Dei timorem & cultum, tam internè quàm externè, retinuerint & cum zelo exercuerint,) in iis qui S. Scripturæ lumine deſtituti, erant aliquantulùm excuſabiles: nam quamvis Zoroaſtres *viderit* & *noverit* Vet. Teſtamenti *Biblia Sacra*, ea tamen ſuis integrè non tradidit. Et, quòd ea quæ præſtant, ſint meræ civilitates potiùs quàm divinus aliquis cultus, vel hinc conſtat, ſc. quòd talia (referentibus *Perſ-Armenis* ut ſupra dictum,) erga Solem præſtant *Perſæ Mohammedani* & *Armeni Chriſtiani*, qui ambo ab omni Idololatriæ ſpecie ſatis remoti: inde, inquam, planum eſt quòd iſti omnes non reputant tale Homagium eſſe Idololatriam. Sed nihilominus, me judice, tale quid in iis qui S. Scripturam & Mentis Divinæ Revelationes nôrunt, (ut qui ſub Novo Fœdere nati,) eſt planè intolerabile.

Animalia noxia peculiari odio proſequuntur Perſæ, de quâ re alibi diximus: & è contra, alia quædam nimis æſtimant, ut *Canes*, & *Gallos gallinaceos*, &c. unde Canes ex religioſo Zoroaſtris præcepto paſcunt; & Gallos, labentis temporis nuntios, ita æſtimant, ut ſeveriſſimam commiſſi criminis pœnam ſubire contenti ſint, potiùs quàm Galli caput amputare. Inde meritò apud *Ariſtophanem* Perſica, aut Medica Avis habetur Gallus: & uſque hodie Gallinis adeò ſcatet Media, ut eo ferè ſolo cibo & earum Ovis (unâ cum carne Ovinâ) excipiantur noſtrates ibi peregrinantes. Ab illâ regione jam utiliſſima hæc Avis per totum Orbem multiplicatur. Hocque noviſſe juvat: nam rebus alienigenis, longo temporis tractu, apud nos factis tanquam indigenis, unde primò venerint tandem ignoratur; quod de multis Plantis & Arboribus verum, & de Animalibus haud paucis, atque etiam de pleriſque rebus aliis per commercium in uſum noſtrum aliunde adoptatis; cùm *antiquo tempore*, à toto Orbe magis diviſi & disjuncti eſſent *Britanni*, qui jam commercio conjunctiores.

Prædicta Perſarum Religio, ea eſt quæ, fermè ab ipſo Diluvio, in *Parthiâ* & *Mediâ* & *Perſiâ* apud Gentes ibi incolentes, duravit & viguit, quæ etiam hodie à dictarum gentium ſobole in eiſdem regionibus mixtim vivente continuatur. Hujus religionis *Metropolitana* Eccleſia, quæ à devotis peregrinantibus ſolenniter viſitari ſolebat, olim extructa fuit à Rege *Guſhtaſp* in urbe *Balch* prope confinia Indiæ: &

idem

idem Rex eandem Religionem tranſplantavit ex Perſiâ in ſuperioris Indiæ urbem *Keſhmîr*, ubi (uti colligitur ex *Bundâri Iſpahanenſi)* idem Rex extruxit Pyréum, illudque ſolenniter adire juſſit omnes Indiæ Regulos, miſſâ Idololatriâ ſuâ, illam Indiæ partem (ut videtur) ſub ſe tunc habens. Eam autem *Deicolam* Religionem brevi ibi extinxit *Indorum* Idololatria. Et tandem, longo poſt tempore, totaliter everſo Perſarum Imperio, & ingruente perſecutione, (ut fusè narrat D. *Henr. Lord*,) aliqua Perſarum pars conceſſit in Indiæ inferioris partes, ad *Surât* & *Núſſari*, ubi hodie eadem Religio ab eis ſervatur & colitur, & (ut poſtmodùm intelleximus,) *ultra* Indiam, in Inſulâ *Gilolo* etiam recepta eſt. Dicta migratio, ſeu fuga in Indiam, facta eſt tempore Regis *Yezdegherd filii Shahriyâr* veterum Perſarum ultimi, (à cujus *Inthronizatione* ſuam *Æram* ducunt veteres:) nam cùm *Othmân filius Affân*, circa annum Chriſti 646. cum ſuis *Saracenis* Perſiam invaderet & occuparet, aliqua Indigenarum pars, potiùs quam Tributis gravioribus vexari, aut incarcerari & omnibus bonis ſpoliari, *Iſlamiſmum* (Victorum Religionem) amplexa eſt, & *Saracenorum* jugo paruit; dum altera Indigenarum pars, veterum Rituum tenacior, potiùs quam ullâ vi ad Circumciſionem & alios Mohammedanorum Ritus novamque Fidem cogi, *(Zoroaſtrem* pro *Mohammed*, & *Zend* pro *Alcorano* commutando,) fugâ ſibi conſulens, in remoticres Regionis angulos & montes partim, partimque in Indiam ſeceſſit; & hi in hiſce locis veterem ſuam Religionem exercentes, hodiè pacificè vivunt, à Mohammedanis & reliquis rerum Dominis tolerati: ſed tamen contemptui habiti; & præſertim in *Iſpahân*, ubi Curia Regia, ſemper fuerunt pejus habiti quàm in aliis locis. Et nuper (quod dolens refero) iſti veterem ſuam Religionem deſerere & *Iſlamiſmum* amplecti fuerunt coacti à novo Perſarum Rege *Hoſein*, qui vetus iſtorum ſuburbium *Ghavr-abâd*, de ſe nominari juſſit *Hoſein-abâd*. In Indiâ autem (in *Surât* & *Núſſari* urbibus Provinciæ *Guzurât*,) victum quærunt plantando Nicotianam, & extrahendo Vinum Palmeum, & aliâ agriculturâ & mercaturâ, & quibuſvis occupationibus, exceptâ eâ Fabrorum Ferrariorum, propter reverentiam Ignis, ne eum profanare videantur: nec, ut ſupra dictum, ignitum ferrum (quamvis alius aliquis id in Ignem immiſerat,) in quovis liquore extinguunt, quod Fabris eſſet neceſſarium. Sed præſertim, multi eorum ſunt Textores telarum Indicarum, quæ tam in Europam quàm in omnes alias Mundi partes deferuntur. At Mohammedani nimis alto ſupercilio hanc & omnes alias Religiones aſpiciunt, & ut erroneas deſpectui habent, & eaſdem

hodie

hodie delere ſatagunt. Unde *Sheich Saadi* Mohammedanus Perſa *Shirazenſis*, olim, veteres noſtros Perſas æſtimans *Ignicolas* & *Infideles*, eos æquiparat Chriſtianis, de quorum Salute deſperat, & utroſque, ut miſellos, contemnit, magnificando Miſericordiam & Clementiam Dei qui tam indignos homunciones quotidiè ex Bonitate ſuâ alere & ſuſtentare dignatur, his ſequentibus verbis in Libro *Guliſtân*,

O quàm يا كريمي كه از خزانهٔ غيب گبر و ترسا وظيفه خور داري

Liberalis es, qui ex Theſauro abſcondito, Ignicolis & Chriſtianis quotidianum alimenti demenſum præſtas!

خوان نعمتت بي دريغش همه جا گسترده
باران رحمتت بي حسابش همه را رسيده

Menſa Beneficentiæ ejus profuſæ ubique ſternitur!
Pluvia Miſericordiæ ejus infinitæ ad omnes pervenit!

Nomen *Terſâ*, ſeu *Tarſâ*, quo heic *Chriſtiani* notantur, & alibi apud alios Autores notari ſolent, in quodam vocabulario (ut dicitur) ab aliquo Mohammedano exponitur *Idololatra*; ſed minùs rectè, niſi quatenùs Mohammedanorum opinione, aliqui Chriſtiani ſint Idololatræ, adeóque illi Termini apud eos ſint convertibiles. De hoc autem fusè egimus in Diſſertatione quam, ante aliquot annos, emiſimus, pro Bibliorum Polyglottorum Defenſione, contra *Carmelitam* quendam, ſui *Ordinis* olim in Perſiâ *Præfectum*; qui jam in viciniâ agens, nihil hactenus repoſuit, ut me defuncto, impunè id facturus ſit.

Hoc autem præſens Opus quod ſpectat, in eo, pauca quædam extraximus ex *Græcis* & *Latinis*, & alia quædam ex *Arabibus* & Perſis *Mohammedanis*. Sed Mohammedani haud multa produnt de Magorum Ritibus, utpote quos vilipendunt, & ex ignorantiâ & malitiâ eos aliquando invidiosè repræſentant. Nos itaque abſtruſiores res, ex obſcuris ſuis latebris, ſedulâ diligentiâ & diſpectione eruendo, genuinis ipſis Veterum Perſarum Monumentis præcipuè freti ſumus, ex eorum mente & tenore in ſequentibus dicturi, inde eliciendo quantum de *vetere Perſiſmo* & eorum Magiſmo impræſentiarum ſitienti animo ſufficiat, donec *ipſiſſima Zoroaſtris Scripta* (quantivis certè redimenda) publici juris fortè facta fuerint, ſi modò Bonarum Literarum Fautoribus tale quid Sumptibus ſuis procurare & promovere videbitur; ut illam Antiquitatum partem, nondum tentatam, & hactenùs inexploratam, nobis tandem ſcrutari & rimari liceat. Et ſanè, (niſi ſurdeſcat ævum,) ſi aliquid hujus generis præſtandum ſperetur, oporteret, ut jam ſtatim ſuppeditatis neceſſariis ſumptibus, (ſine quibus id nunquam fieri poterit,) mox inchoetur & acceleretur biennalis opera præparatoria,

peratoria, quæ ad res ex Oriente coëmendas requiretur; ut (ſi interim ex Oriente comparari potuerint,) quam primùm Prelum ab hoc Opere vacaverit, immediatè aggrediamur alterum illud Typis mandare: ne fortè aliàs dum moras trahimus, cito pede prætereunte ætate, planè excidat illud deſignatum & hactenùs deſideratum Opus (quale eſſet *Zoroaſtrianorum editio*,) antequam ad optatum finem perducatur. Ego, ex meâ parte, paratus ſum ſuſcipere laborem, & (quantum in me eſt) aliquid in bonum publicum præſtare. Perpendant Cordatiores an operæ-pretium ſit, necne? ut, ſi tale quid ſit deſiderabile, & tamen nunquam fit, non in nos culpa redundet, ſed in illos ditiores Literarum Patronos qui tale præconium à nobis jam per aliquot annos audiverunt. In hiſce rebus ex Oriente procurandis, erit difficultas, cùm Incolæ, ex Religioſo Præcepto, ſint talium rerum tenaces, & in eis prodendis valdè cauti. Sed nihilominus per pecuniæ vim & alias artes, ad nos cogi & feliciter deduci poterunt talia Orientis κειμήλια, aliàs ad nos nunquam perventura: quia me defuncto, apud nos fortè pauci erunt ſuperſtites, qui *Quid* ſit comparandum, & *Ubi* locorum inveniendum, & *Quomodo* id ad nos deducendum ſit, noverint. Ideóque dum vivitur & aurâ veſcimur æthereâ, aliquid citò in hujuſmodi opere faciendum videtur; nam poſt fata ceſſandum: *fronte capillatâ, pòſt eſt occaſio calva.* Additâ autem primâ vi, quæ eſt motionis continuandæ principium, dum in præſente Opere heic edendo ſudatur, indies ad nos properabit accita materia: imò dum heic dormitur, aut aliud agitur, nocte dieque confecto itinere & ſulcato æquore, aliunde ad nos accelerabitur.

In hoc autem Opere quod jam præ manibus eſt, in unum congeſſimus pleraque (ſive bona & orthodoxa, ſive mala & hæretica,) quæ de Magorum Religione ſparſim apud Autores leguntur. Cùm itaque in hac Religione fuerint Sectæ plures quam 70, (uti etiam ſunt in Chriſtianitate,) non eſt expectandum, ut omnia quæ de eorum Religione fortè dicta fuerint, pertineant ad Magos orthodoxos, ſed aliqua etiam ad hæreticos; haud magis quàm omnia quæ de Chriſtianiſmo alicubi dicta fuerunt, ad ſolos Orthodoxos pertinuiſſe cenſeantur, nec aliqua ad Hæreticos, cùm plurimæ fuerint etiam in Chriſtianitate Hæreſes. Hac enim ratione (propter talem inibi malorum & bonorum miſtionem & farraginem,) de tota Chriſtianitate ſtatim peſſimè ſentirent eámque damnarent Gentiles, de quorum converſione aliàs ſperare poſſemus, & Dei Nomen blaſphemaretur inter Gentes; ſi tam iniquo modo judicarent. Magorum autem Secta orthodoxa (breviter) ea eſt

quæ de duobus Principiis credit unum fuiſſe æternum, alterum verò creatum; Deum eſſe amandum & adorandum eique ſoli ſerviendum, Diabolum autem deteſtandum & odio habendum; cum multis aliis rebus Dei Unitatem & alia ejus Attributa ſpectantibus. Hæretici autem fuêre tam alii, qui in proceſſu hujus Operis enumerantur, quàm Magi Dualiſtæ (ut vocantur) ſtatuentes hæc duo Principia fuiſſe coæterna, &c. ut *Manichæi*, & alii in aliis rebus minùs orthodoxè ſentientes, qui infrà ex Autoribus memorati: cùm non ſit expectandum ut ulla unquam Gens ſuos omnes habeat orthodoxos. Nam ſemper fuit, & etiamnum erit impoſſibile, ut in ulla Religione omnes idem ſentiant, quin judicii diverſitas ſit de quovis ferè Religionis Articulo: unde in omnibus totius Orbis Religionibus tot Sectæ & Diviſiones emerſerunt, & ex improborum & ſtultorum hominum corruptis cordibus & inventionibus, tanquam è Tartaro pullulârunt. His adde, quòd contra Perſas quædam ſint falsò & malitiosè dicta per Mohammedanos & Græcos & alios hujus populi eorúmque Religionis inimicos, & rerum eorum ignaros & iniquos æſtimatores, quæ ab ipſis Perſis & eorum amicis longè aliter dicuntur. Ideóque, cum aliquid de iſto populo refertur, candidus Lector debet perpendere, qualis ſit Relator & quænam ejus Religio, an Mohammedanus, vel aliàs vetus Perſa, & an horum res ſatis calluerit; ut ita æquum de tali ſententiâ & de hac Religione judicium ferre valeat. Prætereà, multa irregularia aliquando facta fuêre à quibuſdam Perſarum Regibus, qui ex plenitudine poteſtatis, pro libitu ſæpè fecerunt, & fieri juſſerunt ea quæ non erant ſancta; quibus orthodoxi Sacerdotes non potuerunt reſiſtere eáve impedire. Unde tanta olim Magorum cura, ut Reges & Regum filii inſtituerentur in orthodoxiâ, utpote à quâ tandem (ut ſperabatur) ne latum unguem diſceſſuri eſſent.

Propter dictas cauſas, in hoc Opere perlegendo, ſupradicto modo ſentiendum eſt de multis quæ in eo ſparſim traduntur; & cum dictis limitationibus & cautionibus de Magorum Religione judicandum; nec ſtatim omnia quæ de Magis unquam dicta fuerunt, vero Magiſmo impingenda; cùm ſanè orthodoxi talia non faciant, nec agnoſcant. Inſuper Perſarum Magia, (quæ præcipuè erat Theologia & Philoſophia naturalis,) diligenter diſtinguenda eſt à maleficorum Diabolicâ Magiâ, quæ Perſarum Magis planè Ignota fuit. Qualis autem fuerit Magorum vera & Reformata Religio, tum demum pleniùs innoteſcet, & de eorum orthodoxiâ tunc rectiùs judicabitur, quando ſupradicti Zoroaſtris (Viri, omnium conſenſu, Doctiſſimi) Libri integri lucem viderint;

viderint; ex quibus etiam multa Philoſophica & Hiſtorica & Medica & Aſtronomica & Aſtrologica in ſinu temporis, & Archivis Perſicis nondum recluſis, hactenùs latentia, in publicam lucem emergent. Nam ſolam Religionem ſpectat Liber *Sad-der* qui heic exhibetur, qui eſt breve quoddam Compendium, ſeu Manuale, à docto quodam Sacerdote, olim in uſum vulgi, ex ejus Libris Theologicis ſelectum, & affectato ſtylo, compoſitum carmine, quod ſemper vitavit Zoroaſtres, omnia ſua conſcribens prosâ. Et quamvis iſte Liber pro Canone habeatur, ejus Contenta, reſpectu totius, ſunt tantùm pauca. Doctiores, veterem Linguam & Literas (quibus ejus Opera ſcripta ſunt,) callentes, plura & meliora ſciunt. Sed interim, Partem noviſſe, eſt melius quàm totum ignoraſſe.

Cap. II.

Quomodo veteres Perſæ ſuam eſſe Abrahami Religionem jactitant, illâmque ei acceptam referunt: quâ occaſione heic exhibetur nova Vitæ Abrahami Hiſtoria, & de verâ ejus Religione diſquiſitio, & Perſicæ Religionis cum eâ Collatio, &c.

DICTA veterum Perſarum Religio ab Arabicè loquentibus nuncupata eſt ملت ابراهيم *Millat Ibrahîm*, & à Perſo-Medicè loquentibus كيش ابراهام *Kîſh Abrâhâm*, quæ utraque ſonant *Religio Abrahami*, gloriando eam primò ab Abrahamo Patriarchâ & Fidelium Parente profectam. Inde eſt quòd eorum Liber eandem Religionem continens docenſque, ab Orientalibus Arabicè vocetur صحف ابراهيم *Sohfi Ibrahîm*, i. e. *Liber Abrahami*. Quibus aliis etiam nominibus, tam Abraham ipſe, quàm dictus Liber gaudeat & Titulis decoretur, infrà ſuo loco dicetur.

Dictum Librum cœlitùs *Abrahamo* demiſſum credunt Perſæ veteres, eodem modo, quo à *Muſlimis* creditur *Coranus* Mohammedi demiſſus, *Evangelium* Chriſto, *Lex* Moſi, & *Pſalmi* Davidi. Et apud Shâh-Cholgji Perſam, inter Muſlimorum Dies celebriores, notatur peculiaris hujus rei Dies, ubi legitur, غرهٔ رمضان ــ نزول صحف بر ابراهيم ع م *Novilunio Ramazân fuit deſcenſus* ꝛ̃ *Sohf ſuper Abrahamum, cui pax.* Nomen *Sohf* à Perſis uſurpatum, ex vi vocis, Arabicè

eſt *Codex*, ſeu *Liber* in genere. Atqui, ſaltem Decem Libros ad Abrahamum deſcendiſſe ajunt, quorum Decimus habetur *Pâzend*, plenus conſiliis & ſapientiâ & ſecretis. Quin & omnes *Zerduſhti* Libros (qui plures ſunt) in cenſum Librorum Abrahami venire volunt. Decem Libros Abrahami etiam numerat *Abu Mohammed* Arabs. Omnium autem peſſimè nugantur Judæi, Abrahamo tribuentes Librum merè Cabbaliſticum, cui Tit. ספר יצירה *Liber Jetſirà*, ſeu *Creationis*.

Horum Librorum deſcenſum, ſeu demiſſionem, craſſiore modo affirmare videntur Orientales, ſi illorum nuda verba ſpectemus: ſed hoc tantùm volunt, ſc. quòd dictorum Librorum ſenſus à cœlo inſpiratus fuit dictis perſonis. Abrahamum itaque in re ſacrâ Perſicè پیشوا *Píſhvâ*, ſeu Arabicè امام *Imâm*, i. e. *Antiſtitem* ſuum vocant aſſerúntque, illúmque ſibi ut Patronum vendicant, ſeipſos illius Aſſeclas ejúſque Religionis ſequaces jactitantes. Prætereà (ut videtur) volunt eum aliquando vixiſſe in *Bactris*, quæ بلخ *Balch*; unde in *Epit. Ruſtemi AlMáulavi* legitur بلخ شهر ابراهیم پیغامبر ع م *Balch eſt urbs Abrahami Prophetæ, cui pax.* Iſta urbs verſus Indiam in ulterioribus partibus Ditionis Perſicæ ſita eſt: Abrahamum autem unquam eas partes luſtrâſſe, aut ad eas peragraſſe, ex ſacra Hiſtoria colligi non poteſt. Prætereà obſtat, quòd *Balch* condita fuit à Rege *Lohrâſp*, longè poſt tempora Abrahami: ideóque ſi quid inſit, pro *Balch* ſubintelligenda eſt antiquior ibi urbs *Bamiyân*, in cujus locum (vel ad parvam diſtantiam) ſucceſſit *Balch*, ubi *Lohraſpis* filius *Guſhtâſp* extruxit inſigne Pyréum, multis divitiis ditatum, & reditibus dotatum, ad quod (cùm haberetur urbs Abrahami) tanquam ad ſacrum locum quotannis ſolennem Peregrinationem Religiosè ſuſcipere ſolebant veteres Perſæ, ut *Arabes* hodiè faciunt ad *Meccam:* ſic Libri Perſici *Shahnâmæ* Interpres Arabs *Bundâri* Iſpahanenſis, — بلخ وكانت عند الفرس بمنزلة مكة عند العرب *Balch fuit Perſis ſicut Mecca Arabibus.* Mihi autem videtur quòd *Balch* vocata fuerit *Urbs Abrahami*, quia propter Religionem Abrahami (ut vocant) fuit celebratiſſima; non autem quaſi Abraham ipſe aliquando ibi fuerit, aut ibidem vixerit.

Quin & Abrahami famam hauſerunt pleræque Gentes, etiam Idololatricæ; quarum aliquæ eandem, in bonam partem, & aliquæ in malam partem, traxerunt: tam celebris per totum Mundum fuit Abraham! Scilicet ſumma ejus erga Deum pietas, & maximus apud Deum favor, ubique terrarum percrebuit, & ejus fama de offerendo Iſaaco,

&

& de intentione eundem immolandi, apud Gentes diffusa est tanquam de Isaaco actu immolato; quâ itaque in parte, perperàm interpretatum, malè cessit Abrahami exemplum. Nam ex malè intellectâ Abrahami Historiâ, Ethnici elicuerunt, Quòd si aliquis grande aliquid à cœlo petendum haberet, id obtineret per Holocaustum humanum, sc. comburendo filium suum primogenitum, uti feciſſe crediderunt Abrahamum. Inde Vivicomburium prævaluit apud erroneas Gentes, à quibus infecti fuêre Israelitæ, tanquam novâ quâdam doctrinâ à cœcutientibus receptâ, qui primi hujus erroris fundamenti immemores. Apud *Plutarchum* in Libro de *Superstitione* p. 171, de Fœminis Gentilibus memoriæ proditum, *Quæ nullam habebant prolem quam Idolis mactarent, emebant à pauperioribus Infantes, tanquam Agnos, aut Pullos mactandos; &, si Mater adstans fleret, mulctabatur pretio. Et ante Simulachrum, omnia strepitu Fistularum & Tympanorum* [Tabour and Pipe] *opplebantur.* Meritò itaque ad meridiem Hierosolymorum, talibus Sacrificiis destinatus locus dicebatur *Tophet*, à *Toph*, quod est Tympanum parvum unâ tantùm facie præditum, ad quod fistulâ canebatur. Hoc cum S. Scripturâ convenit eámque confirmat, Testimonio ab extra petito, quod melius. Harum autem Gentium posteri talia facientes, ea non nominatim referunt Abrahamo, primi sui Instituti occasionem ignorantes. Tam diabolici fuerunt Imitatores falsi & Pseudomimi.

Ab Abrahami exemplo (ut eis videbatur) filium primogenitum offerendi, procedebant ad offerendum quemvis filium, aut Hominem in genere, tacito Abrahami nomine; idque non semper filium, aut filiam comburendo, sed & defodiendo in terrâ & demergendo in aquis. *Plutarchus* de *Amestre* Xerxis uxore refert, *Quòd ipsa defodiebat XII homines vivos pro sese τῷ Ἅδῃ.* Hujus Historiæ meminit *Herodotus*, qui etiam parem de Xerxe historiam præmittit: nam p. 477. de Xerxe ejúsque exercitu in Græciâ agens, narrat, *Per Novem vias Edonorum ivêre, juxta quas Strymonem pontibus junctam invenêre. Audientes autem eum locum* Novem vias Edonorum *appellari, totidem illic Pueros ac Virgines virorum Indigenarum vivos defoderunt. Persicum enim est defodere viventes. Nam & Amestrin Xerxis uxorem, jam provectæ ætatis, audio bis septem Illustrium Persarum Liberos defodisse, ad referendam pro se gratiam deo qui sub terrâ esse fertur.* Idem fecêre *Romani* casibus extraordinariis, ut *Livius* docet Lib. II. cap. 57, *Ad Oraculum missum, ut sciretur quis tandem esset finis Cladibus quæ Imperium afficiebant. Interim, ex Fatalibus Libris, Sacrificia aliquot extraordinaria facta;*

facta; inter quæ, Gallus & Galla, Græcus & Græca, in Foro Boario vivi demiſſi ſunt in locum ſaxo conſeptum. Ægyptii ſubmergendo vivam virginem, fecêre victimam: ii enim quotannis (referente *Múrtadi*) *Virginem* ſacrificabant *Nilo* ſuo, ut juſtum ſuum Incrementum ſervaret. Sed quo tempore Ægyptum ſubjugarent *Mohammedani*, Generaliſſimus Dux *Amru filius Aas*, ut Victor, ingrediens menſe *Baun*, tam hunc quàm alios Ethnicos eorum Ritus Edicto prohibuit & abolevit. Unde conqueſti ſunt, ſe non poſſe in regione ſuâ ſubſiſtere abſque Incremento Nili, qui ſervabat Regulam ſuam ſecundùm Legem quandam. Illo interrogante, *Quænam eſſet Lex?* Reſponderunt, *Hujus menſis Baun* 12 *die accipimus Virginem, (ſatisfactione priùs datâ parentibus,) quam adornamus veſtibus pretioſis & gemmis; & eandem, nocturno tempore, in Nilum projicimus, ut aquis ſuffocetur.* Ille autem dixit, *Hoc non poſſe continuari per Legem Muſlimanicam, quæ omnes profanas conſuetudines tollit.* Quin & Arboribus & reliquis Diis falſis, apud alias Gentes, litari ſolebat Victimis humanis, ut ſuo loco fuſiùs dicetur.

Aliæ quædam Gentes erroneas res ſuas tam celebri Autori diſertè & nominatim referre geſtiebant primitùs: quamvis jam hodie & à multis ſeculis originalis Inſtituti cauſa apud eos in oblivionem abierit. Nam Indorum Idololatricorum (in ſuâ vix intelligibili Religione myſteriosâ, quæ tam ſpecioſo nomini non reſpondet,) Antiſtes olim primarius perhibetur برهما *Brahma*, ſeu *Brâhama*, qui ab *Abrahami* nomine *Hebraico* ſic vocatus creditur, *Abrahamum* ipſum hoc nomine indigitando; ut & à *Perſico* ejus nomine *Brâhâm*, dictæ Religionis Indicæ Sacerdotes etiam (ut in Libro *Pharh. Sur.*) dicuntur برهمن *Brahman*, ſeu *Bráhaman*; quos quaſi אברהמיים *Abrahamitici* ſic dici volunt Judæorum Docti, ſpecialiter Autor Libri *Shilte Gibborîm*. Arabes Abrahami ipſiſſimum Nomen (pueris aut juvenibus applicatum) ſubinde diminutivâ formâ efferunt بريهيم *Boreihîm*, ſeu *Breihîm*, vel بريه *Boreih*, ſeu *Breih*, ſive ابيره *Obeirih*, quibus omnibus notatur *Abrahamulus*. Hæc in plurali ſunt ابارمة *Abârima* & ابارهة *Abâriha*, & ابارة *Abârih*. Hæ quidem formulæ rem prædictam illuſtrant, monſtando in quàm varias formas Abrahami nomen aliquando torqueri ſolebat. Supradictam etiam opinionem tradit *Shahriſtâni* Arabs, quam tamen putat ſe refutâſſe, quamvis reverà eam potius confirmaverit,* dicendo, *Quoſdam exiſtimare* براهمة *Brahamanos ſic dici ab* ابراهيم *Ibrahîm; id tamen fieri non poſſe, quia iſti* [ſc. Indi] *omninò*

* In calce ſui Libri, ubi de Religionibus *Indiæ* agit.

negant

negant omnem Prophetiam; populum verò qui credit in Prophetiam Abrahami, esse Dualistas, qui asserunt Lucem & Tenebras. Sed Brahamanos sic dici ab homine cui nomen ابراهام *Abrâhâm.* Hoc modo *Shahristâni* disputat contra seipsum, sc. ignorando quòd *Ibrahîm* apud Arabes sit idem nomen quod *Abrâhâm* & *Brâhâm*, quæ dicti nominis Abrahamitici forma apud Persas.

Dictus autem *Shahristâni* haud gratis de Abrahamo loquitur tanquam de propheta: nam qui in Bibliis dicitur נביא *Nabi*, aliàs etiam dici solebat חוזה *Chozè*, seu רואה *Roè*, i. e. *Videns, prævidens*, qualis fuit Abraham; id quod *Christus* de eo testatur, *Abraham vidit Diem meum, & gavisus est.* Sed quòd is reverà fuit Propheta, aliàs testatum relictum est ab ore Dei, *Gen.* XX. 7, *Nunc itaque restituite homini uxorem suam, nam is est Propheta*: sc. familiari Dei colloquio honoratus, & divinâ Revelatione donatus, ut in casu Sodomæ & aliter; quippe qui omnium Fidelium Pater, Fide insignis, Prævisione notabilis, & toti Orbi timoris divini, pietatis, justitiæ & obedientiæ semper imitandum Exemplar. Alibi etiam vocatur Propheta, ut *Tob.* IV. 12, *Nos enim sumus filii prophetarum Noæ & Abrahami & Isaaci & Jacobi.* Et sic apud Orientales semper audit ابراهيم پيغامبر *Abraham propheta.* Et in altero *Arabico* Libro *de Primis & ultimis*, multa *Prima* tribuuntur Abrahamo, quòd scil. ille fuit *Primus* quem fecit Deus Patrem Prophetarum, cùm ex ejus lumbis prodierint 1000 prophetæ à suo tempore ad Mohammedem. *Primus* qui migravit à suis in viâ Dei & religiosè fugit. *Primus* qui vestibus nudatus fuit in viâ Dei. *Primus* qui discessit è patriâ suâ in causâ Dei, servando fidem suam. *Primus* qui hospitio excepit Hospites, inde dictus *Pater Hospitum. Primus* qui extruxit Domum pro Hospitibus, faciendo eam cum duabus Portis. *Primus* quem Deus nominavit *Haniphæum*, eximendo eum à vocationibus vel Judaismi, vel Christianismi. *Primus* qui *Muslimos* nominavit *Haniphæos. Primus* qui in ignem projectus fuit pro causâ Dei, & Ignis fuit super eo refrigerans & salutaris. *Primus* qui mortuos suscitavit per preces suas. *Primus* Prophetarum & Constantium, qui tentando probatus fuit. Hinc Noah & Abraham & Moses & Christus emphaticè vocantur اولو العزم *Homines constantiæ.* Hactenus ille. Et cum his ibidem adduntur alia multa, quæ omnia desumpta sunt ex تاريخ قدسي *Arabico Chronico Hierosolymitano.*

Ille etiam fuit Sacerdos, uti fuit quodvis familiæ Caput, ut Cain & Abel, & Job, quamvis Rex; aliàs enim (ex Judæorum sententiâ) non

non habuiſſent jus offerendi Sacrificia. Abraham obtulit Beſtias & Aves; & illas diviſit, has non item. Et, ut Holocauſtum, offerre voluit Iſaacum, quamvis (à Deo rurſus prohibitus) eum non immolaverit. Sacerdotum etiam Poſt-diluvianorum ſummus & ſenior fuit Noah, qui ideò Arabibus dictus شيخ المرسلين *Sheich Al Murſelin*, i. e. *Senior Prophetarum*, ſeu eorum Magiſter & Doctor. Et poſt eum, talis fuit *Shem* Hieroſolymorum Rex, ſcil. *Melchiſédek*, qui vitam prorogavit ferè (ſc. minus 25 annis) ad mortem Abrahami, cui Abraham ſolvebat Decimas Spoliorum, ut *Act.* VII. 4. Et ſic ſtatuunt plerique Judæi, excepto *Aben-Ezrâ*, qui *contrarium* ſtatuit, ſc. Melchiſedekum dediſſe Decimas Abrahamo. At non obſtante Abrahami exemplo, Judæi vix agnoſcunt Spoliorum Decimas ſolvendas, quia non eſt poſitivum præceptum: ſed tamen voluntariè, abſque Decimarum nomine, partem Deo dabant, ut *Num.* XXXI.

Abrahamum autem quod attinet, in Occidentalibus etiam Mundi partibus, olim apud puros Ethnicos invaluit fama ejus, ut Viri Sanctiſſimi & Religionis Antiſtitis celeberrimi. Nam referente Lampridio, *Alexander Severus* Romanorum Imperator Ethnicus, *effigies Apollonii & Chriſti & Abrahami & Orphei in majore ſuo Larario inter Divos Principes & Animas ſanctiores poſuit*, ibique conſecravit. Proh deûm atque hominum fidem, in quàm miſerum Nebulonum, in hoc Larario, conſortium inciderunt Chriſtus & Abrahamus, infeliciter inter nequitiæ Duces illapſi!

Et, ut in omnibus rebus præferatur Abrahamus, & ipſe ut omnium bonarum rerum Exemplar ſtatuatur, in *Turcarum* Liturgiâ publicâ orant Deum, ut propitiùs ſit *Mohammedi & familiæ ejus, uti propitius fuit Abrahamo & familiæ ipſius.*

Cumque laudabile ſit res ſuas ab Abrahamo denominare, Mohammedani expreſſè aſſerunt hodiernam ſuam Religionem eſſe eam Abrahami; idque meliore prætextu, cùm non tantùm Deum verum & unicum hodiè colant, (ab omni Idololatriâ & Sabaiſmo, quibus olim infecti fuerant, abhorrentes,) ſed & cùm Arabes, præcipuos hujus Religionis cultores & ſequaces, ab Abrahamo rectâ lineâ, ſecundùm carnem, deſcendiſſe, ejúſque naturalem ſobolem eſſe, nemo dubitet: unde neceſſarió, de Protoparentis ſui Religione, antiquitùs proculdubio aliquid inaudiverint, eaque illis innotuerit; quamvis fœdè olim eam deſeruerint, donec palantes reduceret *Mohammed*, (quod opus valdè laudabile,) eos ab Idolorum cultu ad veri Dei notitiam ducendo.

Et

Et propter Abrahami famam, aliqui, quibuſcum collocutus ſum, *Conſtantinopolitani* affectabant vocare Linguam ſuam Turcicam ابراهيم دلي *Ibrahîm dili*, ſeu *Linguam Abrahami*; quamvis ea vulgò à *Turcis* vocetur مسلمانجه *Muſlimântcha*, *Lingua Muſlimánica*, & عثمان دلي *Othmân dili*, *Lingua Othmanica*, à Turcarum Inſtitutore & Duce *Othmân-Beigh*, qui ferè 400 abhinc annis hodierni Imperii Turcici fundamenta in Europâ jecit.

Quòd autem Orientales Religionem ſuam ab Abrahamo arceſſere prætendant, conſtat ex authentico Turcarum *Catechiſmo* MS. *Turcicè* conſcripto, cui Titulus اصول دين *Oſûli Dîn*. i. e. *Principia Religionis:* Liber ipſe poſſidetur à Doctiſſimo D. Tho. *Gale* Londinate. Ibi (inter alia) agitur *de mortuorum Quæſtione & Torturâ*, de quâ etiam nos fusè egimus in Notis ad *Relig. Turc.* Et ibidem in dicto Catechiſmo docetur quomodo à Muſlimis omnibus reſpondendum ſit Angelis Inquiſitoribus poſt mortem tempore Inquiſitionis, ſequente modo: اگر صورسلر كم كيمك ملتي سن جواب ويرسكم ابراهيم خليل ملتيم اگر صورسلر كيمك مذهبندن سن جواب ويرسكم امام اعظم ابو حنيفي كوفي مذهبندنم اگر صورسلر پيغمبرمزك مذهبي كمدندر جواب ور ابراهيم خليل مذهبندندر وابراهيم آدم صفيدن *Si de quânam Religione ſis, interrogaverint*; *reſpondeas, Ego ſum de Religione Abrahami Amici* Dei. *Si de quâman Sectâ ſis, interrogaverint*; *reſpondeas, Ego ſum de Sectâ Abu-Hanîphi Cuphenſis. Si interrogaverint, de quânam Sectâ fuerit Propheta noſter, reſpondeas, Eum fuiſſe de Sectâ,* ſeu *Religione Abrahami Amici* Dei. *Et quidem Abraham fuit ab Adamo ſincero,* ſeu *Sancto.* Adam enim Orientalibus dicitur صفي الله *Saphiyo'llâh*, i. e. *Sincerus Dei.* *

Ut autem pergamus; in Corani *Sur.* 3 *de familiâ Amrân*, docetur quænam (ex Mohammedis ſententiâ) fuerit Religio Abrahami; ſc. quæ Dei Unitatem aſſerit, non conjungendo cum eo ſocios ſeu pares: ibi enim legitur, قل صدق الله فاتبعوا ملة ابراهيم حنيفا وما كان من المشركين ان اول بيت وضع للناس الذي ببكة مباركا وهدي للعالمين فيه آيات بينات مقام ابراهيم *Dicito, Verax eſt Deus, ideóque*

* Hoc in loco à Lectore peto, ut ſi fortè inciderit in ſupradictas Notas noſtras ad *Relig. Turc.* p. 20, velit ibi corrigere Lapſum noſtrum, quo (fallente memoriâ) in hujus loci recitatione ibidem factâ, ſcripſimus *Al Hanbal, & Hanbalæa,* pro *Al Hanîphi, & Haniphæa.*

ſequimini Religionem Abrahami ut ſitis Haniphæi; nam is non fuit ex Aſſociatoribus. Utique prima Domus quæ poſita fuit hominibus [pro Viſitatione ſacra,] *ea eſt quæ in Becca* [ſeu Mecca] *in Benedictionem & Directionem Mundanorum. In eâ ſunt Signa manifeſta*, ſc. *Statio Abrahami*, &c. Ex hoc Mohammedis dicto, conſtat Arabum traditionem fuiſſe, quòd Abraham fuit Fundator Templi Meccani: & inter hujus rei ſigna manifeſta, habetur *Statio Abrahami*, ut indelebile & & hodie ſuperſtes monumentum. *Statio Abrahami* eſt حجر اسود *Lapis niger*, quo volunt Abrahamum miraculosè adjutum fuiſſe in extructione *Caabæ*; ſcil. dum eum loco Parapegmatis habuit ſtando ſuper illum, ille Lapis ſurſum & deorſum ſe ſponte movebat pro occaſione ſtructuræ. Et idem hodie in Templo Meccano religioſè ſervatur. Propter inſignem Abrahami ſanctitatem & favorem apud Deum, omnes Regiones per quas tranſivit, notabile aliquod ejus memoriale retinere ſemper cupiverunt. Et quidem certum eſt Abrahamum, in ſuo ad Terram promiſſam itinere, tranſiviſſe per medium Arabiæ. Hinc itaque Arabes colligunt eum diverſatum fuiſſe in *Mecca*, ibique extruxiſſe Oratorium, ſeu Sacellum: unde ille locus tam ſacer habitus eſt, & ſacrâ Viſitatione quotannis adeundus præſcribitur in *Alcorano*; qui etiam poſteà Mohammedis nativitate nobilitatus. De dictâ Traditione certò perſuaſus videtur Mohammed, ideóque in ſuâ ad Arabes Concione, ſeu *Homilia* ſecundâ p. 11, 12, 14, Abrahami Orationem, ſeu precandi formulam in jaciendo fundamento exhibet, tanquam Dei juſſu recitans Mandatum pro Sacelli, ſeu Templi *Caabæ*, extructione, & pro ſolenni peregrinatione ad illud faciendâ. Hæc etiam videri poſſunt in Homiliâ XXII. p. 105, ubi pariter ordinatur ſolennis Proceſſio ad illam بيت العتيق *Domum antiquiſſimam.* †

Libri *Mu'gjizât* Autor Mohammedanus Perſa, p. 223, de veteribus Arabibus eorúmque Religione loquens, dicit عرب در قديم زمان بر ملت ابراهيم بوده‌اند پس از آن مختلف شدند *Arabes olim fuiſſe Religionis Abrahami; poſteà tamen ab eâ in diverſum abiiſſe.* Nempe prope tempora Abrahami, illius Religionem profeſſi ſunt Arabes: poſteà verò evaſerunt Idololatræ. Sed rurſus tandem ad unici Dei cultum reducti ſunt operâ Mohammedis, (quod fuit bonum opus,) omni Idololatriâ prorſus exactâ; ut hodie eſt apud Mohammedanos qui omnem Idololatriæ ſpeciem exoſam habent: nec Mohammedem

† Hoc Sacellum, ſecundum quoſdam, eſt 12 pedes latum, 15 pedes longum: & ſecundum *Sherîpho'l Edrîſi*, eſt 23 cubitos latum, 24 cubitos longum, 27 altum.

colunt,

colunt, uti fabulantur noſtratium aliqui harum rerum ignari. Cùm itaque ferè quævis Religio ſua Inſtituta ab Abrahamo derivare ſatagat, ſic etiam faciunt Mohammedani; ideóque Pſeudopropheta Mohammed in dicto *Corani* Capite † *de Familiâ Amrân*, deridet Judæos & Chriſtianos ſuam Religionem referentes Abrahamo, (cujus religio ab his diverſa fuit,) his verbis يا اهل الكتاب لم تحاجون في ابراهيم و ما انزلت التورية و الانجيل الا من بعده افلا تعقلون ها انتم هاولاء حاجتم في ما ليس لكم به علم والله اعلم وانتم لا تعلمون ما كان ابراهيم يهوديا ولا نصرانيا ولكن كان حنيفا مسلما وما كان من المشركين *O populi qui Biblia amplectimini, quare inter vos diſputatis de Abrahamo, cùm non deſcenderit Lex nec Evangelium niſi poſt eum? Annon intelligitis? En vos ii eſtis qui diſputatis de eo quod non intelligitis: Deo quidem notum eſt, vobis autem ignotum. Non enim fuit Abraham Judæus, nec Chriſtianus; fuit autem Haniphæus Muſlimus: nec fuit ex Aſſociatoribus*, i. e. ex eis qui aſſociant aliquid cum Deo, uti faciunt Chriſtiani & Idololatræ. *Haniphæus Muſlimus* eſt is *qui declinat* ab aliis Religionibus ad *Iſlamiſmum*. Ad hunc locum Commentator Arabicus ait, زعم كل فريق اليهود والنصارى ان ابراهيم كان منهم *Exiſtimavit utraque Secta tam Judæorum quàm Chriſtianorum, Abrahamum fuiſſe de ſuâ parte*, ſc. de *Religione ſuâ*; de quâ itaque diſputârunt cum Mohammede.

Sed ut redeamus ad Perſas veteres; ex eorum ſententiâ, in Libro *Pharhàngh Surûrî*, ſupradicta Perſarum Religio vocatur ملت ابراهيم زردشت *Religio Abrahami-Zerduſht*, ſeu *Abrahamo-Zerduſhtenſis*; volunt enim Abrahamum fuiſſe ejuſdem Religionis cum *Zerduſht*, qui diu poſteà ſucceſſit; & *Zerduſhti* Religionem ab Abrahamo derivatam, & eandem cum eâ Abrahami fuiſſe. Et quidem per *Religionem Abrahami*, Perſæ nihil aliud volunt quàm *Religionem quæ (rejectâ interpolatione Sabaiticâ primâ) ſolius unici Dei veri cultum docet, omnes falſas Religiones repudiando*, eam ſcil. quam profeſſus eſt Abraham, quam ſanè Religionem primò intemeratam & incorruptam tenuerunt Perſæ; qui, quamvis ſupradictas ſuæ Religioni Additiones fecerint, antiquum tamen ejuſdem Titulum retinent, eam à potiore parte denominantes, & fundamentalia ejuſdem Principia ad hunc uſque diem

† Quod eſt tertium.

continuantes; non autem, ut Arabes & reliquæ Gentes, eam in Idololatriam vertentes; nec ut *Durzii* & *Calbii* † & reliquæ *Curdorum* Gentes Sabaiticæ in *Libano* & *Gordiæâ* hodiè exiſtentes, qui Deum ipſum planè deſeruerunt, Diabolum ejus loco amplectentes.

Cùm itaque Abraham (poſt ſuos Protoparentes *Shem* & *Elam*,) ſemper meritò habitus fuerit *omnium Fidelium* Pater, & in veri Dei cultu Antiſtes totius Orbis celeberrimus, non eſt mirum ſi pleræque ſanioris mentis gentes quæ aliquid de eo inaudiverunt, ejus Pratrocinium ſibi quæſiverint; ipſum ut ſuæ Fidei & Religionis Patronum adſciſcentes, & res ſuas ab ejus Inſtitutis arceſſere ſatagentes. Quia igitur Perſæ Abrahamum ſuæ Religionis primò reformatæ Autorem ſtatuunt, illámque ei acceptam referunt, priuſquàm Religionem Perſicam ulteriùs proſequamur, fortaſſis operæ pretium futurum ſit, nec Lectori ingratum videatur, pauca de Abrahami temporibus præmittere, & deinde quænam qualiſque reverà ejus Religio fuerit diſquirere.

Et ſanè Judæi & Orientales omnes ſtatuunt Abrahamum fuiſſe tempore *Nimrodi*, qui à profanis Scriptoribus vocatur *Ninus*. Et quidem certum eſt נמרוד *Nimrod* fuiſſe *vituperii* Nomen, poſtliminiò (ut in S. Scripturâ ſæpè fit) ab aliis impoſitum, *Rebellem* contra Deum & *Contumacem* notans: quod itaque ab inimicis, non autem à ſuis, impoſitum quiſque credat.

Illius Pater fuit כוש *Cûſh*, cujus Sedes fuit in Tractu *Babylonico*, unde ejus poſteri (cùm *Chaldæa* tunc eſſet nimis anguſta,) trajecerunt in vicinam Arabiam, ibique Sedem ſuam fixerunt. Et hinc eſt, quòd quæ poſtea *Arabia* dicta eſt ab يعرب *yaarab filio Joktan* (qui etiam eam regionem inhabitavit, & ut Dominus eam poſſedit,) priùs dicta fuerat *Terra Cûſh*, & deinde *Terra Havila*. Inde Moſis uxor, *Arabiſſa* ex *Midian*, vocata eſt כושית *Cuſhith*, ſeu *Cuſhiſſa*: & *Tirhaca* fuit *Arabiæ felicis* Rex, non *Æthiopiæ*: nec *Cuſh* ullibi *Æthiopiam* notat in totis S. Bibliis, ſed potius, vel *Babyloniæ* territorium, vel *Arabiam*. Nam *Cuſhæi* ex dicto Territorio in vicinam *Nabathæam* & نجد *Negjd* trajicientes & tranſplantati, effecerunt ut Arabia ſæpè vocaretur *Cûſh*, (præſertim ea pars Chaldææ adjacens,) quamvis aliam Arabiæ partem eodem tempore inhabitaverit dictus Arabum Protoparens *Yaarab*: nam Arabia non ſemper fuit unius poſſeſſoris. Unde 2 *Chron.* XXI. 16, memorantur *Arabes habitantes juxta Cuſhæos*, ſcil. Arabes interiorem Arabiæ partem inhabitantes, haud procul à *Naba-*

† Vid. Append. No. I.

thæâ

thæâ & *Negjd*, quæ tunc *Cuſhæa* dicta, in viciniâ veteris *Cuſhææ*, ſeu Territorii Babylonici. Adeò ut Arabia, partim à *Cuſhæis*, & partim ab Arabibus filiis *Yaarab* occupata fuit: unde factum eſt, ut eadem Regio aliquando *Cûſh*, & aliquando *Arabia* vocetur, cùm nomine *Cûſh* ſemper *Arabia*, vel aliqua ejus pars intelligatur. Unde *Topaz τῆς Cuſh*, eſt Topaz *Arabiæ*, non autem *Æthiopiæ*, quæ, dicente D. *Ludolpho*, nullas producit gemmas, ut à Sacerdote ſuo *Æthiope* edoctus fuit; quod etiam Mercatores noſtri verum eſſe nôrunt, Nam Patriarcha *Cûſh* fuit tantùm unus, non autem ejuſdem nominis duo, ut quidem imaginantur, propterea quòd in Verſione Græcâ *Cûſh* vertatur *Æthiopia*; inde fingentes quòd opportuerit fuiſſe alium *Cûſh* qui Æthiopum Pater: ſed eorum Pater reverà fuit פוט *Phût*, unde *Ezek.* XXVII. *Phûtim*, Λιβύες. Quia verò *Cuſhitæ* erant *ſubnigri*, & *Æthiopes* etiam erant *Nigritæ*, inde fit ut *Cûſh* in *Græco* exponatur Αιθίοψ & Αιθιοπία, eodem modo quo Æthiopes *Garamæ*, ſeu *Garamantes*, à quibuſdam impropriè vocabantur *Indi*, quia utrique eorum erant ejuſdem coloris: ut, *ultra Garamantas & Indos protulit imperium.* Talia autem, vulgari quidem loquendi modo, impropriè & catachreſticè ſic dicuntur. Ex dictis conſtat quòd *Cuſh* ſemper in S. Bibliis ſit *Arabia:* unde emendanda in hac parte *Verſio Anglicana*, & pro *Ebed-mélech Æthiope*, reponendum *Ebed-melech Arabs*, ſeu *Cuſhita*, rem in medio relinquendo.

At Chriſto citeriores *Syri*, ignorando quòd *Phût* fuit Pater Æthiopum, atque Veteris Teſtamenti Verſione Græcâ ſeducti, ſubinde accipiunt ܟܘܫ *Cûſh* pro *Æthiopia:* unde vice verſâ *Act.* VIII. 27, pro *Æthiops*, Verſio Syr. legit ܟܘܫܝ *Cûſhi*, ſeu *Cuſhita*. Atque (quod eodem recidit) ibidem *Saadiæ* Verſio Arabica legit *Vir Habaſſiæ:* at Verſionis *Æthiopicæ* autor, ex Græco Textu, retinet Nomen ኢትዮጵያ *Etiopia*, ignorando, aut reticendo, verum & antiquiſſimum Æthiopum Nomen *Phût*. Judæi etiam (*Helleniſtæ* olim) à Græcâ Verſione ſeducti & deluſi, fuerunt in eodem errore: & inter alios, *Abr. Peritſol* ait, כוש הוש איטיופיאה *Cûſh eſt Æthiopia*. Et apud alios Judæos כושי *Cûſhi* eſt *Æthiopicum*, ſeu nigrum quidvis. Et ſanè miror Doctiſſimum *Buxtorfium* eos in hac opinione ſecutum fuiſſe. Omnes autem ab eodem erroris fonte hauſerunt.

Et quidem Patriarchæ *Cûſh* primaria Sedes fuit in terrâ *Shin'ar*, in territorio *Babylonico*; quam quidem regionem ego voco *Cuſhæam antiquiſſimam*, quæ eadem poſteà vocata fuit *Chaldæa*. Cúmque Hebræorum *Shin* in Dialecto Babylonicâ ſoleret mutari in *Thau*, is qui Hebræis

Hebræis *Cûſh*, Babyloniis dictus eſt *Cûth*; eodem modo quo pro שלש dicitur תלת, cum ejuſmodi aliis appellativis omnibus. Sic proprium אתור *Attûr*, quia eſt nomen omnibus notiſſimum, nec ullum periculum confundendi aut obſcurandi illud, ut eſſet in Appellativis; cùm aliàs in Verſionibus Biblicis *Paraphraſtæ* Chaldaici non ſervârint dictam regulam in Propriis, neque in *Shibbóleth*, ne viderentur planè pervertiſſe eorundem ſonos; ideóque in Bibliis tam Heb. quàm Chald. legitur כוש *Cuſh:* ſed in Appellativis illam regulam ſemper obſervant dicti Paraphraſtæ. Hoc dicimus tantùm de Paraphraſtis Biblicis: ſed res aliter ſe habuit apud illarum regionum vetuſtiſſimos incolas ante S. Biblia, qui etiam poſteà, nec Bibliorum nec Paraphraſium rationem habuerunt, ſed omnes ſecundùm linguæ ſuæ dialectum, per *Thau* ſemper ſcripſerunt & in communi ſermone pronuntiârunt, tam in Propriis, quàm in Appellativis.

His præmiſſis, nemo (ut ſpero) mirabitur ſi magna illa in territorio Babylonico Urbs, quæ hujus Patriarchæ ſedes, ab eo denominata fuerit כות *Cûth*, ſeu כותא *Cûtha*, quæ (ut videtur) ab *Abu Mohammed* in ſuâ Univerſali Hiſtoriâ *Arabicè* conſcriptâ, vocatur etiam ڪوثا *Cûtha*, quæ ab eo recenſetur tanquam juxta Babelem in Provinciâ *Erech*, ſeu *Erâk* ſita. Quia verò datur duplex *Erâc*, ſcil. *Erâc* in *Perſiâ*, & *Erâc* in *Babyloniâ*, falluntur quidam (inter quos *Flavius Joſephus*,) ponentes iſtam *Cûtham* in *Erâc* Perſidis, quæ reverà eſt, aut erat in *Erâc* Babyloniæ. Hinc erant homines *Cûth* qui colebant *Nergal*, quod erat Idolum Babyloniorum. Nam à *Cûtha* & *Babel* tranſlati fuerunt homines Idololatrici in *Samariam:* unde (propter mixtum cultum) odium fuit inter *hos* & *Judæos*, qui ideò improperii cauſâ & per abuſum, omnes *Samaritanos* vocabant *Cuthæos*; affirmantes, *Quòd nemo deberet reſpondere Amen, poſt Cuthæum benè precantem.* Et viciſſim Samaritani *Sichemenſes*, ad nos aliquando ſcribentes Epiſtolas, rogitârunt ut non mitteremus Reſponſum per *Judæum*, quia oderunt Judæos. *Elias* in *Tiſhbi* ait, *quòd Rabbini Samaritanos vocant* כותיים *Cuthæos, quia multi ex eis tales erant.* Ideóque cùm à Cl. *Buxtorfio* כות *Cûth* exponitur *Samaria*, & כותי *Cuthi Samaritanus*, id intelligendum eſt ſecundùm ſententiam Judæorum, & non aliter. Nam aliàs כותי *Cûthi* reverà eſſet *Babylonicus*, ſeu *Cuthenſis* in territorio Babylonico.

De *Cûtha* in *Erâc-Arabum*, ſeu Tractu Babylonico, ubi antiquiſſima *Cuthæa*, *Saphioddîn* in Lexico Geographico Arabico (ſi rectè capio vitioſam ſcripturam) docet, *Quòd* ڪوثي *Cûtha fuit nomen quatuor*

tuor Fluviorum; atque etiam trium Locorum in pagis τῆς *Erâc in territorio Babylonico, quibus olim combustis, producta fuerunt alia: & quòd Cûtha sit quoque in Mecca Domicilium* τῶν *Beni Abdoddâr.* In fine hujus Capitis videas plura quæ addit *Saphioddîn* eodem loco. Ne autem videar gratis dixisse quòd *Cûsh* sit *Cûth*, & quòd is Sedem habuit in Tractu Babylonico, de eâdem re fidem facit *Tábari* Persa in Capite de *morte Saræ*, کوش واین کوثي ملك بون از اقليم بابل و بعراق اندر بون وبدان كه اين كوثي رونست كه همي رون واين رون كنده است وآن ملك را بدان باز خوانند *Cûsh (is est Cûtha) fuit Rex territorii Babel, & residebat in Erâc. Scias quoque quòd iste Cûtha sit Fluvius qui fluit, quem iste fodiebat; ideóque istam Regem ab eo denominârunt.* Ego autem vice versâ, potiùs vellem Flumen à Rege ejùsque Urbe denominatum fuisse. Est fortè idem illud quod à Chaldæis nuncupatum fuit נהר מלכא *Flumen Regis*, quod ab Orientalibus tribuitur Nimrodo *Cûshi* filio. Cúmque jam (ut supra diximus,) hujus Patriarchæ Sedes fuit in Babyloniâ, aliqui ejus filii, aut nepotes, concesserunt in vicinam Arabiam, quæ ideò dicta fuit *Terra Cûsh*; (ut supra diximus,) sc. terra filiorum & posterorum ejus. Sed eæ, quas ibi condiderunt, urbes, temporis diuturnitate ferè obliteratæ & deletæ sunt, & rara vestigia, nisi quòd (ut supra dictum) *Cûtha* sit Domicilium in Mecca, & in Arabiâ felice sit urbs dicta كوث *Cûth*, & ibidem sit etiam urbs ab ejus filio dicta سبا *Saba*, quæ in Persico Commentario ad Tabulas *Ilchanicas* ponitur Synonyma τῇ Μαριάβᾳ Ptolemæi, سبا مارب عح ٧ يد ٧ اليمن *Saba est Marab, Long.* 78°. 0′: *Lat.* 14°. 0′, *in Al Yaman.* Cúmque *Cûsh* primò Sedem habuit in Babyloniâ, & tot ejus nominis monumenta ibi extent, nec legatur quòd inde exiverit, concludendum est eum ibidem ad vitæ finem regnâsse.

Dictus *Cûsh*, propter pietatem & benignitatem & mansuetudinem & Sanctitatem, *Beli* nomine decoratus fuit, quasi Deum quendam inter se habuissent in terris: quem itaque (ut refert *Chronici Alexandrini* Autor p. 87. *Persæ in numerum Deorum retulerunt.* Fallitur autem dictus Autor ponendo *Picum esse Beli patrem, & Belum super Assyrios regnâsse tantùm duos annos.* Iste itaque tam pius & mansuetus justúsque Imperator, non in omnes alios exorbitando & sæviendo Imperium dilatâsse, & multò minùs novum fundâsse, à peritioribus creditur; prout fecit ejus Successor *Potens hominum venator. Cûsh* autem, seu *Belus*, intra Babyloniæ limites se continuit, ibique Imperium exercuit,

&

& multa ſui veſtigia (ut dictum) ibidem reliquit. Neque filius ejus & Succeſſor *Ninus*, vivente adhuc Patre, (initio Imperii ſui) videtur è Babyloniâ exiviſſe; cùm ex Textu Biblico conſtet, *Initium regni ejus fuiſſe in Erech & Babel in terrâ Shin'ar*, ubi, decedente Patre, primò regnavit.

Græci itaque rectè ſtatuunt *Aſſyriorum* Imperium fundatum à *Nino:* &, ſi is fuit *Nimrod*, tum eò meliùs cum aliâ veritate Hiſtoricâ conciliabitur *Orientalium* Hiſtoria Abrahami. Nam *Euſebius* in ſuâ Chronologiâ ponit Abrahamum tempore Nini, qui vocabatur נין *Nîn*, ſeu *Filius* Beli: & additâ terminatione Græcâ, dictus eſt Νίνος. Iſte non tantùm Imperium ampliavit, ſed & novum quæſivit & fundavit. Cùm enim initium regni ejus fuerit *Erech & Babel in terrâ Shin'ar*, ille (id dilatare geſtiens) è terrâ illâ egreſſus eſt in *Aſhur*, & ibi ædificavit tam alias Urbes maximas, quàm etiam *Nineven*, aliàs ab eo denominatam *Ninum*. Sic Hieronymus in Iſaiam, *Ninus — apud Aſſyrios Ninum ſui Nominis condidit urbem.*

Heic autem oritur Quæſtio de ſenſu loci *Gen.* X. 11, ubi legitur, מהארץ ההוא יצא אשור ויבן נינוה *E terrâ illâ egreſſus eſt Aſhur, & ædificavit Nineven.* Sunt qui hunc locum intelligunt de egreſſione τῦ *Aſhur*, alii de egreſſione τῦ *Nimrod*. Qui dictum locum accipiunt de egreſſione τῦ *Nimrod* in Aſſyriam, legunt quaſi cum *He* locali, *Aſſyriam verſus*, vel *in Aſſyriam exivit Nimrod*: quo caſu pro אשור *Aſhur*, legendum eſt אשורה, vel אשור *Aſhurà*, ubi Apex, abbreviationis Nota, ſupra *Reſh* (cùm ſit exile quiddam,) cenſetur à Scribis omiſſus, uti & aliquando factum eſt in aliis locis Biblicis. Hnjus interpretationis ſequaces ſunt tam alii quàm *Junius* & *Tremellius*, & *Jonathan ben Uzziel*, qui legit, *E terrâ illâ egreſſus Nimrod regnavit in Aſſyriâ, quia noluit aſſentire ædificatoribus Turris, nec cum eîs conſentire: ideóque Deus eum proſperavit; & loco* 4 *urbium quas reliquit, ei dedit* 4 *alias urbes, ſc. Niniven, & Reſen, & Rehoboth, & Calach.* Sed non obſtante Paraphraſtæ excurſione, meritò dubitandum eſt an *Nimrod* tunc natus fuerat, cùm Turris extructionem aggrederentur. Ideóque ceſſante illâ ratione, *Nimrod* exivit in Aſſyriam ad ampliandum Imperium, cùm eſſet magnus & potens *Hominum Venator coram Deo*, i. e. Venator maximus. Et talis videtur eſſe verus dicti loci ſenſus, de Nimrodi egreſſione in Aſſyriam. Iſte enim locus non poteſt intelligi de egreſſione τῦ Aſhur, cùm is tunc non eſſet recenſitus, quia Hiſtoriæ Ordo ad eum nondum venerat: is enim poſteà venit inter filios *Shemi* ſuo loco, non autem inter filios *Cûſh*, de quorum numero

non

non fuit. Quamvis autem ex Sacro textu non colligitur, omninò ſupponendum videtur, quòd Aſhur antehac è Chaldeâ egreſſus fuerat in regionem ab eo poſtea dictam Aſſyriam, ibique habitârat, dando nomen ei regioni. Si enim quæritur unde illa regio dicta eſt Aſhur, non poteſt alia aſſignari ratio, quàm quòd ibi habitavit Aſhur qui eidem regioni nomen dedit.[1] Nam cùm omnes ex Arcâ exeuntes conveniſſent in Campo *Shin'ar*, neceſſe fuit, ut paucis annis plurimi rurſus inde exirent; quia creſcentibus familiis, impoſſibile fuit ut omnes diu ibi ſimul conſiſterent & cohabitarent; præterquàm quòd Dei judicio & decreto diſpergendi erant. Ideóque inter alios exivit *Aſhur*. Priùs autem quàm exiret, videtur fundâſſe, vel *Ur*, vel præcipuam aliquam Urbem in Chaldæâ, uti colligimus ex *Eſaiæ* XXIII. 13, *En terram Chaldæorum! iſte populus non fuit: Aſhur fundavit eam pro ſiticuloſis.* Nempe non fundavit ſolum populum, ſed fundavit urbem, cùm fundandi notio ſic potiùs intelligenda ſit. Quin & fundârit quoque populum: nam ſi extruxit urbem, proculdubio id fuit pro familiâ ſuâ, ibique reliquit aliquos de ſuis, qui talis urbis fuerunt primi incolæ, quamvis ab aliis invaderentur poſteá. Sed quamvis *Aſhur* fundavit eam, illum tamen exegit *Nimrod*, quippe qui, poſt patrem, fuit primus Chaldææ Rex qui primò ſolus regnavit *in Erech & Babel*, &c. à cujus perſecutionibus fugiſſe videtur *Aſhur*, Deo ejus egreſſionem partim per hunc modum efficiente. Sed nec ibi in Aſſyriâ tutus fuit, quin alter illum ibi etiam aſſequeretur, & illam ejus terram poſſideret, quæ ideò poſteà dicta eſt *Terra Nimrod:* ſic *Micah* V. 6, *Gladio vaſtabunt Aſſyriam, terram Nimrod.* Cùm itaque *Aſſyria* primò denominata fuit ab *Aſhur*, & dicta eſt *Terra Aſhur*, non eſt dubitandum quin *Aſhur* è Chaldæa exiens dedit Nomen *Aſſyriæ*, & fortè Urbis ejuſdem primariæ Fundator fuit, quæ probabiliter dicta fuit *Aſhur*, à Conditore. De facto etiam conſtat quòd *Ninus*, ſeu *Nimrod*, poſteà etiam è Chaldeâ exiens, graſſatus eſt in *Aſſyriâ*, occupando primariam illam urbem, & eandem augendo; quæ ideò, ut Imperii Sedes, à Victore appellata eſt נין *Nîn*, ſeu Νίνος, quæ à Propheta *Jonah* ſtylo Biblico vocatur נינוה *Nineve*, pro נין־נוה *Nin-neve*, i. e. *Nini habitatio:* Unde meritò (ut ſuprà) *Aſſyria* poſteà dicta eſt *Terra Nimrod.*

Quòd itaque Nimrod, priuſquam ex Chaldæâ egrederetur in Aſſyriam, primò regnavit in Erech & Babel, ex ſacra Hiſtoriâ conſtat: & *Arabum* Hiſtoriæ etiam idem aſſerunt, eum ſcil. regnâſſe in السواد *Al Sowâd*, i. e. *Nigrâ-regione:* ſic *Abu Mohammed Muſtapha* refert,

1 Sic *Cedrenus* pag. 16. Ασσυρ ἀφ' ὃ Ασσύριοι.

وتطاولت مدة ثمرون بالسوان اربعمايئة سنة ثم تولي السوان بعده رجل من نسله يقال له نبط بن قعون مايئة سنة *Duravit Nimrodi tempus in AlSowâd* 400 *annos: & tum poſt eum* τῇ *AlSowâd præfectus fuit de ſobole ejus vir cui Nomen fuit Nabat filius Köûd per* 100 *annos.* Sic ille. Et hinc eſt quòd Chaldæa aliàs vocetur *Nabathæa:* ejuſmodi enim Nominibus ab eis vocatur *Irâk,* ſeu territorium Babylonicum. At dictum eſt *Sowâd,* quia *Scenitæ Arabes* ibi paſſim degunt in Tentoriis *nigris,* ex quibus eorum oppida apparent nigra; eodem modo quo reliqui Arabes habitabant in אהלי קדר *tentoriis nigredinis:* talia enim amabant. Fluvius Regius, Euphratis ramus, (juxta quem habitabant Judæi) ducens ad Paludes & ad *AlSowâd,* illam regionem ſecans & *Irâcæ* pagas interfluens, in Epiſt. *Baruchi* cap. 5, vocatur نهر سود *Fluvius Soud,* ſeu fluvius *nigræ* regionis & *nigrorum* oppidorum. Non ignoro quòd apud Syros ܣܘܓܕ *Sowd* exponitur *Samarcand:* ſed hoc propriè eſt سغد *Sogd,* nomen fluvii & regionis in quâ eſt *Samarcand.*

At poſtquam *Gen.* X. enumerati ſunt filii τῦ *Câſh,* deinde ſeorſim additur, *Et Câſh genuit Nimrod,* quippe cujus Hiſtoria eſſet notabilior, & magis particulariter recenſeri mereretur. Is enim non tantùm Aſſyriam, ſed (ut videtur) *Mediam* & *Perſiam* & *Bactriam* uſque ad *Indos* ſibi ſubjugavit, ibique propagavit Imperium. Nam *Diodorus Siculus* fidem facit, *quòd à Nino tunc in bello devictus eſt* Οξυάρτης *Bactrianorum Rex;* ſc. is qui ab aliis Autoribus perperam dictus eſt Ζωροάστρης.

Nomen Οξυάρτης in Mediâ & Perſiâ & Bactriâ [1] & omnibus Regionibus ubi Lingua *Perſica* obtinet, fuit plurium etiam Regum Nomen, ſeu Epithetum commune, aliàs apud Græcos itidem corruptè ſcriptum Οξυάρης, à quo demptâ terminatione της, ſeu ης, manet Οξυάρ *Ocſuár.* Sed cùm vetuſtiſſimis illis temporibus, Lingua *Græca* multùm æſtimata fuerit, (ut ex multis inſtantiis colligere liceat,) Perſicorum Nominum propriorum formæ ſæpiùs ex illâ linguâ peti ſolebant; ut in *Iſaiâ,* id quod Punctatores legunt כורש *Coreſh,* reſcribendum eſt כורש Κῦρος: ut & in *Eſtherâ* id quod legitur דריוש *Darjáveſh,* reſcribendum eſt דריוש Δαρεῖος, quæ à Punctatoribus non fuerunt percepta. Sic cùm apud veteres Judæos eſſet Nomen Perſicum אחשור Οξυὰρ, ſeu *Acſuàr,* (& apud recentiores אורשור Ορξυὰρ,)

1 Vid. Append. No. II.

ſubinde

ſubinde addendo terminationem Græcam, legebatur, ut apud profanos Autores, אחשורוש οξυάρης, vel οξυάρος, vel *Acſuaros*, ſeu ut apud Biblicos Ασσήρος: ſed Punctatores id non percipientes, præſcripſerunt legendum *Ahaſh-véroſh*, ſeu *Achaſh-veroſh*, pro eo quod melius eſſet *Achſuáres*, ſeu *Achſuéros*; & abjectâ rurſus terminatione, οξυὰρ, ſeu οξυήρ. Et ſanè mirum eſt per quot corruptionis gradus hoc Nomen tranſiverit, dum corruptio unius eſt generatio multorum: nam Arabes conſtanter in Libris ſuis id Nomen ſcribunt per *Ze*, & legunt ازدشير *Azdeſhîr*, (unde & Judæi aliquando habent in Libris ſuis אשדשיר *Aſdeſhîr*,) pro eo quòd à Perſis aliter ſemper rectè ſcribitur اردشير *Ardeſhîr*, ſeu *Ardaſhîr*: unde ab *Agathiâ* & quibuſdam Græcis factæ ſunt adhuc aliæ hujus Nominis formæ, ſcil. Αρταυύρας, Αρταξάρης, & Αρταξέρξης: atqui abjectâ rurſus terminatione Græcâ, reſtat Αρταξέρ, ſeu *Ardaſhîr*. His addenda eſt alia hujus Nominis corruptio (ut in Libro *Nehemiæ*) ארתחשסת Αρτα-ξάσης, ſeu *Artah-ſhaſt*, uti (ut in Αρταξέρ) litera ξ tam formâ quàm ſitu & ſono reſpondet inverſo *Hebraico* ש & *Arabico* ش *ſhîn*; & (ut ex analogiâ liceat conjicere) in aliis originitùs ita ſonuiſſe videtur. At quia Græci, ad inſtar *Ephraimitarum*, non ſonabant *ſh*, ideò pro poſſe ſuo paulò aliter ſonuerunt. Vel fortè talis fuerit *Cadmi* Dialectus qualis erat *Ephraimitica*. Nam Græcarum Literarum originales ſoni colligendi ſunt ex *Phœniceis Cadmeis* à quibus accepti fuêre: ideóque Θ *Theta* (quæ tam Alphabeti ordine, quàm numerali poteſtate, reſpondet *Hebraico* ט & *Arabico* ط & *Samaritico* 𐤈,) non ſonanda eſt per *Th* conjunctim, ſed ad inſtar dictarum literarum diviſim, *T'heta*. Et hoc modo enucleatum habes corruptiſſimum illud *Oxyartis* Nomen.

Supradictus *Ninus* apud *Euſebium* perhibetur regnâſſe annos 51, (apud *Simſonum* 52,) & ibidem Abraham ponitur in ejus Anno 43, apud *Simſonum* noſtratem in ejus Anno ultimo, quod fortè minùs bené. Nam Doctiſſimus *Scaliger*, in ſuis ad *Euſebium* Notis, planè monſtrat *Euſebium* in multis errâſſe, imò ſpontè & ex induſtriâ, contra *Africanum* & contra Codicum ſuorum (quos ſequi prætendebat) fidem, annorum numerum voluntariè mutâſſe; & particulariter Abrahami Nativitatem 14 aut 15 annos ultra juſtum tempus promoviſſe. Secundùm hunc cenſum, Abraham reverà fuit circa Nini annum triceſimum. Et, ſi ita ſit, tum id quod Orientales dicunt de Abrahami in Ignem projectione per *Nimrodum*, (ut in ſequentibus docebitur,) de Nino intelligendum eſt: quod notandum duxi, ut hæc res ulteriori aliorum peritiorum examini ſubmittatur. Et qui-

dem *AlGjannâbi* Mohammedanus in Chronico ſuo ait, *Quòd Abrahami nativitas fuit in Cûtha in regione Babel in terrâ AlIrác (ſecundùm ſententiam maximè præferendam,) in tempore Nimrod*, ut poſteà dicetur. Ea autem perſecutio quam Abraham paſſus eſt ſub Nino, ſeu Nimrodo, erat 20 (aut fortè multò pluribus) annis ante Abrahami pugnam cum 4 Regibus, quæ fuit aliquot annis poſtquam veniſſet in terram Canaan. Et ut ſemper eſſent memores iſtius contentionis Abrahami cum Nimrodo, inter *Mohammedanorum* Præcepta ad ſuos, jubetur, ut mites & pii ſint ſicut Abraham erat contendendo cum *Nimrod*, ut *Turcicè* legitur, نمرود اولمه ابراهيم اول ابراهيم رڤجور اولمغل حڪيم اولغل *Nimrod ne eſto, ſed Abraham eſto: Abraham oppreſſus ne eſto, ſed Sapiens eſto.* Nempe eſto manſuetus ut Abraham, non rebellis in Deum & violentus in homines ut erat Nimrod; quod dictum eſt, ut contraria inter ſe comparata magis eluceſcant, ex iſtorum contemporaneorum collatione.

Ut autem aliquantulum proſequamur Succeſſionem, in *Chronico Alexandrino* p. 89 legitur, *Nino ſucceſſit Thurras, cui Zames Pater Rheæ frater,* [1] *Martis nomen indidit, à Planetâ:* ᾧ τινι Αρεῖ ἀνέϛησαν πρώτην τὴν ϛήλην οἱ Ασσύριοι, ᾗ ὡς Θεὸν προσεκύνεν αὐτόν. [2] Fortaſſis *Martis* nomine innuatur alius Succeſſor Αρειος, de quo mox dicetur. Secundùm *Euſebium* & alios, ſub matris ſuæ *Semiramidis* regentiâ, *Nini* filius & Succeſſor is fuit qui Euſebio dicitur Ζάμης Νινύας, *Africano* Νινύας Ζάμης. Horum nominum Notatitionem rectè ſtatuere, eſt perquam difficile. Si tamen conjecturæ locus ſit, fortè Νινύας ſec. aliam pronuntiationem ſit נינוה Νινύη, ſeu nomen urbis in quâ habitavit. Niſi velis Νινύας factum fuiſſe ex Νιν-υος *Nini filius*, ſicut reverà fuit. Altera nominis pars Ζάμης eſt adhuc magis peregrinum; niſi fortè ſit pro Ζάυης: nam زو *Zav* inter *antiquiſſimorum* Regum in illis partibus Nomina occurrit. Vel aliàs زاب *Zâb* quod vulgus ſonat *Zâv*, eſt *Lycus*, ſcil. nomen duorum Fluminum Aſſyriæ, à quibus fortaſſis denominatus fuerit. Sed poſt hæc omnia, aliàs fortè denominatus fuerit à زم *Zàm* urbe Meſopotamiæ tunc ſub Nino, eodem modo quo alii Regum filii, illis temporibus, nominati fuêre ab urbibus in quibus nati ſunt, ut *Narſes* à *Nars*, ſeu *Ners*, & *Vologeſes* à *Vologeſiâ*, & *Pacorus* à *Pacoriâ* Babyloniæ urbibus in quibus hyemem tranſigebant Perſarum & Parthorum Reges, & ibi Reginæ puerperium egerunt.

1 Sic *Cedrenus* pag. 16.

2 Βαὰλ ὀνομάζοντες, ὅ ἑρμηνεύεται Αρης πολέμων θεός. *Cedren.*

Qualia-

Qualiacunque verò fuerint hæc nomina, iſte Rex, ratione temporis, debet eſſe ille qui aliàs in Libro Geneſeωs vocatur אמרפל *Amraphèl Rex Shin'ar*, quocum pugnavit Abraham: fuit inquam Rex שנאר *Shin'ar*, non quidem in *Chaldeâ*, ſeu *Babyloniâ* quæ nimis diſtabat ab Abrahamo, ſed τῆς *Shin'ar* in *Meſopotamiâ*, quæ (magna urbs ad radicem montis 3 diebus à *Mauſil*,) hodiè *Arabicè* ſcribitur سنجار *Singjâr*, *Ptolemæo Singara*. Is inquam eſt cum quo bellum geſſit Abraham, quod *Euſebii* Chronologiam in hac parte juſtificare videtur. Illo autem tempore, Aſſyria à Nino ejúſve Succeſſore abrepta, & ad Perſas, ſeu Medos tranſlata apparet; cum eodem tempore quo Abraham dicto Bello interfuit, omnes vicini Reges confœderati fuêre cum Rege *Elam*, cujus nomen *Chedorlaomer*, ei parentes & ſubſervientes. Cum itaque *Chedorlaomer* Perſiæ & Aſſyriæ & vicinorum regnorum (quæ anteà ſub Nino fuerant,) eſſet Monarcha, & duo Monarchæ in eodem loco conſiſtere non poſſent, ſatis planum eſt quòd, vel Ninus excluſus fuit ex Aſſyriâ & in Chaldæam, unde primò venerat, retruſus, vel ſaltem quòd idem factum fuit ejus Relictæ *Semiramidi*, filii minorennis Rectrici; quæ ideò ex Aſſyriâ excluſa, in ſolâ Babyloniæ regione floruit, & inter alia magnalia *Babelem* mœniis cinxit.[1] Cùm inquam tam potens Rex Perſicus præfuerit regioni *Elam*, quæ Aſſyriæ ad ortum confinis eſt, tunc certè Monarchia ab Aſſyriis ceſſavit, & ab eis planè ablata, ad *Elamitas* tranſlata eſt. Nam ut nullum violentum eſt perpetuum, ſic Ninus obiens, *Ninyam* filium minorennem & impuberem reliquit; à quo itaque & à matre, malè partæ & injuſtæ iniquiſſimi Patris Acquiſitiones ablatæ ſunt, eâdem vi abreptæ quâ ipſe ab iis rapuerat. Eidem bello etiam interfuit, Rex *Ellaſar*, *Arioc*, qui eſt Euſebii Αρειος, q. d. *Martius*, ſeu *Martialis* ac bellicoſus vir; de quo Nomine, ſeu Titulo gloriari ſolebant. Et hæc fortè ſit verior Chaldaici Nominis ſcriptura, cùm אריוך *Areioc* (quantum ſcimus) nihil ſignificet: ſed *Martis* notatio apud eos fuit celebris, ut in ſeqq. fuſiùs dicetur.[2]

1 Ea Regina, ut obiter moneam, videtur orta ex Perſiâ (tunc ſub mariti ſui ditione) ab ejuſdem nominis urbe שמירם *Semîram*, quæ hodie parva eſt, inter *Iſpahân* & *Shirâz*. Et cùm *Abulpheda* fuit *Syro-Arabs*, is in illo nomine (ut & in paucis quibuſdam aliis *Perſicis* & *Tataricis*) errat, præſcribendo ut legatur Arabum more *Somairam*, quod (illius veniâ) fieri non poteſt de *Perſicâ* urbe, nec datur talis lectionis exemplum in quovis alio nomine *Perſico* per totam Perſiam. In Globo *Cæſiano* alio ſitu malè legitur *Samirens* (pro *Samîrem*) in *Adilbegia* ad Long. 83°, Lat. 37°.

2 Vide ea quæ ſuprà notavimus de Nini Succeſſore, ex Chronico Alexandrino.

Deinde

Deinde oritur Quæſtio de primâ Abrahami Religione, an ſcil. ille ſemper fuerit veræ & orthodoxæ Religionis Cultor; vel annon priùs Idololatra, & poſteà per Dei gratiam & cordis illuminationem converſus? Ut itaque hæc Quæſtio ritè ſolvatur, præmittendum eſt, Abrahamum prognatum fuiſſe à *Shem*, (qui tunc adhuc in vivis,) qui proculdubiò veram Religionem tenuit: nam (ut ſupradictum) is eſt qui alio decoratus Titulo audit *Malchiſédek*, qui in occurſum venit Abrahamo cum *pane* & *vino*, eique *benedixit* poſt dictam pugnam; eique, ut ſummo Dei *Sacerdoti*, ſpoliorum *Decimas* ſolvebat Abraham.

Deinde *Shemi* filius fuit *Arpácſhâd*; qui genuit *Shélach*, cujus filius fuit *Eber*, qui genuit *Pélegh* & *Joktan*. Et *Pélegh* genuit *Rëû*, cujus filius fuit *Serûgh*. Iſte genuit *Nachor*, cujus filius fuit *Terach*, qui Pater *Abrahami*. Et quidem Abraham à Cananitis (quamprimùm eum viderent,) dictus eſt עברי *Ibri*, ſeu *Ivri*, i. e. *Ibræus*, ſeu ut vulgò effertur, *Hebræus*. Aliqui (propter Nominis conſonantiam,) eum ſic dictum volunt ab *Eber*, quaſi is fuerit reliquis Patriarchis notabilior propter ejus in verâ fide firmitatem; quod idem etiam de poſteris ejus inſinuare volunt, hæc colligentes ex loco de *Shem*, qui *pater omnium filiorum Eber*.

At cur iſtius Libri Scriptor anticiparet mentionem Patriarchæ *Eber* antequam Hiſtoriæ ordo ad eum duceret, nulla ſanè ratio (quatenus vidi) datur, præter illam de pietate *Eberi:* quæ cùm æquè vera ſit de aliis Patriarchis, non erat cauſa cur ille, tanquam egregius, diſtinctè memoretur extra ordinem ſuum. Cùm enim *Gen.* Cap. X. agatur de Sedibus Gentium, eorúmque per terram diſperſione, (ubi *Shem* vocatur *Pater omnium Benè Eber*,) ſcopus loci dictam quorundam Interpretationem de *Generatione filiorum Eber* non admittit, ſed planè alium poſcit ſenſum, qui potiùs ſpectet *Habitationes filiorum Eber* eorúmque Sedes per terram. Ideóque huic occaſioni magis accommoda eſt Interpretatio *Salomonis Jarchi* & aliorum, quòd ſc. *Benè Eber* ſint *Filii ultrajecti*, ſeu ulterioris partis fluminis, ſimili ratione & loquendi formulâ quâ populi *Orientales* vocantur בני קדם *Benè Kédem*, *filii Orientis*. Dicta autem vocis *Eber* mentio & ſignificatio, ad hoc non ſufficit, quippe quæ ſit nimis arcta & reſtricta, poſſitque reſpicere ſolos *illos* Shemi filios qui *ultra Euphratem* & *Tigrim* in Meſopotamiâ & Elymaide tunc degentes ſeniores, qui pauciores; omittendo reliquos *citra* Euphratem in *Arabiâ* degentes, qui numero erant plures. Igitur quærenda eſt alia magis ſufficiens Interpretatio

terpretatio quæ complectatur omnes *Benè Eber*, *filios oræ*, ſcil. Shemi filios & nepotes qui vixerunt, partim citra Euphratem, & partim ultra Euphratem & Tigrim, quia ille certè fuit Pater omnium tam *ulteriorum* quàm *citeriorum* qui juxta illa flumina habitarunt. In hunc finem perpendendum eſt, quòd quamvis vocula *Eber*, plerumque notet *trans*, ſeu *ulteriorem partem*, aliquando tamen notat *citra*, ſeu *citeriorem partem*, atque etiam *juxta*, ſeu *ad tranſitum* in utrâvis parte. Sic *Deut.* I. 1, & III. 8, phraſis illa בעבר הירדן *in tranſitu Jordanis*, ſeu *ad tranſitum*, vel *juxta Jordanem* indefinitè, reſpectu *Palæſtinæ*, erat *ultra Jordanem*, at reſpectu Sacri Scribæ qui loquebatur in *Deſerto* Arabiæ, erat *citra Jordanem*, prout rectè ibidem ſe habet *Anglica* Verſio. Et hoc magis clarè elucet per ortum Solis ex *Joſ.* I. 14, 15, ubi, dum eſſent in Deſerto, dictum eſt בעבר הירדן מזרח השמש *citra Jordanem ad ortum Solis*. At 1 *Reg.* IV. 24, *Salomon dominatus eſt in totum* עבר הנהר *latus fluminis*, ſc. in ſolam *citeriorem* partem occidentalem: nam *ultra* Euphratem nunquam dominatus eſt. Sic in Heb. *Gen.* L. 10, 11: at *Anglica* Verſio heic rectè legit beyond. Adeò ut, totâ re benè perpensâ, videatur quòd per *Filios Eber* notentur ii quorum Sedes fuerunt *ad oram*, ſeu *tractum fluminis* in utrovis latere: nam talem ſitum habuerunt Shemi poſteri omnes, ſc. vel in hac parte, vel in alterâ, haud procul à fluminibus illis. Indefinitè ubique legit Verſio *Perſica* درگذاري *in tranſitu*, ſcil. *juxta tranſitum*, vel *ad tranſitum*. Eodem etiam ſenſu uſurpatur eadem vox ܥܒܪ *Evàr*, ſeu ܥܒܪܐ *Evro* apud Syros, ut habet MS Lexicon Syro-Arabicum *Bar-Bahlûl* ܥܒܪ ܕܝܡܐ ساحل البحر *Evro de Jamo eſt littus maris*. Et mox ܥܒܪܐ الاقطار *Evre ſunt Oræ*, *Tractus* ſeu *latera*. Et rurſus, ܥܒܪ ܕܪܓܠܬܐ ܗܘ ܓܒܐ ܕܪܓܠܬܐ ذلك الجانب *Evar dargélto eſt Latus fluvii*, ſcil. *hoc latus*, ſeu *citra*. Et ſic in *Bibliis* ut ſuprà citato loco *Deut.* I. 1, ܒܥܒܪܐ *Gabriel Sionita* rectè vertit *Cis*: & in Lat. Verſione ad *Targum Jonathan* & *Hieroſol.* in edit. *Lond.* rectè legitur *Citra*: ſic nempe emendavimus: nam in *Pariſienſi* Edit. (quam maxima ex parte ſecuti ſunt *Londinates*,) legebatur *ultra*, ſeu *trans*. Ut itaque meliùs contemplemur Interpretum pugnam, (nam contraria non poſſunt eſſe ſimul vera,) notandum eſt quòd Græcus incuriosè in hoc loco legit πέραν, Vulgatus *trans*, uti etiam legitur in Latinâ Verſione quæ ad Chald. & Samar. & Arab. Et ſic *Deut.* III. 8, *Sionita* incautè legit *trans*: at in hoc loco in Verſione Lat. quæ ad Targ. Jon. rectè legitur *citra*: Arabs autem indefinitè في جانب *in latere*. Et eodem modo

modo ab Interpretibus in diverſum itur, 1 *Reg.* IV. 24, ubi Vulgatus legit *trans*, Gr. ἀπὸ τῦ ποταμῦ: at Syr. & Arab. *cis:* Chald. בכל עבר פרת *in omni loco trans Peràth*, malé: Buxt. meliùs vertit *in omni latere Euphratis.* Mox in eodem Verſu בכל מלכי עבר פרת & *omnibus Regibus citra Peràth*, bené. Ibidem Syr. ܒܟܠ ܥܒܪ ܢܗܪܐ *in totâ citeriore parte fluminis*, bis, & quidem rectè. Tanta vis tantúmque pondus eſt in parvâ hac voculâ, ad cujus verum ſenſum non ſatis accuratè attendebant omnes Interpretes Latini.

Cùm itaque *Eber* ſit aliquando *citra*, & aliquando *ultra*, quivis Latinus Interpres debuerit diligenter perpendiſſe utrum horum verus cujuſque loci ſenſus depoſceret. Cananitæ (ut videtur) in loco de Abrahamo, tunc accipiebant pro *ultra*, aſpicientes eum ut advenam qui ab ulteriori parte Euphratis ad eos veniebat, ut conſtat ex *Gen.* XIV. 13, *Et venit evaſor* (ſc. *Cananæus* quidam) *& nuntiavit Abrahamo ha-Ibri*, ſcil. *Ibræo*, ſeu *ultrajectino.* Iſte nuntius de eo ſic loquebatur recepto more, hoc Titulo ab omnibus promptè intellecto. In *Bereſhith rabba* Sect. 41. prope finem, dictus *Evaſor* perhibetur fuiſſe *Og* Rex Baſhan, qui cupiens uxorem ducere Saram, nuntiavit Abrahamo de Captivitate Nepotis, ut iret ad bellum & ibi interficeretur. Deinde ibidem adduntur de Abraham *Ibræo* (cur ſic vocetur) tres ſententiæ: 1, (quia ab *Eber pars*, ſeu *latus*, ſit *Ibri* partialis, ſeu lateralis,) *R. Juda dixit, Totus Mundus fuit ex unâ Eber*, ſeu *parte, & ille fuit ex alterâ Eber*, ſeu *parte:* ſc. ille fuit contra totum Mundum eorúmque Idololatriam, & ii contra ipſum. 2. *R. Nehemia dixit, Quòd ille fuit ex filiis filiorum Eber*, ſc. Patriarchæ, q. d. *Eberæus.* 3. *Rabbini noſtri dixerunt, Quòd ille fuit ex Eber fluminis*, והוא מישיח בלשון עברי *& ipſe loquebatur linguâ Ibræâ:* ſcil. ille fuit ex *Eber*, ſeu *ultrajecto* fluminis, & loquebatur linguâ *Ibræâ*, ſeu *ultrajectinâ.*

Heic objiciatur quòd Lingua ultrajectina, ſeu transfluvialis, non fuit generaliter Hebraica, utcunque eam calluerit Abraham in colloquio cum Cananitis: ejus enim Parentes (quatenus ſcimus,) utebantur linguâ Chaldaicâ, ſeu *Aramæâ.* Sed cùm Abraham fuit magnus Princeps, illius educatio & cum aliis nationibus converſatio eum duxerit ad cognitionem linguæ Hebrææ. Et prætereà peculiari providentiâ, ſeu Dei prævifione, factum videtur, ut primitiva lingua apud Patriarchas & in Abrahami familiâ retineretur, etiam inter ipſos Chaldæos, tam ut Abraham poſſet commodiùs colloqui cum Cananæis, quàm ut continuaretur ea lingua in quâ poſteà Biblia Sacra, Dei Oracula, erant exaranda & cum humano genere communicanda. Et quidem

ſi

ſi Lingua Hebræa continuata fuit in totâ lineâ Patriarchali, (quod ex ipſorum filiorum nominibus conſtat, Linguarum diverſitate ſubortâ ex nepotibus, ſeu creſcente familiâ,) tum non erat (ut quidam ſentiunt) peculiare in Ebero eam conſervaſſe, uti nec erat peculiare in Abrahamo eandem intellexiſſe. Sed diſquiſitio noſtra eſt de ſolo Nomine, an ſc. ab hoc, vel ab illo, deſumptum, & quando impoſitum fuerit?

Et ſanè quòd Lingua Hebræa in Abrahami familiâ fuerit, conſtat tam ex ipſius nomine, quàm quia *Nachor* Abrahami frater (*Gen.* XXII. 21, &c.) filiis ſuis in Chaldæâ natis, impoſuit Nomina Hebraicâ; quæ itaque videtur junctim cum *Aramæâ* obtinuiſſe in urbe *Ur* ubi vixit Abrahami familia. Abrahami autem Epitheton *ha-Ibri* à Cananæis impoſitum videbatur propter aliquam diſtinctionem, vel Linguæ, vel Gentis Abrahami. Non autem opus erat ut, quaſi pro diſcriminatione, acciperetur de Lingua Abrahami, cùm illa videatur tunc fuiſſe eadem cum Cananiticâ: nil igitur novi, eâ in parte, nuntiâſſe videbatur ille *Evaſor*. Cùm itaque ea Lingua Cananitis tunc eſſet communis & vernacula, illud Abrahami Epitheton pro aliqua diſcriminatione non ſufficiebat. Nam ſi ante Abrahami adventum, linguæ *Hebrææ* nomen alicubi extitiſſet, tum videretur quaſi denominata ab *Eber* Patriarchâ, quod aliqui volunt, inſinuantes quaſi is fuerit de verâ religione plus quàm alii Patriarchæ eiſque pientior; quamvis alii etiam ex eis eſſent Fideles æquè ac *Eber*, nec de eo ſciatur hodie plus quàm de aliis, præter nudam ejus (ut putant) mentionem, malè fundatam, in illâ phraſi *Benè Eber*. Cùm itaque planum ſit quòd Abraham Gente erat *Tranſeuphratæus*, qui ad Cananitas tranſfretabat, magis probabile videtur quòd eo Epitheto ſignificaverint eum fuiſſe (prout erat) *Ultrafluvialem*, ſeu ab *Eber fluminis*, potiùs quàm de Gente *Eber* Patriarchæ. Et proculdubiò ſubſequentium temporum Iſraelitæ maluerunt Linguam ſuam denominari *Ibri* à Patre ſuo Transfluviali, potiùs quàm ab *Eber* Patriarchâ: & planè noluerunt eam denominari *Cananiticam*, (utpote quæ tunc erat in Canaan,) cùm illis temporibus Canaan eſſet Idololatrica. Longè autem aliter ſe res habuit poſterioribus temporibus, poſtquam Canaan evaſerat orthodoxa, à Fidelibus occupata Iſraelitis: tunc enim non ſine honore memorari ſolebat *Lingua Canaan*, ut *Iſa.* XIX. 18, & alibi.

Noſtram deductionem ab Abraham ha-*Ibri*, confirmat *Heſychius*, Εβρεὶ, Εβραῖος· ϗ ὁ Εβρῶιος, περάτης. Et ſic in *Euſebianis*, ubi agitur de tempore Tranſitûs, Ενθα ἔρχεται τῶν Εβραίων προσωνυμία· Εβραῖοι γὰρ οἱ περάται

περάτης ἑρμενεύονται, διαπεράσαντος Εὐφράτην Ἀβραάμ, ἢ ἀφ' ὡς οἴονταί τινες, ἀπὸ Ἐβέρ. A Cananæis itaque (ut ſuprà) Abraham dictus eſt *Ibri*, ſeu *Hebræus*, non propter *Eberum* ejúſve linguam, ſed q. d. *Ultrajectinus*, ſeu *Transfluvialis*, quia tanquam Advena ad eos venit ab *Eber*, i. e. *trans* flumen: & ab ipſo tunc dicto *Ibri*, poſteà denominata eſt Lingua *Hebræa*. Quæ quidem phraſis hoc benè patitur; ut, *Patres veſtri* (inter quos Abraham) *ſervierunt diis alienis* בעבר הנהר be-Eber ha-Nahar *in ultrajecto fluminis*, i. e. in *Meſopotamiâ*, loco ſcil. unde ad eos veniebat Abraham. *Saadias* etiam legit في عبر النهر *in Ibri fluminis*, ſeu ultrajecto fluminis. At ſive *Eber* ſit Proprium, ſive Appellativum, ab utroque denominativa forma eſt *Ibri:* adeò ut nihil ſit in vocis formâ quod in hoc caſu juvet, aut controverſiam terminet.

Et ſanè ſi rem ulteriùs perpendimus, multò veriſimilius eſt denominationem factam fuiſſe à propiore, potiùs quàm à remotiore: & quamvis linguæ primitivæ praxis & uſus per totam ſacram Patriarcharum lineam continuata fuerit, multò probabilius eſt hujus linguæ denominationem ſumptam fuiſſe à propiore eorum Parente Abraham *Ibri*, ſeu *Transfluviali*, (cujus memorabilis Transfretationis certè meminiſſe juvabat,) potiùs quàm à præcedentium generationum 7ma, ab *Ebero*. Prætereà non conſtat Judæos tantam ſecum retinere famam *Eberi:* nam ſi tanti eum æſtimâſſent, ut nominati fuiſſent *Hebræi* ab *Eber*, tum proculdubiò ſeipſos etiam nominâſſent *Filios Eberi*, eodem modo quo ſeipſos nominant *Filios Abrahami*. Cùm autem propior & celebrior (imò celeberrimus) fuerit Abrahamus inter Patriarchas Religionis Antiſtes, multò probabilius eſt ab ipſo *Ibræo* deſumptum fuiſſe linguæ nomen, potiùs quàm ab alio remotiore & minùs celebri, cùm ab illis temporibus ad hunc uſque diem (tacitâ mentione *Eberi*,) geſtiant nuncupari *filii Abrahami*, à quo (quamvis degeneres) ſe deſcendiſſe gloriantur, ut Deus promiſerat.

Ut autem ulteriùs excutiamus vim vocis, ſunt qui volunt quòd אברם העברי *Abram Ibri* ſit *Abram tranſitor*, quia ille reverà pertranſivit flumen. Sed is propter unum ſimplicem Actum, vix potuit frequentativè vocari *Tranſitor*, tranſeundi continuatum habitum notando; niſi dictus tranſeundi Actus fuiſſet repetitus & frequentatus. Prætereà grammaticalis ſignificatio hunc ſenſum non feret: tunc enim potiùs legeretur *Oberi*. Nec quidem poteſt eſſe, ut Heſychii περάτης videatur huic ſenſui favere: neque hoc patitur forma vocis עברי *Ibri*, quæ eſt Adjectiva forma ab *Eber* πέρα, ſeu πέραν, *trans*, *quod altero latere*, *ultra-*

ultrajectinum. Et hinc περάτης, non erit *Transfretator*, ut volunt, ſed *Ulterior*, *Transfluvialis*, qui olim habitabat ultra fluvium, & inde περάτης, ſeu *ultrajectinus* dictus. Sic apud Conſtantinopolitanos, *Galata* audit Πέρα, & ejus incolæ ſunt περαῖοι, ſeu περάτῃ *ultranei*, uti Abraham fuit *ultraneus* Cananæis, qui (ut & poſteri ejus) eum tali Epitheto notarunt. Talem ſitum alibi (unde hujus phraſis uſus eluceſcat,) habuit בית־עברא *Beth-Abara*, ſeu *locus ultrajecti*, qui expreſſè exponitur πέραν τοῦ Ιορδάνου, *locus ultrajectinus*, ſeu *ultrajordanenſis*. Nempe hæc duo exempla ſupradictam loquendi formulam illuſtrant, eamque in communi uſu fuiſſe monſtrant.

Non autem eſt heic prætermittendum, quòd, ad aſtruendum *Ebero* veræ fidei honorem, & Abrahamum ejuſque linguam ab eo denominandum, à quibuſdam, probationis, ſeu illuſtrationis causâ, adducitur locus qui mihi nihil tale probare nec illuſtrare videtur. Scil. *Num.* XXIV. 24, וצים *Et naves ab orâ Chittim, & affligent Aſhur & affligent Eber, & ipſe erit uſque in perditionem*, ſeu *uſque dum periens ſit*. Heic ſubaudiendum eſt Verbum *venient* ab orâ *Chittim*, aliàs ſenſus eſt valde imperfectus. Hoc in loco, *Eber* quibuſdam habetur Nomen proprium; quamvis aliter dubitari poſſit annon ſit potiùs adverbialiter, ſeu appellativè ſumptum, quod mihi videtur. Nam *Eber*, *contra*, *è regione*, *ultranea*, ſeu *oppoſita pars*, aliquando uſurpatur ſine mentione loci quem reſpicit & cui opponitur. Sic 1 *Sam.* XXVI. 13, ויעבר דוד העבר *Et tranſivit David ad Eber*, ſc. ad alterum, ſeu adverſum latus, reſpectu ſui, vel reſpectu loquentis: nam tale quid eo in caſu ſemper ſubintelligendum. Sic בכל עבר ופנה *in omni latere & angulo*, ſeu *circumquaque*, ubi ſubintelligitur quòd in centro ſit perſona loquens. Et quidem *trans flumen*, ſæpe eſt *trans Euphratem*, aliquando etiam *trans Tigrim*. Targum *Onkelos* hunc locum exponit eſſe לעבר פרת *ultra Euphratem*, ſeu tranſeuphratæam partem: & Targum *Jonathan* eodem ſenſu habet בנוי עבר *filios Eber*, i. e. filios ultrajectaneos, ſeu ultrafluviales. Targum *Hieroſ.* magis explicite, כל בני עבר נהרא *omnes filios ultrajecti fluminis*, indefinitum relinquens, ut intelligantur, vel *Tranſ-Euphratæi*, vel *Tranſ-Tigritani*. Cùm itaque per *Eber* poſſit intelligi *Regio Tranſ-Tigritana*, & cùm *Aſſyria* fuerit in alterâ parte *Tigris* reſpectu *Arabiæ* ubi Balaam hæc verba enuntiavit, *Eber* commodè ſit exegeticum τῷ *Aſhur*; ut ſenſus ſit, *Affligent Aſſyriam & totum Eber*, ſeu *transfluvialem regionem*, ſc. τὸ πέραν ubi eſt *Aſhur*: nempe eodem ſenſu quo in plurali formâ *Iſa.* VII. 20, narratur per cujus manum, quoſnam Deus tanquam novaculâ raſurus

erat, ſcil. בעברי נהר במלך אשור *per ultrajectaneos fluminis*, ſc. *per regem Aſſyriæ*; vel aliàs potiùs in neutro genere, *per ultrajectanea fluminis*, figuratè ſumpto *loco* pro hominibus loci. Et ſanè in dicto *Numerorum* loco, ſive *Meſopotamiam*, ſive *Aſſyriam* intellexeris, interpretatio erit ſat commoda: ſed poſterior horum videtur mihi commodior, quia ibi *Aſhur* & *Eber* non videntur duo diverſa, ſed unum idemque, idque propter ſingulare הוא *ipſe*, ſeu *erit* cum utriſque conſtructum, *Et ipſe in perditionem*, ſeu *& erit in perditionem.*

Si *Eber* ibi aliter accipiatur pro Nomine proprio, nihilominùs alia orientur dubia, ſc. ubi gentium ſitus fuerit *Eber*, & quomodo naves *Europææ* potuerint affligere Gentem *Eber*, atque multò minùs *Aſſyriam*, terram tam longè diſſitam & planè mediterraneam? Verum quidem eſt quòd ציים *tſiim* ſignificet *naves*, quippe quæ ſint intus *ſiccæ* in mediis undis: at cur in hoc loco eam ſignificationem habeat, non video, neque eo ſenſu acceptum fuit ab Orientalium Verſionum autoribus, à quibus וציים vel non intellectum, vel pro ſpuriâ & ſuſpectâ lectione habitum; unde nullam *navium* mentionem faciunt. *Tuſæus* in Verſione *Perſicâ* videtur pro וציים legiſſe קציים *ketsîm*, *aliqui* (ſic nempe accepit, quamvis talis forma pluralis non ſit alibi in uſu,) unde exponit, وجوقي از اهل روم *Et aliqui ex populo Rûm:* vel (quia *gjauk* eſt etiam *caterva*,) ut olim interpretati ſumus, *Et caterva populi Romæ:* nam *aliqui* non potuerunt aliquid facere contra totam Gentem. Sed & quia *Rûm* non tam *veterem Romam* quàm *novam Romam*, ſeu *Conſtantinopolin & Græciam* præcipuè notat, jam vertemus *Aliqui ex Græcis*, vel *Caterva populi Græciæ*. Rabbi *Saadias* pro וציים videtur legiſſe vel רציים *ratsîm*, *currentes*, vel אציים *atſîm*, *feſtinantes*, quia exponit in Verſione *Arabica*, الدارمين من فرضة قبرس *ſurripientes ſe è portu Cypri*. Nos autem mallemus vertere *properantes:* quia Participium *darimîna*, eſt à Verbo Arabico دارم *dârama*, quod (inquit *Turgjmân Arabs*) eſt Perſicè گـام خرد دهادن *paſſus curtos ponere*, vel ut *Phiruzabâdi* exponit, eſt *propinquis*, vel *brevibus & deproperatis paſſibus incedere*, *prout incedit Erinaceus*; ubi videmus *properantiam* eſſe in ſignificatione. Hocque non poteſt dici de curſu navium, ſed tantùm de inceſſu animali, ad inſtar hominum qui non apertè, ſed clam, abſque ſtrepitu & ſono aliquid ſuſcipere tentant, quaſi ſurripiendo ſe, id autem properanter. Cùm itaque is non meminerit *navium*, ſed tantùm *portûs*, fortè voluerit, quòd cùm homines navibus vecti ad terram appuliſſent, ii terreſtrem expeditionem ſuſceperint, idque properanter. Cur autem tam brevibus paſſibus

ſuſci-

ſuſciperent tam longum iter quale eſt à maritimis *Palæſtinæ* ad *Aſſyriam*, equidem non video. Ideóque non exiſtimo multum ponderis eſſe in ſtricto verborum ejus ſenſu, cùm fortè *Saadias* ex intricato & difficili loco ſatis habuerit aliquem ſenſum, non commodum, ſed tolerabilem elicere. Textus autem *Hebræus* alicubi fortè reſtituendus ſit ex Textu *Hebræo-Samaritano*, quamvis & Codices *Samaritani* heic inter ſe differant. Utcunque tamen, videntur legiſſe יוצאים *yotſëîm*, vel aliquid ab illâ Radice natum. In Bibliis Polyglottis *Pariſienſibus*, quæ, ut exemplar, ſecuti ſunt *Londinates*, (exceptis Emendationibus & defectuum Supplementis ex authenticis Codicibus MS,) legitur ࠉࠅࠉࠉࠀࠌ *yotſiam*, quod D. *Morinus* verterat *exibunt*, quaſi legiſſet *yotſëîm:* ſed *Londinates* emendarunt Verſionem in hoc loco, ut legeretur *eduxit eos*. Eodem quoque modo Codex MS (qui olim) *Uſſerianus* minor, jam in *Arch.* C, legit *yotſiam:* ſed alter major legit ࠌࠅࠉࠉࠀࠌ *motſîam*, *educens eos:* & eodem ſenſu *Arabica* Textûs *Samaritani* Verſio (MS in *Arch.* C. ex dono D. *Joſephi Taylor* LL. D.) legit يخرجهم *educet eos*. *Samaritana* Verſio quæ in linguâ *Samariticâ*, legit ࠀࠋࠒࠅࠋ *appekûn eduxerunt*. At omnium optimè MS Codex *Laudianus* in Bibliothecâ *Bodl.* hoc loco legit ࠉࠅࠉࠉࠀࠌ *yotſëim egredientes*, unde ſuperior noſtra ſententia confirmatur. Hancque lectionem in ſuis exemplaribus videntur habuiſſe Verſionum Orientalium autores plerique, qui adducunt aliquod Verbum *educendi*, vel *exeundi*, ut Syr. ܢܦܩܢ *nephkon*, *exibunt*, Chald. Onk. יפקון *yippekun*, *educent*, Jon. & Hier. יצטרחון *emittentur:* & Græcus habet Καὶ ἐξελεύσεται ἐκ χειρῶν Κιτιαίων: quæ omnia confirmant veram lectionem fuiſſe יוצאים *yotſëîm*. Hæcque indicant in Codd. *Heb.* vel varietatem, vel ſaltem lectionem fuiſſe ſuſpectam & non ſatis intellectam, ſc. quomodo naves *Europææ* affligerent *Aſſyriam!*

Et ſanè talis Hebraici Textus reſtitutio fieri poſſe videtur ex Græco *Dan.* XI. 30, ubi occurrit ferè eadem phraſis Hebraica, באו בו ציים כתים *Venient in eum naves Chittim*, ſc. contra Regem Auſtri: nam pro בו ציים, *Græcus* ibi videtur in ſuo Exemplari *Hebraico* legiſſe יוצאים *yotſëîm Chittim*, quia ibi vertit ἐκπορευόμενοι Κίτιοι, *egredientes Cyprii:* nam Κίτιοι poſſunt eſſe *Cyprii*, ſeu *Cypriotæ* (ut *Saadias* ſuprà,) quia præcipua eorum urbs fuit Κίτιον. At 1 *Mac.* I. 1, tota Græcia vocatur γῆ χεττιείμ. Nempe *Chittim* eſt fere tota Europa auſtralis: ideóque Rabbini eo nomine intelligunt non tantùm filios *Javan*, ſeu Græcos, ut *Gen.* X, ſed & Romanos, & reliquos illarum partium Europæos *catervatim* degentes; cùm *Chittim* ſit forma pluralis.

lis à ſingulari כת *cath*, i. e. *caterva*, *cætus*, *ſocietas* hominum. Sic in dicto loco *Num.* XXIV, in MS^to^ Heb. Chald. in Archivis *Bodlejanis*, (ubi Chaldaica Paraphraſis verſiculatim & alternatim interponitur,) pro *Chittim*, legitur רומאי *Rumæi*, i. e. *Græci:* & eodem loco in *Targ. Hieroſ.* legitur דרומאי *Daromæi*, i. e. *auſtrales*; & tamen in adjunctâ Verſione Latinâ, eſt *Romani*, non bené: & in Targ. *Jon.* eſt קוסטנטיני *Conſtantîne*, i. e. *Conſtantinopolis*, intelligendo *Græcos*.

Sed ut (quod res eſt,) poſſimus meliùs judicare de Patriarchæ *Eberi* linguâ & religione, ad quos ſuperiore loco (ex quorundam ſententiâ) alluditur, præmittendum eſt, ei fuiſſe duos filios, *Pelegh*, & *Joktan* qui *Arabibus* dicitur قحطان *Kahtan*, cujus Sedes fuit in *Arabiâ Felice*. Ubi autem habitaverit *Pelegh* (ſeu *Palegh*, ut in pauſâ legitur,) non dicitur: ſed ab ejus primogenito filio *Rëu*, ſeu Ραγαῦ (nam reliqui tacentur,) conditæ ſunt Ραγαὶ in *Mediâ*, ubi uſque ad finem penultimi Millenarii relicta fuit orthodoxia ab ipſis Diluvianis temporibus ibidem inſtituta & plantata. Non itaque dubitandum, nec diffitendum, quin *Eber* ejuſque familia orthodoxiam tenuerint: ſed cùm alii pariter idem fecerint, non eſt cur ille præ aliis eo nomine celebretur, aut tam peculiaris habeatur, & Hebræorum Gens ab eo potiùs quàm ab alio quovis Patriarchâ denominata fuerit. Quòd etiam pura Lingua Hebræa in eâ familiâ exculta & continuata fuerit, pariter fatendum eſt, cùm Lingua *Medica* multa Linguæ *Hebrææ* veſtigia ad hodiernum uſque diem in ſe contineat: ſed cùm in aliis etiam Linguis talia veſtigia maneant, non poſſumus multum inde inferre. Quamvis itaque (quod piè credendùm) *Eber* & *Pelegh* & *Rëû* fuerint orthodoxi, nihilominus non potuerunt creſcenti Idololatriæ ita reſiſtere, quin (ut venerabilis *Beda* in Chronico aſſerit,) conſtet *Tempore Phaleghi ædificata fuiſſe Templa, & in eis Principum Statuas pro Diis adoratas fuiſſe*; idque cum Idololatriâ peſſimâ, ignorando quòd tantùm bonæ memoriæ cauſâ primò erectæ fuerant tales ſtatuæ. Et, ſi tempore *Phaleghi* in tantum excreverit Idololatria, probabiliter eadem inchoata fuerit tempore *Eberi*.

Si autem detur, & non concedatur, quod in prædicto loco *Num.* XXIV, intelligantur *Eberi* poſteri, non ſcio quid boni hinc ſibi elicere velint *Eberi* aſſertores, qui iſtum Textum pro *Eberi* celebritate adducunt, præſertim cùm illi ipſi eundem Textum exponant de *clade* poſterorum *Eberi*, non autem de *felicitate*, aut proſperitate eorum. Scilicet, quia à *Pelegh* filio *Eberi*, longâ ſucceſſionum ſerie, per Abrahamum tandem orti fuerunt Iſraelitæ, (idque poſtquam Peleghi tam

ſedes

ſedes quàm Lingua & Religio mutatæ & deperditæ fuerant,) ſunt qui volunt *Balaamum*, eâ prophetiâ, ſub nomine *Eberi*, collimâſſe in Iſraelitas, eorúmque tunc futuram cladem prænuntiâſſe: dum interim hi Interpretes obliviſcuntur quòd hoc non fuit pro dignitate *Eberitarum*, ut iſtum Textum adducerent, quem potiùs tacuiſſe debuerant. Verum quidem eſt, quòd Iſraelitæ affligendi erant & quaſi perituri in captivitate perpetuâ, & quòd *Græci* & *Romani*, (qui *Kittæi* ſeu *Chittimitæ*,) tempore Imperii ſui *affligebant Judæos*, (non autem *Iſraelitas*, quippe qui anteà in captivitatem abierant,) quorum potentia periit, Regno eis adempto. Sed certè, planè impoſſibile quòd in dicto Numerorum loco intellecti fuerint Iſraelitæ, quaſi cum maledictis connumerati & cum *Amalekitis* & *Aſſyriis* perituri; id quod exoptaverat *Balak*, ſed non potuit obtinere. Non itaque credibile Deum per os Balaami tum *maledixiſſe* Iſraelitis; quia cùm eos jam tum, juſſu divino, pronuntiaverat *Benedictos*, *ſtellam orituram ex Jaacob*, *& eum qui habiturus dominium*, &c. non potuit fieri ut eoſdem, quaſi eodem halitu, rurſus denuntiaret maledictos, ſcil. quòd *idem* Balaamus in *eâdem prophetiâ*, *eoſdem* Iſraelitas *eodem* tempore *benedictos* & *maledictos* declararet. Abſit! Balaam itaque per *Eber*, non intellexit Iſraelitas, quippe qui coràm & in conſpectu erant, atque Iſraelis, ſeu Jacobi nomine, tunc Arabibus & Moabitis notiſſimi, adeò ut his tunc non fuerit opus vocandi eos *Eber*, longè petito nomine; nec jam nobis opus ſit ſentiendi, quòd ii tunc cum Amalekitis & Aſſyriis fuerint ſubjecti maledictioni, quippe quæ tutiùs credatur denuntiata in *ſolos* Aſſyrios qui in *Eber* fluminis, qui reverà Invaſiones *Chittimitarum*, ſeu *Græcorum* & *Romanorum* aliquando paſſi ſunt.

His præmiſſis, prædictus locus ita erit vertendus de ſolo Aſſyrio perituro, legendo, *Exeuntes*, erunt *à manu* [ſeu *orâ*] *Chittim*, *& affligent Aſſyriam & affligent ultrajectum* fluminis: *& quoque ipſe uſque dum pereat*, ſeu *uſque ad perditionem*, ſive *atque etiam erit uſque in perditionem:* nam הוּא ſæpè ſupplet locum Verbi ſubſtantivi *eſt* ſeu *erit*. Vel ſic vertamus. —— *Et affligent Aſſyriam*, *ſcil. affligent ulteriorem partem fluminis*, *quæ etiam æternùm peritura eſt*. In hoc verſu ſecunda copula *et* eſt conjunctiva, non autem disjunctiva; ita ut *Eber*, ſeu *ultrajectum*, ſive *ulterior pars*, ſit exegeticum præcedentis *Aſſyriæ*, Imò tota Enuntiatio ſecunda eſt exegetica prioris: ut legatur, *affligent Aſſyriam*, i. e. *affligent totam ulteriorem partem*, *quæ ipſa peritura eſt*. His poſitis, fortè in Bibliis Anglicanis ſic emendatiùs legatur, **And they ſhall go forth from the coaſt of Chittim, and ſhall afflict**

ſhall Aſhur and ſhall afflict the other ſide *of the river:* **and he alſo** *ſhall be* **even to perdition,** vel **until he periſh.** *Verſio Samaritana* (quæ diverſa à *Textu Samaritano,*) quaſi pro עד *adè* legerit עד *éd,* ſic exponit, וגם הוא יאבד עד בתמה *& quoque ipſe teſtis peribit,* ſenſu incommodo. *Perſa* totum Verſum ſic reddit, omittendo *Copulam* ſecundam, quod meliùs, وجوقي از اهل روم برنجاننـد اشـور وبرنجـاننـد عبر و خير او جاويـد گـم شوا *Et caterva* [ſeu *aliqui*] *ex populo Græciæ affligent Aſhur & affligent Eber: & ipſa etiam æternùm peritura eſt;* reſpiciendo vel Græciam, vel Aſſyriam: vel aliàs ſi vis, *& ipſe etiam æternum periturus eſt,* reſpiciendo vel populum Græciæ, vel aliàs τὸν Aſhur, ſive ut hominem, ſive ut populum. Nam in explicandis prophetiis datur latitudo, utpote quæ ſæpè ſint obſcuræ & incertæ: & utrovis modo verum eſſe poteſt. *Vulgatus* pro ובאים videtur legiſſe ובאים, quia habet *venientes.*

Si autem (ut ad rem redeam) ſupradictus locus exponatur de *filiis Eber,* ſcil. de *Eberitarum* religione verâ, planè conſtat id non fuiſſe verum de ſeris *Eberi* nepotibus filiiſve, quippe qui fuerunt Idololatræ, ut & de cæteris omnibus probabile, & certò manifeſtum eſt de Abrahami patre & avo, &c. ut infrà mox fuſiùs monſtrabitur. *Orientales* (inter quos *Chondemîr* Perſa,) ajunt Idololatriam primò introductam fuiſſe à *Sarugh,* qui vixit in *Meſopotamiâ,* ubi hodie extat ejuſdem nominis urbs سـروج *Sarug* ad *Longit* 75°. 55′. ad *Lat.* 36°. 30′. ut in Comment. ad Tabulas *Ilchanicas* legitur. *Abulpharagius* Syrus ait, *In diebus Sarugh multa erexerunt homines Idola, è quibus dæmones mira ediderunt ſigna.* Et in diebus *Sarugi* & *Tharæ* renovatam fuiſſe Idololatriam teſtantur *Clemens* & *Theodoretus* & *Epiphanius* & *Euſebius* & alii, inter quos *Suidas,* cujus ſenſum abbreviatum exhibeo: Σερὰχ — *ab eo originem duxit Idololatria. Cenſuit enim Imaginibus & ſtatuis honorandos eſſe viros qui olim virtute præſtantes fuerant & hominibus Benefactores. — Hoc uſque ad Tharram, — cujus filius Abraham opera patris contrivit Carris in Meſopotamiâ. — Defunctorum Imagines quotannis adorari voluit. Hinc Polytheiſmus & Idololatria, uſque ad patrem Abrahami Tharram, qui Statuarius, ex variâ materiâ faciens imagines, quas dicebat eſſe deos & adorandos ut Bonorum Autores. — Hinc Græci colebant Hellenem Gigantem in Turris fabricatione ſocium, ubi linguæ diviſæ, & homines ideò dicti μέροπες.* Hæc quidem fuit una Idololatriæ cauſa, ſeu origo: altera autem fuit ab Imaginibus ſtellarum, ſeu Planetarum, ut alibi dictum. Sed bonâ eorum veniâ,

Idolo-

Idololatriæ origo altiùs petenda eſt à temporibus *Eber* & *Shelach*, (ut, ſi opus eſſet, abundè probare poſſemus,) qui tamen ambo erant orthodoxi & orthodoxiæ Prædicatores ad coævos & conterraneos ſuos Idololatricos *Aaditas* & *Themuditas* (Arabiæ Tribus hodiè deperditas,) olim inter *Ommân* & *Hadramût* degentes, quos tandem procelloſis ventis & mobilibus, ſeu fluentibus arenis, obruit, & tonitru atque terræmotibus profligavit & deſtruxit Deus.

Illa itaque eorum prædicta de Abrahami Titulo *Ibri* ſententia tanquam de *Eberita*, haud bono nititur fundamento. Nam ſi *Hebræi* titulus Abrahamo datus fuerat propter veram illam religionem quam tenebat *Eber*, eodem jure, is æquè denominari potuit *Shilchi* à *Shelach*, aut *Arpacſhadi* ab *Arpacſhad*, aut potiùs *Shemi* à *Shem*: nam hi omnes veram religionem tenebant æquè ac *Eber*. Sed perpendamus, eos qui hunc ei titulum dederunt, fuiſſe *Cananitas*: & an putabimus eos noviſſe Abrahami proſapiam, ſeu genealogiam tam longè remotam, eámve conſuluiſſe? Vel, ſi fortè noverint, an ideo eos ſelegiſſe eique aptaſſe titulum petitum à verâ ejus religione quam illi ipſi non tenebant nec probabant, quaſi *Eberitam* eum ideò denominaverint? Hoc planè abſonum fuiſſet in illis, ei arceſſere titulum tam remotè petitum, cùm faciliori negotio talem titulum potuerant petiiſſe à *Terach*, aut *Nachor*, quorum memoria recentior, qui etiam Canaaniticæ religioni addicti.

Quia verò Abraham *tandem* de verâ Religione fuit, & omnium Fidelium Pater habitus, ergò multorum eſt ſententia (ut ſuprà innuimus,) Abrahamum *ſemper* à pueritiis fuiſſe de verâ Religione, quam volunt neceſſariò ad eum derivatam fuiſſe ab *Eber*, à quo tam Proſapiæ quàm Religionis cauſâ denominatus fuerit *Hebræus*, q. d. *Eberæus*. Si hoc eſſet verum, tum omninò neceſſe ut Abrahami Pater non fuerit Idololatra, ſed Fidelis; quod tamen creditu abſurdum. Hanc, ut magis piam, arripiunt ſententiam, ad quam etiam inclinat *Pererius* in *Joſuæ* locum, ubi legitur, *Patres noſtri ſervierunt diis alienis ultra Fluvium*, reſpondendo, quòd hoc de Iſraelitarum Patribus, ſeu Majoribus remotioribus, non autem de propioribus, intelligendum ſit. Hæc autem Reſponſio non valet: nam Iſraelitarum Patres propiores (qui Abraham & Iſaac & Jacob) excepta Abrahami juventute, nec ſervierunt diis alienis, nec ultra flumen vixerunt. Ideóque dictus locus intelligendus eſt de illis Patribus, qui neceſſariò fuerunt Abrahami majores Idololatrici, quia hi ſoli *ultra* flumen in *Meſopotamiâ* vixerunt.

Et (quod monſtrandum eſt,) ſi Abrahami Patres, ſeu majores, iique propiores, ſervierunt diis alienis, ergò & ſuum Filium Abrahamum educârunt in illo eodem cultu: cui itaque, dum puer, ipſe adhæſit, donec adultior & Divinæ gratiæ capacior evaderet. Nam quòd *Terach* fuit Idololatra, nemo dubitat, cùm legatur *Joſ.* XXVIII. 2, *Ultra flumen habitârunt patres veſtri olim, Terach pater Abrami & pater Nachoris, & ſervierunt diis alienis.* Et verſu 14, *Removete deos quibus ſervierunt patres veſtri ultra flumen.* Cúmque res ita ſe habuerit, imaginari Abrahamum à parentibus natum *Fidelem*, eſt quaſi putaremus aliquem à *Turcicis* parentibus naſci poſſe *Chriſtianum*, quod valdè ridiculum. Videtur autem quòd *Terach* tandem, filii ſuaſu, fuerit converſus, quia cum Abrahamo migravit ex *Ur* ad *Haran*, tranſiturus in terram Canaan: illuc tamen non tranſivit, ſed obiit in Haran, ut legitur *Gen.* XI. 31, 32.

Quamvis itaque aliqui alteram ſententiam, ut pientiorem, amplectantur, mihi quidem æquè pium videtur, credere Abrahamum à Parentibus natum fuiſſe Ethnicum, & poſteà per infuſam Dei gratiam converſum; ac ſi crediderim eum in verâ Religione natum, quod tantum in ſe miraculum non haberet. Peculiaris itaque erga Abrahamum favor erat, & planè miraculoſum, quòd Deus illum in terram promiſſam introducturus, poſt tantam Parentum & Majorum Idololatricorum ſeriem, Abrahamum, ante Tranſitum, luce cœleſti donaret, & tenebricoſum ejus animum veri Dei cognitione illuſtraret: quia tunc erat tempus quo neceſſariò faciendum eſſet, nec ulteriùs differendum.

Et ſanè quòd Abraham natus fuit Gentilis, & poſteà per Dei gratiam cœleſtem & mentis illuminationem converſus, nobiſcum ſentit *Epiphanius*, p. 8, *Simulachra primùm ex argillâ figlinóque opere reperta ſunt, Artifice Tharrâ.* Et deinde p. 9, *Abraham erat tum domi Patrem obſervans, cùm Dei Oraculo vocatus, domeſticis renunciavit*, &c. Et ſic *Maimonides* in *More Nevochim* Arabicè ſcripto *literis Hebraicis* part. 3, Cap. 29. quæ verba ſic *Arabicè* reſcribenda, אברהם אבינו معلوم ان دشا في ملة الصابة ومذهبهم ان لا يكون الاه الا الكواكب *Notiſſimum eſt Abrahamum Patrem noſtrum educatum fuiſſe in Religione Sabaitarum, quorum opinio eſt, nullum eſſe Deum præter Stellas.* Et quidem *Maſius* in *Joſuam*, & alii, & Judæi omnes, & tota Orientalium cohors, hanc ſententiam, perpetuâ apud eos traditione, acceptam & huc uſque continuatam, conſtanter tenent; qui etiam particularem ejus Converſionis Hiſtoriolam hoc modo narrant: inter quos,

de

de converſione Abrahami, eſt *Tábari* Perſicè conſcriptus, referens Quòd ſc. cùm Abraham eſſet puer XV annorum, incipiebat quærere Deum. Et hâc piâ diſquiſitione verſatus, noctu contemplabatur cœleſtia Corpora, inter quæ, præ cæteris ſplendebat *Venus*; quâ viſâ dixit, هذا ربي *An hæc eſt Dominus meus?* Venere autem mox diſparente & occumbente, aliâ nocte foràs prodiens intuitus eſt *Lunam*, de quâ dixit, هـذا ربي *An iſta eſt Dominus meus?* Sed Luna etiam mox occubuit. Poſteà aliâ vice foràs egreſſus, obſervavit omnes Stellas tandem occumbere & diſparere; de quibus itaque dixit, لا احب الافلين *Non amo occumbentes.* Deinde matutino oriente *Sole*, dixit, هذا ربي هذا اكبر *Iſte eſt Dominus meus; iſte eſt maximus:* vel interrogativè, *An iſte eſt Dominus meus? nam iſte maximus.* Sed cùm Sol ad inſtar reliquorum occumberet & diſpareret, Matri ſuæ dixit, *Hæc non poſſunt eſſe Dei, quia mox ſubducunt ſe & evaneſcunt.* Hæc Hiſtoria in *Alcorano* Cap. VI. p. 82, ſeq. modo narratur, ابراهيم — فلما جز عليه الليل راي كوكبا قال هذا ربي فلما افل قال لا احب الافلين فلما راي القمر بازغا قال هذا ربي فلما افل قال لين لا يهدني ربي لاكونن من القوم الضالين فلما راي الشمس بازغة قال هذا ربي هذا اكبر فلما افلت قال يا قوم اني بري مما تشركون اني وجهت وجهي للذي فطر السموات و الارض حنيفا و ما انا من المشركين *Et poſtquam ſupervenit ei nox, videns Stellam, dixit, Hæc eſt Dominus meus. At poſtquam occubuit, dixit, Non amo occumbentes. Et poſtquam vidit orientem Lunam, dixit, Hæc eſt Dominus meus. At poſtquam occubuit, dixit, Niſi me dirigit Dominus meus, ero ex populo errante. Et poſtquam vidit orientem Solem, dixit, Hic eſt Dominus meus, hic major eſt. At poſtquam occubuit, dixit, O populo, ego ſum purus* [ſeu innocens] *ab eo quod* [Deo] *aſſociatis. Nam ego converti faciem meam ad eum qui creavit cælos & terram purè, neque ego ſum ex Aſſociatoribus.* Scil. ſubtiliùs quæſivit horum omnium Creatorem, quem (relicto Stellarum cultu & totâ Religione paternâ,) unicè coluit, & palam præ omnibus colendum commendavit & prædicavit. Cum his ferè conveniunt ea quæ *Joſephus* tradit, *Abrahamum ſuam de Deo ſcientiam collegiſſe ex obſervatione Terræ & Maris, & eorum quæ circa Solem & Lunam & reliqua Sydera videbat accidere; ſc. neceſſariò eſſe ſuperiorem aliquam potentiam quæ horum curam gerat & omnia decenter adminiſtret.*

Quo certo ætatis anno Abraham primò converſus fuerit, tanto jam temporis intervallo ſcire, eſt planè impoſſibile. *Genebrardus* in Chronico, ex R. *Joanne* & *Anina* citat, quòd Abraham XLVIII ætatis anno cœpit verum Deum colere. *Maimonides* in *Jad chaz.* Tract. *Madda'*, fol. 25, ait, בן ארבעים שנה הכיר אברהם את בוראו *Abraham* XL *annos natus agnovit Creatorem ſuum.* Mox ibidem additur, יש אגדה שלש שנים *Extat Aggada, Tres annos natus.* Sic etiam *Talmudis* Tract. *Nedarim*, 32, 1, אמר ר' אמי בר אבא בן שלש שנים הכיר אברהם את בוראו *Dixit Rabbi Ame filius Abba, Abraham tres annos natus agnovit Creatorem ſuum. Abu Mohammed Muſtapha* Mohammedanus in Capite de vitâ Abrahami, ait وكان ابراهيم يومين ابن ستة عشر سنة *Quòd Abraham tunc fuit filius* XVI *annorum*, ſc. quando Dei Unitatem aſſerendo, perſecutionem paſſus eſt à popularibus ſuis, & ut aliqui volunt, conjectus eſt in Ignem. *Maimonidis* quadragenaria ætas (quæ etiam in *Alcorano* memoratur) nimia eſt, ut Abraham tamdiu perſiſteret infidelis. Et triennalis ætas non fuit ſatis, ut tam altè inquireret, & quando vidit Sphæram circumvolvi, (ut dicit Maim.) ſecum ratiocinaretur, eam non poſſe circumduci ſine Ductore, &c. & ſic veniret ad cognitionem Dei. Magis igitur competit quindecennalis ætas, ut volunt Perſæ; vel ut *Cedrenus* vult, XXIV annorum ætas.

Abraham itaque (ſive dicto modo, ſive aliter) converſus, totam familiam & Cognationem convertere operam dedit; ſecundùm id quod de eo prædixerat Deus, *Novi eum, quòd filiis ſuis præcipiet & familiæ ſuæ, ut cuſtodiant Mandata mea*, &c. Abrahami igitur converſi primum opus erat fortificare fratres, & omnes alios convertere: & primò quidem familiam ſuam ad orthodoxiam adducere; unà cum ſeniore fratre *Haran*, qui ante Abrahami tranſitum obiit in terrâ nativitatis, ſcil. in *Ur* Chaldæorum, ubi vixit Abraham: quis ergo condidit & nuncupavit urbem *Haran*, non dicitur. In hanc etiam Converſionem veniſſe credamus Avum ejus *Nachor*, quippe qui tunc adhuc in vivis erat. Quodnam fuerit Nomen ejus Ethnicum, nondum mihi compertum: ſed *Nachor* videtur fuiſſe Converſionis Nomen, eo quòd Abrahami frater eodem etiam nomine poſteà gauderet; quod non fuiſſet factum, ſi nomen *Nachor* fuiſſet Ethnicum. Verum quidem eſt quòd Avus *Nachor* naſcebatur infidelis: ſed poſt Converſionem, nomen mutatum & ex poſtfacto impoſitum, ut frequenter fit in S. Bibliis, & tamen recenſitum tanquam primitivum Nomen. Et quidem

quidem Abrahami frater *Nachor* videtur converſus, quia filium ſuum *Lot* (qui Abrahamum comitatus eſt in terram Canaan,) in verâ Fide educavit, & quia Abraham ex ejus familiâ adſcivit uxorem *Iſaaco*, abhorrens ab Idololatricis filiabus *Heth*, ſeu *Hittitis*. Prætereà Nachor Abrahami frater filiis ſuis impoſuit Nomina *Hebraica* orthodoxa, non autem *Chaldaica* Idololatrica, quamvis in Chaldæâ viveret, ut *Gen.* XXII. 21, &c. Et converſi videntur *Bethuel* & *Laban*, quia in illis nuptiis agnoſcebant Dei providentiam; quamvis *Laban* Ethniciſmi reliquias *Teraphin* retineret ad divinandum. Sed *Cheſed* (vel ex neglectu parentum, vel ex perverſitate ſuâ) non videtur fuiſſe converſus quia Abraham nunquam vidit eum, utpote qui natus poſt Abrahami diſceſſum in Canaan. Ille non inſtituit filios ſuos *Chaſdæos* in verâ Religione, quin is cum poſteris Abrahamum Avunculum ſuum perſecuti ſunt, uti etiam fecit Abrahami frater *Haran:* nam fratres uterini non ſunt ſemper religione fratres. Patri ſuo *Terach* etiam convertendo allaboravit, uſque ad pugnam; idque (ut fas eſt credere) tandem effecit: nam quòd fuit *Terach* Converſionis nomen nullus dubito, cùm aliud ejus nomen Ethnicum habeamus compertum fuiſſe آذر *Adur*, ſeu آزر *Azur*, vel ut apud Arabes ſcribitur & ſonatur آزر *Azer*, ſeu *Azar*. Cumque Abrahami pater hoc nomine *Azer* alibi inclaruiſſet, in Alcorano quoque (tacito nomine *Terach)* ita appellatus fuit.

De Abrahami Matre S. Scriptura ſilet. Sed in Textûs Talmudici *Gemara*, in Tract. *Bava Bathra* 91. 9, traditur אימיה דאברהם אמתלאי בת כרנבי אימיה דהמן אמתלאי בת עורבתי אימיה דדוד נצבת בת עדאל שנה אימיה דשמשון צלפנית ואחתיה נשיין *Mater Abrahami fuit Amtelâi filia Kerambi: Mater Hamanis fuit Amtelâi filia Orbethi: mater Davidis fuit Nitſabath filia Adaël: mater Samſonis fuit Salponîth, cujus ſoror fuit Neſhayan.* Hæc autem apocrypha & incerta. Nomen *Amtelâi* appellativè ſumptum ſignificat *Simile*, *veriſimile*, *probabile:* ſed ut Nomen proprium, minùs probabile.

Orientales narrant *Terach* fuiſſe *Magnatem*, (de quâ re non dubitamus,) & in ſummo favore apud Imperatorem, quippe pro quo Idola parabat, cùm profeſſione eſſet بت تراش *Idolorum Sculptor*, ſeu *Fabricator* (quod apud eos honorabile, ut Formator deorum,) in quâ Arte erat omnium peritiſſimus. Hoc enim ritè præſtare non potuit quivis Lignifaber, ſeu communis Lignorum aut Lapidum exaſciator; cùm hæc Ars depoſceret peritiſſimum Aſtrologum qui eſſet gnarus talia fabricandi apto tempore & ex aptâ materiâ; cùm (ut in Proverbio dicitur) *Ex quovis Ligno non fieret Mercurius.* Nam tam *Ligna*

quàm

quàm *Lapides* & *Metalla* ſuo quævis *Planetæ*, à *Chaldæorum Aſtrologis*, olim adſcripta & *dedicata* fuêre, utpote quæ de ejuſdem Influentiâ præ aliis participare credita. Idolum itaque ſub fauſtâ cœli poſiturâ & ex materiâ tali Planetæ appropriatâ fabrefactum, tum ritè paratum & legitimè factum credebatur. Et quidem *talis Artifex* fuit Abrahami Pater *Azer*.

Hoc Nomen originaliter in Libro *Zend* ſcriptum eſt آدر *Adur:* ibi enim Litera ذال *Zâl* non habetur. At in aliis recentioribus Libris Perſicis ſcribitur آذر *Azur:* quod tamen vulgus ſonat eodem modo quo ab Arabibus ſcribitur آزر *Azer*, ſeu *Azar:* & eodem modo factum à Chaldæis, qui ab antiquo hoc & alia multa Perſica in ſuam Linguam adſciſcere ſolebant. Hoc nomine, antiquiſſimis temporibus, ſignificatus fuit *Mars*, (aliàs dictus بهرام *Behrâm*,) & vetuſtiſſimis Perſis ſic dictus fuit *Martius* menſis. Nam quia illo nomine originitùs & primariò ſignificabatur *Ignis*, (uti etiam hodiè ſignificat,) id nominis ab ipſis & à Chaldæis tranſlatum eſt ad *Planetam igneum*, & inde ad *menſem Perſicum* ab eo ſic denominatum. Et quidem propter rubedinem, idem Planeta aliàs ſubinde *Perſice* dicitur بخون *Bachûn*, i. e. *Sanguineus*.

Et quia *Azur* eſt *Ignis*, ideò *Fulmen*, ſeu *Fulgur*, quibuſdam dicitur آذرماه *Azuri Máh*, i. e. *Ignis Lunæ*, in conſtructione: nam aliàs, extra conſtructionem appoſitivè, *Azur Máh* eſt *Azur Menſis* ſic dictus. At in *Nim. Laud. Fulmen*, ſeu *Fulgur*, aliàs vocatur آذر یزدان *Azuri yezdan*, i. e. *Ignis Dei* formâ conſtructâ. Ibi autem Mohammedanus Interpres addit, *Hoc etiam eſſe ex Nominibus Dei Excelſi*, perperam legendo *Azur yezdân* in appoſitione, q. d. *Azur Deus*. Debuerat autem ſcire quòd apud Perſas hoc nomine ſignificetur *Azur Angelus*, cùm in Angelorum Catalogo iſte Angelus ſemper vocetur آذر یزد *Azur yezèd*; quia *yezèd*, quod ſæpè *Deum*, aliquando *Angelum* notat. Et à ſignificatione *Ignis*, hoc nomen *Azur* transfertur etiam ad Planetam igneum, (ut diximus) quaſi ille Planeta vocetur *Igniculus*. *Azur* itaque, ſeu *Azar*, eſt *Mars*, igneus ille ferocis naturæ Planeta, qui fauſti ominis ergô & ſucceſſûs in Bellis,) ab *Aſſyriis*, *primis* omnium, Deus agnitus eſt, idque ſub formâ Columnæ: ſic *Chronicon Alexandrinum* p. 89, *Aſſyrii primi erexerunt Columnam Marti, eúmque inſtar dei coluerunt*, ut ſuprà notavimus. Scil. quia *Mars* belli deus igneus, eum repræſentârunt ſub formâ Columnæ, (ut videtur) pyramidalis, flammam æmulantis figurâ ſuâ. At quia Chaldæis & Aſſyriis *Azur* erat quaſi *Deus* quidam, ſeu *Numen* Planetarium, ſc.

Mars

Mars qui de Igneâ naturâ participat, unde & assumptum est in nomina Magnatum, qui honorificum ducebant ab Idolis, seu Numinibus suis, denominari. Id enim Nomen erat tam ignei Planetæ *Martis* quàm *Idoli* huic Stellæ dicati, aliàs olim à *Sepharvaitis* dicti אדרמלך *Adrammélech*, pro אדר המלך *Adar ha Mélech*, seu *Adar Rex:* nam Planetæ ab illis Gentibus habiti & vocati sunt *Reges*. Hinc est quòd idem Planeta *Hebræis* & aliis appelletur מולך *Molech*, *Rex*, seu *Dominator*, quibusdam aliis Gentibus corruptè מלכום *Milcom*. Quin & in Linguam *Copticam* assumptum est Nomen Μολοχ, quod in Onomastico *Copt-Arabico* exponitur ⲙⲓⲣⲣⲓⲭ *Mirrich*, *Mars*.

A significatione *Ignis* & *Martis*, factum est, ut *Martius* mensis (à Marte denominatùs) Chaldæis etiam dictus fuit אדר *Adâr*, Syris ܐܘܕܪ *Odar*, Syro-Arabibus Syriam inhabitantibus آذار *Adâr*, seu (ut Persæ & Turcæ sonant) *Azâr*. Is hodiè Annum ducit apud *Syros*, ut & olim fecit apud *Romanos* & *Persas*. In *Chronico Alexandrino*, seu *Fastis Siculis* p. 261 legitur, *Romulus postquam Urbem mœnibus cinxisset, Templum erexit Marti & Festum instituit, à Marte*, Martium *appellans mensem, qui anteà* Primus *vocabatur: eúmque diem Festum in Campo Martio celebrant*. Nam cùm ex igneâ hujus Stellæ Influentiâ & rubedine (ut credebant,) Annus inciperet *calescere*, Anni *initium* ei dedicabant veteres omnes: atque ideò *Romani*, ineunte Mense Martio, sacrum suum Vestalem Ignem de novo accendebant, cùm exeunte vetere Anno eum emori siverant; quod alio quovis tempore fecisse, nefas. Talis nempe ab eis facta est *Allusio Symbolica* & quasi *Sympathetica*, in magis faustum futuri Anni *Omen:* ut scil. cùm exeuntis Anni calor à Marte & Igne profectus deficeret, innueretur, ipsummet Numen *(Ignem Sacrum)* id persentiscere & emori: & ut ineuntis *novi Anni* Vernum tempus eò faustiùs procedere posset, voluerunt significare quasi unà cum ipso Numine, Annus *novo calore* & vigore impræg-nandus esset.

Hoc Nomen *Azer*, seu *Azar* (Judæorum more scriptum) comparet in multis *Chaldaicis* Magnatum & Regum Nominibus Biblicis, cùm (ut dictum) ab Idolis, seu diis suis denominari honorificum duceretur. Judæi autem non videntur rectè assecutos esse vix ullos in Bibliis exoticorum Nominum sonos; cùm pleraque *Chaldaica* & *Persica* & reliqua *exotica*, non secundùm orthographiam, sed secundùm receptum suo tempore vulgarem sonum (eúmque corrumptum) in Bibliis dederint; idque quia non ex Libris & Scriptis talia hausérunt, sed tantùm auditu, ex vulgi ore, ea acceperunt: quod idem fecêre Græci

Græci & Scriptores omnes: adeò ut ſi veteres Heroës hodie reviviſcerent, ſua Nomina hoc modo ſcripta & pronuntiata audientes, ea non agnoſcerent nec intelligerent. Et hoc ſanè non eſt ex minimis cauſis quæ rei Hiſtoricæ difficultates augent. Et ſi primi Hiſtoriarum Autores vix rectè aſſecuti ſunt talium exoticorum Nominum veros ſonos, quomodo poſt tantum temporis defluxum potuerint S. Bibliorum Punctatores talium omnium, in variis linguis, veros ſonos nobis poſteris exhibere? In hiſce enim Nominibus Biblicis duplex fuit difficultas; primò in Conſonantium ſcriptione in ipſis Autographis, deinde in Vocalium Adſcriptione à Punctatoribus. Et tamen ſæpe miratus ſum eorum peritiam & diligentiam, quod ſc. in exoticis *Appellativis* fere ſemper aſſecuti fuerint veritatem punctationis, & quòd in *Propriis* plerumque tam prope acceſſerint ad eam, nec longiùs aberraverint!

Dictum, inquam, Nomen *Azer*, ſeu *Azar* (ſed minùs rectè ſcriptum) reperitur in *Aſſyriacis* & *Chaldaicis* Nominibus, quale eſt פלסר *Piléſer*, quod alibi, plenioris ſoni cauſâ, cum *Nun* Epenthetico ſcribitur etiam פלנסר *Pilnéſer*, cùm ſine dictâ Epentheſi nimis curtus videretur ſonus. Et quidem *Piléſer* componitur ex *Azer* & *Pil* (quod aliàs ſubinde ſcribitur *Pal*, *Pul*, *Pol*, *Phul*, *Phel*, &c.) vulgari pronuntiatione idem quod בעל *Bel*, i. e. *Jupiter*: adeò ut *Pil-eſer* ſonet *Jupiter* & *Mars*, q. d. *Jovimartius* homo, fauſtâ utriuſque Planetæ influentiâ felix, & ab utroque Numine ſumptâ denominatione gaudens, & hac ratione beatior & honoratior. Et ſanè nullus dubito quin Βέλεσις nomen Babylonici Sacerdotis, atque etiam Ducis qui contra Sardanapalum cum Arbace conſpiravit, (Scribarum incuriâ malè ſic ſcriptum,) rectiùs reſcribendum ſit Βελέσερ, ſeu *Peleſer*, quia idem nomen pluribus & diverſis perſonis commune fuit: nam propter *Gr.* ρ & ς finalis ſimilitudinem in quibuſdam Libris, talis apud antiquos fuit pronus Scribarum error, ut infrà fuſiùs monſtrabitur. Et, eodem modo, quamvis ſint diverſæ perſonæ, *Piléſer* eſt idem Nomen ex quo componitur תגלת־פלסר *Tiglat-Piléſer*, (aliàs perperàm *Tilgat*,) ubi fauſtioris ominis ergô, Regis nomini præmiſſum eſt Sacri Fluminis Nomen דיגלת *Diglat*, ſeu ܕܝܩܠܬ, *Diklat*, Plinio *Diglito*, notans *Tigrim*, ex cujus affluentiâ beatius redditum Aſſyriorum & Babyloniorum Regnum & Imperium: nam omnia tam majora & profundiora Flumina (quàm immanes Montes & proceræ Arbores & Dracones vaſtiores (ſuo genere juſto grandiora & immaniora) veteribus, ex mole plus quàm ordinariâ, habita fuêre Sacra, utpote quæ ideò aliquid

quid Divinitatis in ſe habere crederentur, & quæ exinde damnum vel lucrum afferre poſſe cenſerentur: omnia enim à quibus vel damnum metuebant, vel lucrum ſperabant, Sacra & Adoratione digna æſtimârunt.

Cúmque (ut ex multis indiciis conſtat) olim horum magnorum Imperiorum tempore, Lingua *Græca* tam celebris fuerit, ut plurima propria nomina *Perſica* & *Chaldaica* terminationibus *Græcis* deſinere & *Græco* more ſonari ſolerent, inde eſt quòd pro בעל *Bel*, ſæpe in *Chaldaicis* nominibus legatur Βῆλ *Jupiter*. Et ſic apud *Syros* (teſtante *Bar-Bahlûl*) ܒܥܠܬܐ Βέλτης inter alia *Veneris* nomina recenſetur. Erat enim *Phœnicibus* בעל Βαὰλ & *Beèl*, *Jupiter*, unde contractè *Bel*: & à *Phœnicum* בעלתה *Baalta*, eſt *Beelta*, *Domina*, fœmininâ formâ; unde apud *Græcos* autores legitur Βαάλτης *Venus*, quæ in Libro *Jeremiæ* aliàs vocatur מלכת שמים *Malcath Shamaim*, *Regina Cœli*, cui Placentas conficiebant.

Ex dictis conſtat quòd nomina quæ à Punctatoribus leguntur בֵּלְשַׁאצַּר *Belſhâſſar* & בֵּלְטְשַׁאצַּר *Belteſhâſſar*, veriùs repunctanda & reſcribenda ſint בֵּלְשׁ־אָזַר Βῆλ-Αζαρ & בֵּלְטְשׁ־אָזַר Βέλτης-Αζαρ. Et tale erat Regis Tyri nomen *Beleazar*, ſc. בְּעַל־אָזַר Βελ-Αζαρ. Miror ſanè Punctatorum in dictis nominibus anomaliam: nam quamvis veram in eis punctandi rationem non attigerint, impoſſible erat quin perſpectum habuerint, ſuam punctationem non eſſe naturalem & regularem, ut ſc. *Pathach* vocalis brevis immediatè præcederet literam quieſcentem, quam neceſſariò ſonus craſſior & productior præcedere debuit. Eâ igitur dictorum nominum punctatione, non ſine ratione, rejectâ, altera quam dedimus, cum meliore ratione, ejus loco ſubſtituenda ſit. Ex dictis conſtat, quòd nomina *Belſhâſſar*, & Βέλεσις, ſeu Βελέσιρ, & *Piléſer*, (quatenùs pluribus hominibus communia,) ſint omnia originitùs idem nomen, quamvis diverſimodè ſcriptum, & diverſis perſonis, variis temporibus, tributum. Quod quidem perſpexiſſe, curioſis fortè non ſit ingratum.

Prædictum nomen *Azer*, ſeu *Azar*, comparet etiam tam in aliis multis, quàm in nomine נְבוּכַדְנֶאצַּר, ſeu נְבוּכַדְנֶצַּר *Nebucadnéſſar*, ubi *Nun* epentheticum, ſeu ut aliàs ſubinde ſcriptum eſt, נְבוּכַדְרֶאצַּר *Nebucadréſſar*, cum *Reſh* epenthetico. Et quidem pro vulgi pronuntiatione exprimendâ, meritò deſiderari videtur talis Epentheſis. Heic autem brevis vocalis *Segol* ante literam *Aleph* quieſcentem, pejus ſe habet quàm in ſupradictis *Pathach*. Meliùs itaque hoc nomen reſcribendum eſſet נבו־גד־אזר *Nebo-Gad-Azar*, i. e. *Mercurius*, *Jupiter*,

Mars. Eſt quidem *Gad* magis *Hebraicum* quàm *Chaldaicum*: ſed non ſemper eandem compoſitionis rationem ſervabant: nam (ut infra dicetur,) *Venus* non ſemper ab eis vocata eſt Βέλτης, ſed aliàs aliquando Hebraicè *Negó*. Supradicti Regis pater magis Chaldaicè dictus eſt *Nabo-Pol-Aſſar*, quod eſt נבו־בעל־אזר *Nabo-Bel-Azar*, ſeu *Nebo-Bel-Azar*, i. e. *Mercurius*, *Jupiter*, *Mars*. Nebucadneſſari avus ſyncopatâ Deitate mediâ, vocatus fuerat *Nabonáſſar*, i. e. נבונאזר *Nabon-Azar* cum *Nun* epenthetico ad implendum ſonum; cùm aliter dixiſſe נבו־אזר *Nabo-Azar*, ſeu *Nebo-Azar*, non tam benè ſonuiſſet propter Cacophoniam ex duarum Vocalium concurſu. Iſtius nomen, quamvis una minùs deitate conſtans, ſatis fauſtum habitum eſt: & tamen dictus illius filius felicior, quippe qui triplici deitate beatior & honoratior. Sic is qui ſcriptoribus Græcis Νηριγασσολάσαρ ſeu Νεριγλασσολάσαρ, (mirè diſtortum Nomen!) eſt נרגל־אור *Nergal-Azar*. De his autem fortè plura, ſi Deus vitam & vires dederit ut Notas Biblicas perficere & typis mandare aggrediamur.

Ut itaque ad penſum redeam de *Terácho* alias dicto *Azer*, ejus Nomen, à Perſis ſcriptum, ſonat تارخ *Târuch*. Sic in Libro *Pharhàngh Gihânghîri* legitur, تارخ *Târuch* eſt آذر *Azer Idolorum ſculptor: ſed in vetuſtiſſimâ linguâ Perſicâ, eſt i. q.* گنه *Ghenè, i. e. Ricinus* animal. *Orientales* narrant quòd Abraham ſæpius ſuaſerit Patri ut veterem religionem relinqueret: ſic ex Alcorano *Shahriſtanius*, فقال لابيه آزر لم تعبد ما لا يسمع و لا يبصر و لا يغني عنك شيا *Non coles*, ſeu interrogativè, *Quare colis id quod non audit, nec videt, nec prodeſt tibi quicquam?* Et alibi memoratur, quòd cùm *Azer* ſimulacrorum cultum, quem à ſuis didicerat, adhuc proſequeretur, nec filium Abrahamum ab eo dehortantem audiret, parum abfuiſſe quin à verbis ad verbera deveniretur. Hujus rei meminit *Alcoranus*, & ex eo quoque *Sheich Saadi* Perſa in Libro *Guliſtân* quingentis abhinc annis ſcripto, چون آزر بت تراش كه بحجت با پسر بر نيامد بجنگ بر خاست كه قال الله تعالي لين لم تنته لارجمنك *Perinde ac Azer ſimulachrorum ſculptor, qui cùm argumentis in filium prævalere non poſſet, in certamen ſurrexit; adeò ut Deus altiſſimus dixerit, Niſi equidem abſtinueris, te lapidibus obruam*, Nempe ſic vocatur *Terach* in *Alcorano*, qui illis eſt *Verbum Dei*, ut nobis ſunt *Biblia Sacra*: & quando Deus aliquid dixiſſe memoratur, tum illud in *Alcorano* dictum eſſe intelligitur.

Alco-

Alcorani Cap. II. p. 26, narratur *Abrahami contentio cum eo qui habuit Dominatum*, quem omnes Interpretes *Arabes* & *Perſæ* ajunt fuiſſe *Nimrod*. De ejus diſputatione cum Idololatris, videri poſſit Alcorani Cap. VI. p. 82, & quomodo Deus eum Argumentis inſtruxit, &c. Et Cap. IX. p. 123, Abraham noluit orare pro Patre, donec promiſerat converſionem ſuam: nam dum eſſet inimicus Deo, erat quoque inimicus Abrahamo. Et ſic p. 36. Et Cap. XIX. p. 187.

Hanc autem Hiſtoriam prolixiùs narrant *Arabum* Hiſtorici. Sic inquit *Ahmed Ibn Jûſuph Arabs*, "Deus abſcondebat Abrahamum in "ſpeluncâ, ſeu cavernâ, propter periculum à Nimrodo: & ibi ſugebat "pollicem ſuum qui emittebat lac. Et is adoleſcebat quovis die quan- "tum quivis alius integro menſe: & ætate unius anni utebatur ſer- "mone, qui primò erat, *O mater mea, quis eſt Dominus meus?* quæ "reſpondit, *Ego*. Tum ille, *Et quis eſt Dominus tuus?* quæ reſpon- "dit, *Pater tuus*, Mox ille, *Et quis eſt Dominus patris mei?* quæ re- "ſpondit, *Nimrod*. Tum mater alapam dans, tacere juſſit: & adiens "maritum, retulit ei quid dixit puer. Tum veniens Pater eodem "modo cum eo collocutus eſt. Dicitur autem manſiſſe in ſpeluncâ "III annos; ſec. alios, VII annos. Pater ejus *Azer* conficiebat Cor- "puſcula (ſc. Idola) quæ tradidit Abrahamo ut ea divenderet. Dixit "autem Abraham, *Quis vendet illa quæ ei nocent, nec ei proſunt?*"

Inquit *Abu Mohammed Muſtapa Arabs*, "Quando Deo placuit "emittere Abrahamum, Nimrod ſomniavit quaſi videret Stellam "quandam orientem, quæ obfuſcaret Solem & Lunam, adeò ut abie- "rat lumen eoram. Unde timens ſibi timore magno, collegit Hario- "los & Divinos, quos de hoc conſuluit: qui ei dixerunt, hoc anno "naſciturum in iſtâ regione aliquem, per cujus manum tu periturus "es & regnum tuum abiturum. Tum juſſit Nimrod interficere "quemvis puerum qui illo anno in illâ regione naſceretur, & præce- "pit ſeparare fœminas à viris, viros verò eduxit ad militiam, & pro- "hibuit eos à fœminis. — Erat autem Azer amicus ipſius & Janitor. "— Tum Abrahami mater metuens ne filius occideretur, abſcondit "eum in ſpeluncâ: & quiſque dies, in adoleſcendo, erat Abrahamo "ſicut menſis, & quiſque menſis ſicut annus: donec tandem diceret "matri ſuæ, *Educito me*. Cúmque educeret eum veſperi, obſervavit "& contemplatus eſt Creationem cœli & terræ. Deinde intuendo "cœlum, vidit Stellam; & dixit, *An iſta eſt Dominus meus?* &c. Et "non deſtitit Abraham invitare eos ad Dei Unitatem agnoſcendam, "& contemnebat Idola eorum: donec tandem, quodam Die Feſto,

" retrò manſit, nec exivit cum eis: & tunc patravit id quod fecit Ido-
" lis eorum quoad Fractionem. Cúmque in hoc obſtinatus eſſet, dixe-
" runt, *Comburite eum, & opitulamini diis veſtris, ſi facturi eſtis.* —
" Deinde Deus immiſit in eos Culices qui conſumpſerunt exercitum
" ejus, & unus eorum penetravit in aurem Nimrodi." Sic ille.

Quantis itaque difficultatibus Abraham veri Dei cognitionem & cultum apud ſuos populares propagaverit, illiſque eam inculcaverit, facilè eſt hariolari; cùm certè abſque acerrimâ cum eis contentione & vitæ periculo id fieri non potuerit, nec Idolorum cultus damnari potuit, abſque graviſſimâ in illum Idololatrarum irâ & perſecutione vehementiſſimâ; cùm cuivis Genti nihil Religione ſuâ antiquius & charius habeatur, nec Diis ſuis honoratius, pro quibus itaque (ut apud Romanos) tanquam pro *aris & focis* contendere debuerint. Illam enim Religionem, eáſque conſuetudines, & illos mores in quibus Gens aliqua nata fuerit & in eis educata, (eóſque diu coluerit inque eis adoleverit,) non temerè relinquit, ſed perticinaciter & mordicùs tenet: atque in eis aliquid innovare, adeò mirum & inuſitatum videtur, ut potiùs quàm aliquid de novo introducat, aut de veteri aliquid concedat, in bellum ſurgat.

Abraham autem fuit ex Magnatibus & potentiſſimus Princeps, aliàs non potuiſſet cum eis contendere, quin eum ſtatim profligâſſent. Prætereà ille erat inſignis *Aſtronomus*, aſtrorum & cœleſtium obſervationum peritus & ſyderum ſcientiâ pollens, ſi credamus *Joſepho*, qui Antiq. Lib. I. Cap. 8, ſic refert, *Meminit Abrahami Patris noſtri Beroſus, (non tamen eum nominans,) his verbis; Poſt Diluvium Decimâ Ætate apud Chaldæos erat quidam Vir Juſtus, qui etiam rerum cæleſtium peritus. Is etiam in Ægypto de hiſce rebus cum applauſu (cùm eſſet Vir Sapiens & gnarus,) coram Ægyptiis diſſerebat.* Et ibidem Cap. IX, *Ob has Diſſertationes in pretio habitus, ut qui magnam tam intelligendi quàm eloquendi docendique facultatem præ ſe ferret, & Numerorum ſcientiam & Syderum doctrinam benignè cum eis communicavit. Nam ante Abrahami ad Ægyptios adventum, Ægyptii rudes erant Diſciplinarum, quæ à Chaldæis ad Ægyptios profectæ, & tandem ad Græcos pervenerunt.* Hinc conſtat *Ægyptios* non (ut aliqui volunt) fuiſſe in hiſce ſcientiis primos, ſed ab *Abrahamo Chaldæo* ſua *Aſtronomiæ* & *Arithmeticæ* rudimenta habuiſſe.

Quòd autem Abraham cum Chaldæis acriter contendebat de Religione, eſt proclive creditu: & prætereâ Hiſtorici, tam alii Orientales, quàm Judæi, id unanimiter affirmant & multis exponunt. Tradunt

dunt enim (ut breviter dicam,) Abrahamum omni Idololatriæ ſe acriter oppoſuiſſe, & cum omnibus ejuſdem falſi cultûs Aſſeclis, etiam Magnatibus, contendiſſe; eò uſque dum apud Regem (qui ſupradictus *Nimrod*,) accuſatus & acriter objurgatus fuit: & cùm ſæpè admonitus noluit abſtinere, in carcerem, & tandem in foveam ignis conjectus eſt; eodem modo quo in Hiſtoriâ *Danielis*, tres Pueri in Chaldæâ conjecti ſunt in Fornacem, ſeu Foveam ignis pro ſupplicio maximo. Et quòd Abraham in ipſâ cum Nimrodo contentione primò incarceratus fuit, & quantùm poſteà de obitu ejus doluerunt Gentes, meminit Textus Talmudicus in *Bava bathra* 91. 1, in *Gemara*, אמר רב עשר שנים נחבש אברהם אבינו שלש בכותי ושבע בכרדו ורב דימי מנהרדעא מתני איפכא אמר רב חסדא עיברא זעירא והו אור כשדים־אמר רב אותו היום שנפטר אברהם אבינו מן העולם עמדו כל גדולי אומות דעולם ואמרו אוי לו לעולם שאבד מנהיגו ואוי לה לספינה שאבד קברניטא *Dicit Rav, Abraham pater noſter incarceratus eſt* 10 *annis, ſcil. tres in Cûtha, & ſeptem in Corduenis; ſed Rav Dime Nehardeenſis tradit contrarium,* [ſeu *viceverſâ.*] *Dicit Rav Chaſda, In Ibra-Zëîra, quæ eſt Ur Chaſdæorum. — Dicit Rav, Ipſo die quo Abraham pater noſter ex hoc Mundo deceſſit, omnes Magnates gentium Mundi ordine ſtantes dixerunt, Væ Mundo cujus Dux periit! & væ Navi cujus periit Gubernator!* De dictâ Abrahami incarceratione, *Gloſſa Talmudica* ibidem dicit, *Incarceravit eum Nimrod.* In *Aggada* dicitur, *Incarceravit eum Terach pater ejus, quia deſtruxerat Idola ejus.* Urbis *Ur* hoc nomen *Ibra-Zëîra* eſt *tranſitus parvus*, ſeu *ultrajectus parvus*; quod de hujus Urbis ſitu aliquid ſubinnuit, quòd fortè fuerit in ultrajecto alicujus fluminis reſpectu Babelis: ſed ex Chartis videtur longiuſculè diſtare verſus Arabiam. De hac urbe ſic legitur in Gloſſâ Talmudica, עיברא זעירא כך שמו והו אור כשדים שהושלך שם אברהם אבינו *Ibra-zëîra, ſic eſt nomen ejus: eſt ſc. Ur Chaſdæorum ubi projectus fuit Abraham pater noſter,* ſcil. in ignem. Ibidem memorata *Nahàr-déa*, [i. e. *flumen ſcientiæ,*] *Ptolemæo* Ναάρδα, eſt nomen antiquæ Judæorum Academiæ in terrâ *Babelis* ad *Euphratis* ripam Orientalem ſitæ; unde propter vicinitatem τῇ *Ur*, dictum teſtimonium eſt magis authenticum. Hæc olim *Academia* (à quâ 20 milliaribus inferiùs diſtabat *Sora*,) erat plurimis milliaribus ſupra locum unde, in oppoſito latere, derivatur *Flumen regium* (imò & ſupra alterum *Flumen fœtidum*,) quod ad Paludes ducit per *Babelem*, quæ anteà à quovis flumine (ut etiam ab *Euphratis* occidentali latere) diſtabat: urbem autem alluebat flumen regium. Et paulò occidentalior

lior in aliâ lineâ huic fere parallelâ, eſt *Ptolemæi* Νααρσάρης, ſeu נהר סרי *Nahar-Sare*, *Fluvius fœtidus*, qui etiam ducit ad Paludes ubi exoneratur. At de illo altero agit *Am. Marcellinus* p. 498, ubi vocatur *Naarmalcha*, vetere nomine Chaldaico longè ante Romanorum tempora impoſito, quod ab eo etiam rectè exponitur fluvius regius. *Naarmalcha — tunc aridum. — Id antehac Imp. Trajanus, poſteáque Severus, egeſto ſolo fodiri in modum canalis ampliſſimi, ſtudio curaverat ſummo, ut aquis illuc ab Euphrate transfuſis, naves ad Tigridem commigrarent. Tutiſſimumque ad omnia viſum eſt eadem loca purgari, quæ quondam ſimilia Perſæ timentes, mole ſaxorum obruêre multorum. Eâ autem valle purgatâ*, &c. Iſte itaque Canalis quem *Nimrod* (ut orientales ajunt) effoderat, temporis proceſſu ſuffocatus & aridus, à *Trajano* & *Severo* de novo effoſſus & mundatus atque purgatus eſt. At qui primò pro irrigatione iſtius ſoli & pro loci amœnitate (ubi juxta flumina Babelis morabantur captivi Judæi,) excavatus fuerat, poſt inventam & excultam navigationem, compertus eſt huic territorio & urbi incommodus, periculum ab hoſtibus unà cum mercibus adferens.

Satis probabile, quòd Abr. incarceratus fuit in *Ur*, quia ibi vixit, & (dicente S. Scripturâ) inde eductus eſt. Sed an ibi natus, ex S. Bibliis non conſtat, nec ubi juventutem tranſegerit: nam fortaſſis pluſquàm Sexagenarius diſceſſerit ex *Ur*, cùm Septuagenarius & quinarius diſceſſit ex *Haran*. Orientales volunt eum natum in *Cûtha*, & ibi etiam (ut vides) incarceratum: quod valdè probabile, quia ea tunc fuit Imperialis Civitas, ſeu Sedes Regia, ab ipſo Imperatore, ſeu Patriarchâ *Cûth* (qui primus illas partes incoluit) denominata, ubi Abrahami pater *Azer* fuit ex ſupremis ejus Miniſtris, atque ideò Abr. neceſſariò ibi natus: fortè autem propter perſecutionem, inde fugerit ad *Ur*. De natali ſolo Abrahami, *Abulpheda* in Hiſtoriâ Gentium refert, قيل بـاهواز وقيل ببابل في العراق *Dicitur in Ahwâz: & aliàs dicitur in Babyloniâ, quæ eſt Erâc.* Eſt quidem *Ahwâz* præcipua urbs *Huzæorum* in Elymaide. *Abu Mohammed Muſtapha* peremptoriè aſſerit in *Cûtha*, وكـان مولد ابراهيم بكوثا من اقليم بابل بارض العراق على ارجح الاقوال في زمن نمرود *Natale ſolum Abrahami fuit in Cûtha ex territorio Babel in terrâ Erâc, idque ſec. præferentiorem ſententiam, in tempore Nimrodi. Ahmed Ibn Jûſuph* plures opiniones recenſet, وكان مولده بقرية كوثا ابراهيم – وهو ابو الانبيا وتاج الاصفيا – من اقليم بابل وقيل بقرية برزة من اعمال دمشق وقيل ولد بقرية حران.

حران ونقله ابوه الى بابل وقيل كان مولده بالسوس من اهواز في زمن نمرود الجبار *Abraham fuit Pater Prophetarum & Corona Sanctorum.— Et fuit natale ſolum ejus in Cûtha ex territorio Babel. Sunt qui dicunt in urbe Berza ex ditione Damaſci. Alii dicunt, Natus fuit in Harrân, & pater ejus portavit eum ad Babel. Alii ajunt Natale ejus fuiſſe in Sûs* [ſeu Suſis] *ex ditione Ahwâz, tempore Nimrod Gigantis.* Idem Author in alio loco dicit, كوثا قرية بسواد العراق قديمة ينسب اليه ابراهيم الخليل ع م وبها كان مولده *Cûtha eſt urbs inter pagos Erâc* [ſeu *Chaldææ*] *antiquiſſima, cui relatus fuit Abraham Amicus* Dei, *cui pax, & in eâ fuit natale ſolum ejus.* Sunt autem duæ hujus nominis Urbes, de quibus vide plura in fine hujus Capitis. Apud nuper laudatum Autorem *Ahmed* memoratur ejuſdem nominis Flumen, à Nimrodo effoſſum, نمرود الجبار — وهو الذي احتفر انهارا بالعراق اخذها من الفرات فيقال ان ذلك نهر كوثا من طريق الكوفه *Nimrod Gigas,* — *is erat qui effodit aliquot Fluvios in Al Irâc quos deduxit ex Euphrate; & dicitur ejuſmodi eſſe Flumen Cûtha in viâ Cûphæ.* Hæcce *Cûpha* eſt urbs in *Erâc* quæ eſt Chaldæa, ſeu Territorium Babylonicum. Urbis *Cûthæ* meminit S. Scriptura, 2 *Reg.* XVII, *Et Rex Aſſyriæ traduxit colonos à Babel & Cútha, — Et homines Babelis colebant Succoth-benòth, & homines τῆς Cûth colebant Nergal.* Hinc videmus *Cûtham* fuiſſe ex primariis & præcipuis urbibus *τῆς Erâc*, à quâ Imperii Sedes tandem tranſlata eſt ad Babelem. Et quidem *Cutha* ab Orientalibus memoratur ut urbs hodiè extans, quamvis veteri gloriâ privata. Sed dolendum eſt quòd noſtra *Chaldææ* & *Aſſyriæ* (potentiſſimarum olim Monarchiarum) *Geographia* ſit valdè imperfecta: adeò ut nobis tantæ potentiæ veſtigia vix perſequi liceat. *Babelis* quidem haud procul ab *Euphrate* ſitus hodiè agnoſcitur, utpote unde Lateres ad alia ædificia tranſportant, cujus tamen locum occupat parva Villa: gloria enim diſceſſit ad *Bagdâd*, triduo inde itinere, ad *Tigrim* ſitam, contrà quàm noſtrates credunt.

Sed ut ad rem redeam, cur nempe à *Nimrodo* in fornacem, ſeu foveam ignis, projectus eſt Abraham, cauſam reddit *Chondemîr* Perſa; Quòd ſcil. dum Chaldæi [ſeu potiùs *Cuſhæi* & *Nimrodæi*] publicæ alicui lætitiæ in campis extra urbem intenti eſſent & in eâ occupati, Abraham in eorum بتخانه *Delubrum* (ſeu بتكده *Fanum)* ingreſſus, omnia Idola dejecit & fregit: & pro iſto facinore, Nimrodi Decreto, à Chaldæis in ignem conjectus eſt: ab Angelo autem liberatus, nec

ignis

ignis eum lædere potuit, juſſu Dei, qui (ut in Alcorano) præcepit, يا نار كوني بردا وسلاما علي ابراهيم *O Ignis, eſto refrigerans & ſalutaris erga Abrahamum.* Apud *Kas Kyriacum* in Syrorum Calendario (quaſi certò creditum) memoratur quo die id factum fuit, ſc. *Januarii 25 fuit* و قوع الخليل في نار *caſus Abrahami in ignem.* Dicta hiſtoriola in *Alcorano* extat Cap. XXI, p. 197, ab illius temporis delirantibus Judæis accepta: nec mirum, cùm Pſeudopropheta *Sergium Monachum*, & *Judæum* quendam, in condendâ Religione coadjutores habuit. *Jonathan ben Uzziel* ad *Gen.* XI. 28, hanc hiſtoriam Chaldaicè narrat ſequente modo, והוה כד רמא נמרוד ית אברהם לאתונא דנורא וגו׳ *Accidit quando Nimrod projecit Abrahamum in fornacem ignis, eò quòd non coleret Idolum ſuum, ut non eſſet Igni poteſtas comburendi ipſum. Ideóque dubitatio orta eſt Harano, dicendo, Si vicerit Nimrod, ſtabo à partibus ejus: ſin verò vicerit Abraham, ſtabo à partibus illius. Cùm autem Chaldæi viderent ignem non dominatum eſſe in Abrahamum, dixerunt in corde ſuo, Annon Haran Abrahami frater, divinationibus & auguriis plenus, incantavit ignem ut non combureret fratrem ſuum? Et ſtatim cadens* [alius] *ignis ex altiſſimo cœlo, conſumpſit eum, & mortuus eſt Haran coram conſpectu Terach patris ſui, quando combuſtus eſt in terrâ nativitatis ſuæ, in fornace ignis quam paraverant Chaldæi Abrahamo fratri ejus.* Sacra Scriptura dicit quòd Haran obiit in *Ur:* modo autem non indicato. *Abulfaragius* refert, *Quòd cùm Abraham incendiſſet Idolorum Templum, Haran frater ejus, ad extinguendum ignem ingreſſus, combuſtus eſt.*

Deinde narrant, quòd creſcente diſſidio inter Abrahamum & Nimrodum, conſcripto utrinque exercitu, tandem obortum eſt bellum; in quo Deus, Culicum ſeu Cimicum agmina mittens, Idololatrarum exercitum hac ratione profligavit: & quòd horum Cimicum unus in Nimrodi cerebrum per Aurem (al. per Narem) penetrans, eum necavit. In aliquo *Syrorum* Calendario (quaſi certum & notiſſimum fuerat) Nimrod ponitur interfectus octavo die *Tamûz*, ſeu *Julii*, cui ibi adſcribitur, قتل نمرود عليه اللعنة *Interfectio Nimrodi, in quem ſit maledictio. Saphioddîn* meminit urbis dictæ ڤخـــارات *Tacharât*, ſeu ڤخاران سار *Tacharân-ſâr*, بها سكة نمرود *in quâ erat Officina monetaria Nimrodi.*

Dicta opinio de Abrahami projectione in ignem, (quæ in Alcoranum aſſumpta & ad Arabes propagata,) videtur malè fundata in perperam interpretato loco Biblico qui olim à veteribus Judæis, & nuperiùs

periùs ab aliis, haud ſatis rectè intellectus eſt. Nam cùm Abraham Dei promiſſo fretus, patriam ſuam juſſu divino monitus deſeruit, & peramplum ibi patrimonium reliquit, ut novam ſibi promiſſam patriam quæreret, is dicitur à Deo *eductus* מאור הכשדים *ex Ur Chaſdæorum*, quod volunt eſſe *ex Igne Chaldæorum*, quia *Ur* etiam ſignificat *Ignem*. Hinc veteres Judæi nugis abundantes, qui (ut Chriſtus ſuo tempore de eis pronuntiavit,) in rebus religioſis erant *Stulti & Cæci*, excuderunt ſupradictam interpretationem, eámque communicârunt cum Chriſtianis, (inter quos cum D. *Hieronymo*,) & poſteà cum *Mohammede*, concludendo quòd Abraham contra Chaldæorum Idololatriam contendens, ab iis in Ignem conjectus eſt. *Hieronymus* hoc *Judæorum fabulam* vocat, ut &, quòd *Haran* mortuus fuerit in Igne Chaldæorum: quamvis verum ſit quòd *Haran* obiit in *Ur*. Et cùm *Hieronymus* hoc priùs vocaverat *Fabulam*, tamen mox poſteà videtur idem credere, his verbis, *Vera eſt illa Hebræorum traditio quam ſuprà diximus, quòd egreſſus ſit Thare cum filiis ſuis de Igne Chaldæorum, & quòd Abraham fuit Babylonico vallatus incendio, quòd illud adorare nolebat, & quòd fuerit Dei auxilio liberatus:* viz. diverſis temporibus hæc ſcribens interpolanſve Hieronymus, ſuî oblitus eſt, ſuam Hypotheſin evertens. Sed illius veniâ, *Chaldæi* & *Babylonii* non *adorabant* Ignem, nec Chaldæi tunc in Mundo extabant. Quid adorarunt, S. Scriptura docet. Miſerè itaque falluntur iſti, perperàm in hoc loco accipientes *Ur* pro *Igne*, cùm id reverà fuerit in Tractu Babylonico (ubi poſteà Chaldæa) urbis nomen, *Ptolemæo* Ορχόη. Quo alio nomine vocata eſt *Ur*, vide ſupra. *Euſebius* in Præp. Evang. p. 418, adducit Hiſtoriam Abrahami ex *Eupolemo*, qui inter alia, dicit eum *Aſtronomiam* docuiſſe *Phœnices* & *Ægyptios*, illúmque natum fuiſſe in urbe *Camarina*, ſeu *Urie*, quæ Græcis dicta *Chaldæopolis*.

Supradictum hujus Urbis nomen *Ur* in S. Bibliis, videtur contractum pro *Ptolemæi Orchoá*, ſeu *Urchóa*, ſeu potius pro *Syro-Chaldaico* nomine *Urhoi:* nam quamvis ſitu longè diſtent, quærendum eſt annon Synonymum ſit cum *Meſopotamiæ* urbe *Urhoi* quæ *Edeſſa*, in quâ etiam aliquando vixit Abraham. Quamvis enim in Libro *Gen.* memoretur Abrahami iter ab *Ur* immediatè ad Haran, videtur certè pluries divertiſſe aliubi in Meſopotamiâ; cùm *Act.* VII. 2, legatur, *Gloria Dei apparuit Abrahamo cùm eſſet in Meſopotamiâ, antequàm habitaret in Haran.* Cúmque tam celebris ſit Abrahami commemoratio in *Urfa*, videatur ibi aliquamdiu divertiſſe, vel ſaltem id inſinuare volunt Incolæ habentes ibi Eccleſiam Abrahami memoriæ dicatam, (hodiè,

ut dicitur, à Mohammedanis uſurpatam,) ſub cujus fundamento erumpit Fons copioſus, unde Fluviolus in quo Piſces, quos paſcunt cicures, qui vocantur *Piſces Abrahami*, quos lædere nefas eiſque nocere vetitum. Hæc urbs *Plinio* audit Καλλιῤῥόη, à dicto (ut videtur) Fonte denominata. *Syris* vocatur ܐܘܪܗܝ *Urhoi*, Arabibus رها *Roha*, ſeu الرها *Erroha*, vulgò Incolis *Urfa*, cujus Territorium *Suidæ* dicitur Ορσήνη, aliis minùs rectè Οσροήνη, redundante *Sigma*. Et quidem *Abu Mohammed Muſtapha* Arabs in cap. de vitâ Abrahami, id diſertis verbis aſſerit, negando autem quòd Abrahami Pater converſus fuerit: ولما نزلوا حران مات بها آزر على كفره فمكث بها ابراهيم ثم خرج ونزل الرها *Et cùm diverſarentur in Harrân, obiit ibi Azer in infidelitate ſuâ. Ibi moratus eſt Abraham. Et dein egrediens, diverſatus eſt in Roha.* Talis erat via ad Terram S^am^: ſc. ab *Harrân* ad *Roha*, & hinc ad بير *Bîr*, ubi trajiciendus erat Euphrates & tranſeundum per Arabiam rectà (ut volunt) ad *Berza*, & hinc ad Damaſcum. Hoc modo ſectanda ſunt Abrahami veſtigia. Ex dictâ urbe *Ourhoi*, ſeu *Roha*, prodierunt multi viri Docti, ut ܝܥܩܘܒ ܐܘܪܗܝܐ *Jacûb Urhóyo*, (i. e. *Urhoyenſis* ſeu *Rohenſis*,) cum aliis, qui tam *Syriacè* quàm in *Gerſhûni* Libros ediderunt. Heic etiam fuit اكبر *Acbar* (vulgò *Agbarus*, ſeu *Abgarus*, Herodiano Αυγαρος *Avgarus)* qui ad *Chriſtum* ſcripſit Epiſtolam, quam olim Londini Arabicè vidi.

Abraham itaque poſteà, trajecto flumine, per Arabiæ partem tendebat in Syriam, & (dicente *Ahmed Ibn Jûſuph*,) venit ad قرية برزة ... ابراهيم تعبد في مسجده بقرية برزة فمن صلى فيه اربع ركعات خرج من ذنوبه كيوم ولدته امه و استجيب دعاوه *urbem Berza —ubi Abraham adorabat in ejuſdem Templo in urbe Berza. Et quicunque ibi perorat quatuor Genuflexionibus, exit è peccatis ſuis ſicut die quo eum peperit mater ejus, & exaudiuntur preces illius.* Arabum traditio vult inſinuare, eum, trajecto Euphrate, tetendiſſe ſiniſtrorſum per Arabiam felicem. Sed credat Arabs appella. Credendum verò potiùs eum iviſſe rectiore viâ ad Syriam: nam ipſe habitavit etiam in *Damaſco*, ubi eſt Vicus dictus Αβράμ Οἴκησις *Domicilium Abrahami*; quod etiam ab illius regionis hominibus audivi. Et dum Abraham in vetuſtiſſimâ illâ urbe habitaret, adſcivit ſibi Oeconomum, qui *Eliezer Damaſcenus:* anteà enim illius religionis homines fuerunt Abrahamo ignoti.[1] Integram

1 At ut aliqui *Arabum* volunt eum tetendiſſe nimis auſtraliter per *Meccam*, ſic alii eorum nimis borealiter per Haleb, quæ Aleppo: ſic *Ibn Al Mallâ Halebenſis*, qui dicit *Haleb* fuiſſe ex locis ad quæ peregrinatus eſt Abraham, qui ibi aliquamdiu ſubſtitit poſt diſceſſum ſuum ab *Haran*. Proh Nugæ!

hujus

hujus Patriarchæ Hiſtoriam ſcripſit *Hecatæus*, qui inter deperditos Autores numerandus. Quomodo autem maximos & rapidiſſimos Fluvios trajecerint & hodiè trajiciant, in Oriente artem habent facillimam per *Rates*, quæ in S. Bibliis vocantur רפסוד ῥάφωδ, quæ conſtant ex plurimis colligatis Lignis, margini applicatis inflatis Pellibus ad inſtar Veſicarum. Talis vocatur عمد *Amàd*, ejúſque Artifex Ratiarius faber ſeu compactor, eſt عمدگر *Amad-ghèr*, *Ratifex*. Ratis *Turcis* audit سال *Sâl*, & *Meſopotamienſibus* كلك *Kélek*. Hac arte fit, ut nullus Fluvius eis obſtet, & magna Mercium onera per *Tigrim* & *Euphratem* facili negotio deportent.

Sed ut in viam redeam, dicti *Chaſdim*, ſeu *Chaſdæi*, (vulgò *Chaldæi* facilioris ſoni cauſâ,) ſic denominati ſunt à כשד *Cheſed* filio *Nachor* fratris Abrahami, qui unà cum filiis & poſteris dictam urbem *Ur* & tandem totam illam regionem inhabitârunt. At notandum eſt, quòd quamvis Abraham [*Gen.* XI. 31,] dicatur exiviſſe ex *Ur Chaldæorum*, dictus *Cheſed*, à quo iſti denominati ſunt (quamvis ſenioris fratris filius,) tunc quando Abraham exivit, non fuit natus: *Nachorem* verò deinde habuiſſe VIII filios (inter quos *Cheſed)* narratum fuit Abrahamo [*Gen.* XXII. 20, 22,] tanquam lætum nuncium ei anteà inauditum: nam ſi nati fuiſſent ante ejus exitum, Abraham id ſatis noviſſet, nec fratris filiorum nativitatem, dum in Meſopotamia erat, ignorâſſet. Sed poſt Abrahami exitum naſcebatur *Cheſed* ibi Sedem figens, à quo & ab ejus poſteris illa urbs dicta eſt *Ur Chaſdæorum*, eóque nomine celebris evaſit: & tota illa terra dicta eſt *Chaſdæa*, & minùs rectè *Chaldæa*. Ideóque *Moſaicæ* Hiſtoriæ Scriptor (qui longè poſtquam illa omnia tranſacta ſunt, vixit,) prolepticè eam vocavit *Ur Chaſdæorum*; cùm debuerat ad captum noſtrum potiùs dixiſſe, *Abraham exivit ex Ur, ubi poſteà vixerunt Chaſdæi*. Nam Abrahami tempore, tam in *Ur* quàm in كوثا *Cûtha* fuerunt tantùm *Cuſhæi* ſeu *Cuthæi*, ſcil. poſteri τῦ *Cûſh* & proſapia τῦ Nimrod, qui omnimodam perſecutionem moliti ſunt in Abrahamum, religionis cauſâ.

Quamvis verò Abram in Sacrâ Hiſtoriâ nominetur priùs, fuit tamen filius natu minimus: nam dicuntur *Abram & Nachor & Haran*, eodem ordine ac *Shem & Ham & Japheth*, incipiendo à juniore. Abram enim videtur natus anno poſt Diluvium 349, *Terachi* anno 129, aut 130, quibus addendo Abrami ætatem 75 quando diſceſſit ex *Haran*, completur *Terachi* tempus 205 annorum. Poſt hoc tempus, Abram tranſiturus in Canaan, migravit ex *Haran*, ubi jam tum manſerat aliquam multos annos, (ſcil. uſque dum moreretur Pater ejus *Terach*;)

quia dicitur exportâſſe ſecum *omnem ſubſtantiam & omnes Animas quas fecerant in Haran,* quod feciſſe requirebat multorum annorum tempus: nam in fine præcedentis Capitis dicitur, *Venientes ad Haran, ibi habitârunt.* Nempe poſtquam incarceratus fuerat Abram in *Cûtha* & in *Ur*, ad evitandum ulteriorem perſecutionem, diſceſſit ex Chaldæâ ad *Haran* Meſopotamiæ urbem, ibique manſit ad mortem Patris ſui, & tum ſtatim diſceſſit poſtquam ad tempus à Deo aſſignatum præſtolatus fuerat. Et quidem decrepitum Silicernium nec ſecum portare nec commodè relinquere potuit: ideóque, vel eâ de cauſâ, expectandum erat uſque ad mortem ipſius.

Ex ſupradictis conſtat, Abrahamum exeuntem ex *Ur* (ſcil. ορχόη ſeu *Orhoi)* quæ in Chaldæâ, tranſiviſſe in Meſopotamiam ad urbem *Haran*, & inde ad cognominem urbem *Urhoi*, ſeu *Roha*, (nam in tanto itinere per plures urbes tranſeundum,) ut ſuprà dictum. Et quando reliquit *Damaſcum*, fixit Sedem in Cananææ urbe à Conditore primò dictâ *Mamre*; poſteà *Kirjath* τῦ *Arba'*, ab *Arba'* gigante qui ibi vixit: is erat pater τῦ *Anak* & *Anakæorum.* Ibi primò regnavit *David* antequam regnaret in Hieroſolymis. At poſtquam ea urbs uniretur cum regno Hieroſolymitano, tunc tandem dicta eſt חברון *Hebron*, *ſocia* urbs, ſeu *ſocium* regnum. Adeò ut eo loco ubi primò Sedem fixit, & Sepulcretum pro ſuis acquiſivit Abraham in Canaan, ibi David, ex ſemine ejus, primò regnavit ſuper Iſraelitas, providentiæ divinæ ductu. Tot nominum mutationes ſubiit illa urbs! Quamprimùm autem pedem poneret in Terrâ promiſſâ, gratitudinis ergô extruxit Altare inter *Bethel* & *Hai*, & aliud poſteà in Campeſtribus *Mamre:* & pro tempore ſeceſſit ad Philiſtæos in *Gerar:* & ad alia in Canaan loca non memorata pro lubitu conceſſit, redeundo ſemper ad *Mamre*; nam peragravit totam Terram promiſſam ut luſtraret eam, idque juſſu Divino, ut *Gen.* XIII. 17, *Surge, peragrato terram per longitudinem & latitudinem ejus, quia tibi daturus ſum eam.*

Locus ubi primò extruxit Altare, erat Planities ab eo inde dicta מורה *Morè*, i. e. *Monens, docens,* quia Deus ibi apparens Abrahamo, eum monuit, *Surge, peragrato,* &c. Et eâdem de cauſâ, ſic denominata poſteà fuit *Terra Moriah*, ſeu *Mons Moriah*, ſuper quo etiam extruxit Altare, (& ibi tandem extructum fuit Templum Hieroſolymitanum,) ubi Dominus monuit Abrahamum ne mactaret Iſaacum. Inde in Pſalmis ille Mons vocatur הר הבית *Mons Domûs* Domini, & in Lege, הר יהוה *Mons Domini*, & יהוה יראה *Jehovà jir'e*, i. e. *Dominus videbit*, ſeu *providebit*, quia providebat ſibi Arietem loco Iſaaci: unde

unde Proverbium ad difficultatum & dubiorum ſubſidium atque ſolatium, *In Monte Domini* [yeräè] *providebitur*. Hócque factum eſt, ut ibi oblatus *Iſaacus* eſſet *Typus* Chriſti poſteà Hieroſolymis immolandi pro peccatis Mundi, in eodem loco, ſeu ejuſdem Montis ramo extra Urbem exporrecto, malâ Metatheſi dicto κόλγοθα pro גלגלתא *Gogûlta*, i. e. *Cranium*.[1] In hoc Monte eſt *Eccleſia Sancti Sepulchri*, aliàs dicta Ἀνάστασις, ſeu بيعة القيامة *Eceleſia Reſurrectionis:* at ubi erat Templum Hieroſolymitanum, jam eſt مسجد الاقصي *Meſgjedo'l Akſa*, i. e. *Eccleſia extima* Mohammedanorum, quam extruxit *Omar*, quo nomine apud *Arabum Geographos* ipſa Urbs tota etiam intelligitur.

Quinetiam, uti Abrahami pater in S. Bibliis vocatus in Converſione ſuâ *Terach*, habuerat aliud etiam Nomen Ethnicum à parentibus inditum, ſic quoque Abraham ipſe proculdubiò in pueritiis habuerat aliud Nomen, idque Chaldaicum, quo nominatus fuerat apud ſuos. Nam אברם *Abram* erat Converſionis Nomen poſtliminiò inditum, quo ſignificatur *celſus*, ſeu *ſublimis pater*, honoris cauſâ ſic vocatus; cui etiam poſteà Deus adhuc honoratius Nomen impoſuit אברהם *Abraham*, quod abbreviatum, eſt אב־רב־המון *Ab-rab-hamon*, i. e. *pater magnæ multitudinis*, cùm ejus proles futura eſſet ut arena maris & ut ſtellæ cœli innumerabilis, & in eo omnes terræ nationes benedicendæ eſſent. Apud *Arabes* & *Mohammedanos* omnes (ut & in S. Bibliis) Abraham donatus eſt Epitheto خليل الله *Chalîl Allâh*, i. e. *Amicus Dei*; vel aliàs ſæpè ſimpliciter & emphaticè vocatur *Chalîl*, id eſt, ὁ φίλος.

Quid fuerit ejus Nomen Ethnicum Chaldaicum, nullibi hactenùs didici. Illius autem apud veteres Perſas Nomen in Libro *Pharhàngh Gihânghîri* proditur fuiſſe زروان *Zervân*; quod aliquando aliàs ibidem ſcriptum reperitur زرفان *Zerfân* & زربان *Zerbân*, notans *Divitem*, ſeu ad verbum, *Auri cuſtodem*, ſeu *Pecuniæ poſſeſſorem:* ſic enim tam nomine, quàm re ipſe fuit, divitiarum famâ in Oriente celebris. Sic *Gen.* XIII. 3, perhibetur *Pecoribus & auro ac argento ditiſſimus:* & *Gen.* XXIII. 6. appellatur *Potentiſſimus Princeps*. Unde fortè ſit quòd vocatur *Rex* in Libro *Zend*, ubi etiam paulò aliter ejus nomen ſcribitur *Zerrevân:* ibi enim inter Benedictiones nuptiales quas Sacerdos Nuptis apprecatur, legitur hæc ſequens comprecandi & benedicendi formula, videlicet,



Sicut Zer-revân Rex fœcundi eſtote.

1: De Hieroſolymis vide plura in Notis noſtris ad *Itinera Mundi*.

Si

Si vim vocis ſpectemus, nomen *Zer-revân*, ſeu *Zar-ravân* Perſicè, eſt *Aurum means*, ſeu *meabile* & *tranſibile*, ſc. Aurum probum. Regem eum vocaverint Perſæ, fortè quia in capite exercitûs contra *Chedorlaomer* ad eos veniens, videbatur univerſæ terræ Canaan præfuiſſe. Et quidem noſter *Zervân*, ſeu *Zarvân*, eſt idem qui apud Theodorum Preſbyterum Mopſueſtienſem minùs rectè vocatur Ζαρεὰμ, nomine à Theodoro non intellecto.[1] Quin & ſupradictum Abrahami nomen ſubinde ſcriptum reperitur زرمان *Zermân*, & aliquando زرهون *Zerhûn*, quorum interpretatio eſt *Senex decrepitus:* niſi fortè orta fuerint ex corruptione alterius nominis. Quia verò Abraham tam magnus erat in Religione Antiſtes, à *veteribus Perſis* ſubinde etiam vocatus fuit زروان بزرگ *Zervân buzùrgh*, i. e. *Zervân magnus*, ὁ μέγας. Et quia ille cenſetur præiviſſe in eâdem Religione quam poſteà profeſſus eſt *Zerduſht*, Perſicæ religionis Antiſtes poſterior, ideò Abraham à Perſis etiam nuncupatus eſt زردشت بزرگ *Zerdùſht buzùrgh*, i. e. *Zerdùſht magnus*, ſeu *maximus*; ſcilicet *Zoroaſtres magnus*, nam is idem eſt. Et in Libro *Pharhangh Surûri*, ut ſupra dictum, Perſarum Religio, quæ aliàs ſimpliciter vocari ſolet *Religio Abrahami*, ibi vocatur ملت ابراهيم زردشت *Religio Abrahami-Zerdùſht*, ſeu *Abrahamo-Zerduſhtenſis:* & ibidem vox ابستا *Abeſtâ* dicitur eſſe nomen Libri τῦ ابراهيم زرداشت *Abrahami Zeratúſht*. Sic Perſæ veteres.

S. Scriptura nos docet, quòd Abraham obiens ſepultus fuit in *Speluncâ Machpela*, ſeu *duplicitatis*, ſcil. in Speluncâ quæ erat duplex, ſeu duabus Speluncis conſtabat, quam emerat apud *Mamre*. At quia Abraham natus fuerat in Chaldæâ, ergò & Mohammedani fabulantur eum etiam ibi ſepultum; cùm certè non erat Abrahamo (nec vivo, nec mortuo, neque familiæ ipſius) licitum reverti in Chaldæam, ne plus quàm Iſraelitis licebat reverti in Ægyptum: quia ex hiſce locis Idololatricis Deus eduxerat illum & illos, ut nunquam illuc revertérentur. Sed hiſce non obſtantibus, ſic volunt Arabes, qui multas nugas (quas omiſimus) de eo narrant, illúmque ponunt ſepultum in *Cûtha* quæ in Chaldæâ juxta Babelem. Sic *Saphioddîn* in Lexico Geographico Arabico, وكوثي بالعراق في موضعين كوثي الطريق

1 Magnæ Autoritatis Autor *Ibn Phacreddîn Angjou* in Libro *Pharhangh Gjihânghîri* ponit *Zervân* eſſe *Abrahamum*, qui (cum *Zervân* fuit tantum unus) proculdubio erat idem cum Ζαρεὰμ *Theodori Mopſueſtienſis*, & cum *Zervan* Shariſtanii Cap. XXII. hujus. Ideoque dicti Autores qui minoris Autoritatis, cenſebuntur errâſſe ſtatuendo *Zervân* eſſe diverſum quendam ab Abrahamo, ejuſque opiniones diverſas; ex tam profunda Antiquitate veritatem expiſcari neſcientes.

وكوثي

وهوذي ربا ربيها مشهد ابراهيم الخليل ع م و هما قريتان بينهما تلول
من رمان يقال انها رماد النار التي وقدها نمرود لاحراقه *Cûtha eſt in Erâc in duobus locis,* (ſeu eſt duplex,) *eſt ſc. Cutha Al Tarîc, & Cûtha Robâ, in quâ eſt Sepulchrum Abrahami Amici* Dei, *cui pax: hæ ſunt duæ urbes, inter quas ſunt multi Tumuli Cinerum, qui dicuntur eſſe Cineres ignis quem Nimrod accendebat ad comburendum illum.* Geographicam partem credimus: ſed quoad Sepulturam & Cineres, credat Judæus apella. *Cûtha Al Tarîc* eſt *Cûtha viæ*, ſcil. juxta viam publicam: & *Cûtha roba*, eſt *Cûtha Colliculorum*, ſeu *Tumulorum* dictorum.

Illius Uxor (decennio junior Abrahamo) erat perpulchra, ut S. Scriptura teſtatur; quam præ primis ad veram Fidem convertit. Ipſa priùs Ethnico nomine dicta fuit *Iſcah:* ſic Gen. XI. 29, ubi etiam ait *Jonathan ben Uzziel,* ישכה היא שרי *Iſcah, ipſa eſt Sarai.* Nam poſteà, Converſionis nomine, vocata eſt שרי *Sarai*, i. e. *Principiſſæ meæ*, ſeu *Dominæ meæ*, honoratiori ſtylo plurali; quod tamen communi acceptione ſonat quaſi ſingulariter tantùm *Principiſſa mea*, ſeu *Domina mea.* Deinde juſſu divino nuncupata fuit שרה *Sarâh*, i. e. *Principiſſa*, ſeu *Domina*, abſolutè loquendo. Ethnici nominis rationem adducunt Syri, اسم سارة اي انها ذات الحسن والجمال لاصفا *Iſca erat nomen Saræ, i. e. quia fuit pulchra & formoſa:* ita ut hoc nomine *pulchritudo*, ſeu *pulchra* denotari cenſeatur.

Sarah obiit anno ætatis ſuæ 127, Abraham anno 175. Appropinquante verò Abrahami obitu, (inquit *Tabári* Perſa Mohammedanus,) *Angelo mortis juſſum eſt ut caperet Animam Abrahami*, quod & fecit.[1]

Reliqua de *Abrahamo* & *Sarâ*, quæ ex S. Bibliis peti poſſent, ſponte omitto, utpote quæ ſunt omnibus nota. Multa de Abrahamo memorat *Cedrenus* in Chronologiâ ſuâ, & in Hiſtoriarum Libro: atque addit, quòd *in S. Scripturâ vocatus eſt Angelus:* ſed locum non citat. Et poſt hæc, Abrahami contentionem cum Gentilibus diſtinctè narrat. Videri etiam poſſunt quæ de Abrahamo collegit *Raleighus* Hiſt. lib. 1, cap. 11, §. 2. Si autem reperiri poſſent *Hecatæus* & *Eupolemus*, qui Vitam Abrahami ex profeſſo ſcripſerunt, tum demum ſcirentur & luce donarentur deſiderabilia multa, quæ jam in obſcuritatis latebris & antiquitatis ruderibus ſepulta jacent.

1 De *Angelo Mortis* videas Notas noſtras ad *Relig. Turc.* p. 19. Is autem veteribus Perſis dicitur *Murdâd*, & aliàs *Hiſhîm-dîv*, Judæis *Azriel*, Arabibus item *Azraël* & *Abu-Jâhja*, q. d. *Pater Johannis.* De iſto Angelo in hujus operis ſequelâ (ſuo loco) magis particulariter dicetur. Ex eorum ſententiâ, iſtius eſt morientium Animas à Corporibus ſeparare, qui ideò terribilis habetur: & quia opus ejus eſt multiplex, viginti manibus præditus cenſetur.

CAP.

CAP. III.

Disquiritur quænam qualisque fuerit veterum Persarum Religio, & quatenus cum eâ Abrahami olim convenerit, vel hodiè conveniat: ubi etiam de Persarum & aliorum Sabaismo.

HISCE jam præmissis de Abrahamo, quem Persæ primum suum Antistitem fuisse volunt, & Religionem suam ei referre gestiunt, restat disquirendum quomodo Persarum Religio cum eâ Abrahami convenerit, vel hodie conveniat; ut inde videri possit quo sensu, aut quâ ratione, tam speciosus Titulus ei quadrare posse censeatur. *Abrahamiticam* itaque esse asserunt suam Religionem, quia hæc religio (ut suprà innuimus) unius Dei cultum primitùs docuit, prout suos docuit jussitque Abraham. Et quamvis processu temporis inquinârunt & interpolârunt religionem suam, illam, sic interpolatam, reformavit & ad primitivam puritatem restituit Abraham, unde meritò appellari potuit *Religio Abrahami*.

Persæ quidem (ut in sequentibus planiùs & pleniùs constabit) Creationis historiam ab immemorialibus seculis quodammodo nôrunt; idque, vel ab Israelitis, vel (ut volunt) à suo Zoroastre. Et eandem historiam meliùs quàm aliæ aliquæ Gentes retinuerunt; in illâ fundantes Religionem suam, ejusque Principia inde petentes, nec quicquam ultra eam sapere prætendentes. Nam, ut in Codice sacro, nihil dicitur de eis quæ facta sunt ante Creationem Mundi, ita nec à Persis tale quid dicitur, nec quando Angeli, vel boni, vel mali, creati fuerunt, memoratur: nam de ejusmodi rebus apud eos prorsus siletur. Et certè à scrupulosâ inquisitione de illis rebus quæ ad nos non spectant & quas Deus noluit revelare, vel prorsus abstinere præstat, vel saltem modestiâ uti: cùm Deum omnium rerum Conditorem (unà cum generali Creationis historiâ) novisse, pro nobis sat duxerit Historicus Sacer.

De Angelorum Creatione strictè inquirere, est supra captum nostrum. Nam quamvis Angeli sint Creaturæ, adeóque non antiquitate æquales cum suo Creatore; nullum tamen est dubium quin extiterint infinito tempore ante Creationem Mundi, & sint tantæ antiquitatis quæ sit ultra humanæ mentis vires conceptionémque ritè considerare aut perpendere: quod piè credendum est, cùm non sit pium, aut decorum, imaginari Deum ullo unquam tempore fuisse Ministris destitutum,

tum, ſed ſemper habuiſſe Angelos miniſtrantes, qui ad nutum ipſius divinum, juſſa præſtare, conſtanter omni tempore parati fuerint. Nec in S. Scripturâ dicitur quando ceciderint Angeli mali, & graviſſimo illo lapſu facti fuerint Diaboli; quod tamen neceſſariò fuerit ante Creationem Mundi, adeòque ſit ſupra humanam poteſtatem illud tempus inveſtigare, cùm divina revelatio in hac parte ſiluerit. At fortè tam horribilis eorum lapſus & apoſtaſia non fuerit multò ante conditum Mundum; quia donec crearetur Homo, non erat pro Diabolo opus in Mundo agendum: nam omnia ſemper divino ductu & prævisione ex eodem filo pendebant. Sed Diabolum certè ante Adamum extitiſſe conſtat: nam quamprimùm creatus fuit Adam, eodem die, Diabolus ſub nomine & ſpecie Serpentis, ſtatim in promptu adfuit, ut poſſet illum tentationibus ſuis invadere, eúmque è beatiſſimo illo felicitatis gradu ejicere, atque ex primævæ innocentiæ ſtatu eliminare. *Chriſti* etiam ſeculo (ut *Apoc.* XII. 9. & XX. 2,) *Veteris Serpentis* nomine intellectus eſt Diabolus; eodem modo quo etiam ab *antiquis Perſis* & à toto Orbe (ut videtur) intellectus fuit, quod notatu dignum: nam quamvis nil niſi nudum *Serpentis* nomen memoratum fuerit, inde tamen collectum fuit per illum ſerpentem ſubintelligi Diabolum, ut ex ſequelâ manifeſtum. In *Novo Teſt.* etiam vocatur *Draco:* ſic *Michael cum Angelis ſuis pugnavit contra Draconem & Angelos ejus*, i. e. Diabolum. Sunt qui imaginantur quòd dictus Serpens fingebatur loquens, & reverà non loquebatur, ſed tantùm mulieris animo ſuggerebat tales res, ſecreto quodam inſtinctu, cum multis aliis opinionibus malè fundatis; cùm tutius ſit Sacram Hiſtoriam (quantum poteſt fieri) literaliter intelligere. *Diabolus* igitur videtur diſertis verbis & aſſâ voce cum *Eva* collocutus ſub ſpecie Animalis: ſic enim (ad amovendum abſurditatem) ejuſmodi Animalibus aliquando tribuitur loquela, ut *Apoc.* XIII, 11, *Et* [aliqua beſtia] *locuta eſt ſicut Draco.* Et quia Diabolus omnes ſonos facilè imitari novit, probabile eſt, quòd reverà articulatâ voce locutus eſt; idque, vel intrando in ſerpentem verum, vel aliter aſſumendo viſibilem ſpeciem ſerpentis; cùm aliàs Diabolus, qui Spiritus, videri non poſſet: & audita vox ſine viſâ perſonâ loquente, facilè mulieri perſuaſerit, eam Dei vocem fuiſſe, quæ abſque mulieris culpâ, eo nomine, obedientiam ejus exegiſſet. Porrò Serpens fuerit huic operi præpoſitus, non tantùm propter eam, quam in humanum genus habuit, inimicitiam, quâ mulieri non tam ſuaſerit quàm terrorem incuſſerit, ſed & propter innatam aliquam aſtutiam, quæ ut vera ad dictam

actionem qualificatio assignatur in Sacro Textu, *Et serpens fuit subtilior omni bestiâ agri*, quâ ratione esset Seductionis operi aptior & habilior: unde & Christus præcipit, *Estote sapientes ut serpentes*; quamvis toti eorum generi non competat id quod uni individuo fuit peculiare, qui habuit plus astutiæ quàm reliqui congeneres: qui tamen fortè astutiores sint quàm nos scimus, qui eorum naturam non satis perspectam habemus propter eorundem apud nos paucitatem. Serpens itaque apparuit sub propriâ formâ & specie suâ, quia, in ipso actu tentandi Evam, vocatur *Bestia agri:* & rursus Versu 14 legitur, *Quia hoc feci*sti, *maledictus es præ omni bestiâ.* Et, si non fuisset verus *Serpens*, iniquum fuisset inflixisse maledictionem in totum genus serpentum: nam totum serpentum genus fuit maledictum, quia eorum unus fuit instrumentum & vehiculum tentationis diabolicæ; ut & totum genus humanum propter unum hominem punitum est. Ideóque necessariò fuit vera species serpentis, quia pœna inflicta fuit tanquam in speciem serpentis, *Super ventre tuo gradiêris*, sive figuratè sive literaliter: sed non item literaliter, *Et pulverem comedes*, quia Diabolus qui Serpentem obsedit, non edit omnino; & serpens non edit pulverem, qui non est Alimentum cujusvis animalis. Sed *comedere pulverem*, metaphoricè est miserâ conditione esse, eodem sensu quo dicitur, *Et inimici ejus lambent pulverem.* At quamvis serpentes reverâ non edant pulverem, videntur tamen sic facere & eundem lambere, quia inter gradiendum, ora eorum terram contingunt: unde *Mic.* VII. 17, in profanas nationes minitatur Deus, *Et lambent pulverem ad instar serpentum.* Ideóque in dicto Geneseos loco, utraque Enuntiatio miseram & abjectam Serpentis conditionem notat. Deus enim qui prænovit quid futurum esset, priùs constituit serpentes astutos, eosque super ventre gradiri fecit, & causam declaravit postea.

Sed ut resumam priorem discursum à quo digressus sum, quoad *Persas*, qui Shemi progenies, Gentis eorum Aborigines fuêre veri Dei cultores, (ut diximus) quamvis postea unà cum reliquo Orbe illapsi sunt in aliquam *Sabaismi* speciem, quâ Religionem suam, quæ priùs orthodoxa fuerat, interpolarunt: donec Abrahami tempore, ad strictiorem orthodoxiam reducti fuerunt. Nam ante Abrahamum, *Sabaitica* Religio fuit ferè universalis, in quâ etiam (ut dictum) fuit Abraham puer in *Sabaismo* à parentibus educatus. Is autem adultior factus, illam religionem deseruit, parentes & totam familiam convertens, & ad solius Dei veri cultum perducens. Adeóque

que Perſarum tunc Religio orthodoxa, referenda eſt ad Abrahamum adultum, qui probè notus fuit *Perſis*, eò quôd *Chedorlaomer* Rex *Elam* & *Perſiæ* (illius temporis Monarcha) ab Abrahamo in bello fuſus & fugatus fuit. Illum itaque primò malâ experientiâ noverunt Perſæ; bono tamen eventu, cùm, hâc ratione, ab interpolatâ ad reformatam religionem converſi fuerunt. Nam (ut fas ſit credere) ab hoc tempore, & hac occaſione, Perſæ ſuam nominarunt *Religionem Abrahami*. Cùm enim Abraham tam parvâ militum manu (ut legitur) tot Regum copias fuderit, eiſque hoc modo terrorem incuſſerit, meritò crediderint eum cœlitùs adjutum, adeóque Religionem ejus amplexi fuerint, miraculo (ut *Nebuchadneſſar*) converſi. Sed ſive pluribus, ſive paucioribus, victoriam obtinuerit, haud multum refert, cùm certum ſit manum Dei fuiſſe cum illo. Utcunque (ut liberè dicam) quamvis nocturnâ invaſione & ſubitaneâ incurſione terrefacerent inimicos quos Deus terrefieri voluit, vix credendum eſt Abrahamum ſecum habuiſſe tantùm *trecentos* ſervos ſuos, tunc quando Regem Perſiæ ejuſque confœderatos Reges devicit: nam planè conſtat eum tunc ſecum etiam habuiſſe confœderatos ſuos tres Cananitarum Principes *Aner* & *Eſhcol* & *Mamre*, qui proculdubio ſuorum omnium conjunxerunt vires auxiliares, fortè aliquot *millenos* homines; præter relictos Sodomæ & ſpoliatarum urbium incolas, qui proculdubiò ad ſua recuperandum properârunt. Et tamen hi omnes fuêre pauci reſpectu adverſorum Regum. Aliàs autem, ſine Cananitarum ope, Abraham abſque miraculo non potuerit eos vincere; vel ſi viciſſet, tam pauci homines non potuerunt vel ipſa ſpolia reportâſſe. Hiſtoria verò narratur tacitis hiſce ſubſidiis & auxiliis, brevitatis cauſâ: eodem modo quo *Simeon* & *Levi* dicuntur ſpoliâſſe integram urbem, abſque mentione Servorum & aliorum eos concomitantium; cùm iſti duo à ſolis fœminis repulſi & interfecti fuiſſent; nec potuerunt abſque aliquot *centenis* ſecum viris abegiſſe pecora, & multò minùs omnia reportâſſe ſpolia. Iſti autem duo ſoli memorantur, ut præcipui & totius agminis Duces & Ductores, uti in alterâ expeditione memorantur ſolæ copiæ Abrahami, ut præcipui Ducis, qui ſuſceptæ expeditionis cauſa Efficiens & Suſceptor fuit. Hoc modo ab Abrahamo devicti ſunt Perſæ. Et cùm (ut in Oriente dici ſolet,) قوم علي دين ملوكهم *Populus ſemper eſt de Religione Regum ſuorum*, probabile eſt in hac converſione præiviſſe *Chedorlaomer*, quem igitur totus populus & omnes ejus confœderati Reges ſecuti ſunt.

Perſarum itaque Religio orthodoxa originalis referenda eſt ad Shem & Elam: & poſt eorum lapſum in Sabaiſmum, ejuſdem reſtitutio & reformatio referenda eſt ad Abrahamum. Sabaiſmum enim pro virili oppugnabat Abraham, qui cum Idolorum & Syderum cultoribus perpetuas lites fovebat. Quamvis verò Abraham ſedulò veram Religionem propagaret, & in debellando Sabaiſmum quotidiè laboraret, ita ut plurimi fuerint converſi; hoc tamen ejus Zelo Sabaiſmus non fuit planè deletus, ſed tantùm pro tempore debilitatus, qui itaque poſteà revaleſcere & priſtinas vires recolligere cœpit: nam is non potuit totum Mundum tunc Sabaiſmo involutum reducere, nec è ſuis familiaribus Idololatriam prorſus eradicare. Nam quamvis de familiâ ſuâ optimè proſpiceret, præcavendo contra nuptias cum infidelibus, & jubendo Iſaacum ne ſumeret uxorem de filiabus Heth, ſeu Hittitis, ſed è cognatione ſuâ, jam tum converſâ, quæ in *Padan-Aram*; Idololatricus tamen Sabaiſmus inter ejus nepotes adhæſit, nec ex eorum familiis prorſus aboleri potuit. Nam Eſau ſumpſit uxorem è filiabus Heth, quod dolori fuit Parentibus. Et quamvis Jacob veram Religionem tenuerit, tamen (non obſtante dictâ præcautione) Sabaiſmus & Idololatria manſit in ejus familiâ, uti legitur *Gen.* XXXV. 2, *Jacobus dixit familiæ ſuæ, & omnibus qui cum eo, amovete Deos alienos qui ſunt inter vos; & mundi eſtote, mutantes veſtes veſtras.* Adeò ægrè eradicata eſt Infidelitas quæ inter eos hæſerat.

Dicta gentium Religio Arabicè vocatur صابية *Sabîya*, i. e. *Sabiiſmus*, ſeu *Sabaiſmus*, quo etiam nomine Arabico, uti & nomine صابة *Sâba*, ſubinde notantur *Sabii*, ſeu homines eam religionem colentes. Participiali formâ ſingulari صابي *Sâbi* eſt *Sabius*, pluraliter صابيين *Sabiyîna*, *Sabii*, minùs rectè à quibuſdam dicti *Zabii*. Hi autem non ſunt particularis aliqua Gens, (eo modo quo à سبا *Sabâ*, Arabiæ felicis urbe, aliqui dicti ſunt *Sabæi*, qui Jobi peculium invadebant,) ſed illo nomine intelligitur peculiare hominum Genus per totum Orbem ſparſum, Stellas & Idola ſub eis conficta colens, & Suffimentis aliiſque Cæremoniis placare ſtudens. Hinc Arabes (extra linguæ ſuæ pomœria non quærentes, ideóque veram vocis originem non percipientes,) volunt Verbum صبا *Sábaa* ſignificare *Religionem mutare* in genere, & *ab unâ Religione ad aliam tranſire*, &c. Hæc autem eorum Interpretatio videtur coacta: cùm *Sabaa*, *mutare*, non dicatur abſolutè & in genere de quâvis Religione, (ut ſecundùm eos debuerat,) ſed tantùm de hâc ſolâ Religione dicitur. Nam aliàs quando aliquis relinquens *Ethniciſmum*, amplectitur *Iſlamiſmum*, id *Arabicè* dicitur

حنف

حنف *Hánafa inclinavit:* & quando relicto *Iſlamiſmo*, aliquis ſequitur *Chriſtianiſmum*, tunc dicitur كفر *Cáfara*, *abnegavit*, *apoſtatizavit*, vel انكر *áncara*, *negavit* veritatem. At his Religionibus relictis, ad Stellarum cultum ſe convertere, eſt *Sábaa*. Vera autem Etymologia petenda eſt ex linguâ *Hebraica*; nempe *Arab.* صبا *Sabaa*, *Sabaizavit*, eſt à צבא *Saba*, *exercitus*, *copiæ:* nam cùm colerent totum cœli exercitum, (ut S. Scriptura monet,) talis cultor rectè vocabatur צבאי *Sabâi*, *Sabaita*, q. d. *Copiarius*, ſeu copiarum cœleſtium cultor, ſcil. is qui ab orthodoxiâ ad *Sabaiſmum* vergebat.

Perſas olim fuiſſe *Sabaitas*, ſeu *Sabios*, referunt Scriptores Mohammedani. Sic ſupradictus *Ibn Phacreddîn Angjou* genere Perſa, patriâ Indus, in Præfatione laudati Libri *Pharhàngh Gihânghîrî*, ubi de Veteribus Perſis Elami proximis nepotibus *Perſicè* narrat, (eodem modo quo anteà *Arabicis* verbis ibidem narraverat, ut *ſupra* p. 4. notavimus,) وكيش ايشان صابية بود پس ازان انتقال كردن بديين مجوس بناي آتشكده نهادن *Eorum Religio tunc erat Sabaiſmus: tandem verò tranſiverunt ad Religionem Magorum, Ignis Fana extruentes.* Et in eundem ſenſum Autor Libri *Mu'gjizât Phârſi* p. 224, de Perſarum ſeris nepotibus refert, فرس در قديم زمان بر دين صابية بودندي كواكب پرستيدندي تا زمان گشتاسب بن لهراسب *Perſæ antiquo tempore erant de Religione Sabaitarum Stellas colentes, uſque ad tempus Guſhtâſp filii Lohrâſp.* Tunc enim eorum Religionem reformavit *Zoroaſtres.*[1] Illis temporibus Sacerdotes vocabantur *Mog*, & *Ràd*, & *Mûbad*, &c. ut ſuo loco dicetur, quæ nomina adhuc retinentur: ſed à tempore *Hyſtaſpis* præcipuè vocati ſunt هيربد *Hyrbad*, i. e. *Præfecti Ignis*, quod quidem Nomen ipſe Rex etiam tunc, zelo ductus, affectavit, quamvis tantùm infimus Sacerdotum Ordo hoc Titulo gauderet, ut infrà dicetur. Illorum quoque temporum alii Reges affectabant Nomina ad ſuam Religionem ſpectantia: unde fuit quòd Rex جم *Gjèm* cognominari voluit شيد *Shîd*, i. e. *Sol*; unde emerſit Nomen جمشيد *Gjemſhîd*. Rex *Phridûn* vocari voluit موبد *Mûbad*, i. e. *Præſul*. Et Rex كيقباد *Kei-Cobâd* aſſumpſit ſibi Nomen Arabicum عبد الشمس *Abdo'l Shems*, i. e. *Servus Solis*; ad inſtar reliquarum Gentium Sabaiticarum quæ adſciverunt ſibi Nomina Religionem ſpectantia, qualia apud Arabes erant عبد يغوث *Abd Yagûth*, i. e.

1 Videatur quoque de hac re *Abulpharagius* p. 2.

Servus

Servus Yagûthi; & غلام زحل *Golâm Zohàl*, i. e. *Mancipium Saturni*.

Shahriſtâni Arabs Sabaitas dividit bifariàm, *vel in* عبدة الهياكل *Cultores Sacellorum 7 Planetarum, (quæ quidem Secta* aliàs dicitur عبدة الكواكب *Cultores Stellarum*;) *vel in* عبدة الاصنام *Cultores Idolorum:* additque, *Sabaitarum Græcorum confugium fuiſſe ad Planetas, & eorum Indiæ ad Stellas fixas.* Prioris generis Sabaitæ erant *Perſæ*, reverentiam exhibentes Stellis, non autem eas adorantes, nec pro Diis habentes: ideóque injuſtè eis impingitur, quaſi *Mithram* & *Martem* haberent deos. Sic *Strabo* de *Caramania* (quæ eſt كرمان *Kirmân*, Perſidis) loquens, dicit *Caramanos Aſinum ſacrificare Marti*, ὃν Περσαι σέβονται Θεῶν μόνον, quod eſt falſiſſimum: nam *Martem* non putant Deum. *Caſaubonus* in Notis agit de Equo ſacrificato Flumini, cum aliis quæ hunc Strabonis locum illuſtrare putat. Sed *gratis* taxat dictam lectionem Græcam, volens ejus loco ſubſtituere, ὅν περ καὶ σέβονται Θεῶν μόνον, cùm anteà rectè ſe haberet. *Xenophon* in *Cyropædiâ* p. 233 ait, *Cyrus ſacrificabat Jovi, Soli*, &c. *in ſummis montium jugis, ut mos tunc erat:* ſc. immolando, ſed non cremando. Et ibidem, *Cyrum pugnam commiſſurum, peragiſſe Sacrificia, militibus etiam indicando tam Deos quàm Aruſpices prælium fore ſignificâſſe, & victoriam ac incolumitatem* ἐν τοῖς ἱεροῖς, *per Exta, pollicitos fuiſſe*, *Cteſias* p. 662, ut infauſtum Omen refert, *quòd Cambyſe ſacrificante, cùm victimæ jugularentur, ſanguis non flueret.* Idem *Cteſias* p. 663, aſſerit, *Quòd Darius Hyſtaſpes Aram Jovi Diabaterio erigebat, ſacrificiis eum celebrans.* Videatur *Plutarchus* in *Artax.* ubi *Cteſiam* fabulis & mendaciis refertum aſſerit, quale fuerit hoc de *Arâ Jovis Diab.* nam *Strabo* & *Herod.* in hujus contrarium ajunt, *Perſæ nec ſtatuas nec Aras erigunt.* Ego autem diſtinguo de temporum diverſitate: Perſæ quidem poſtquam habuerant *Pyrea* pro Sacro Igne, ibi habuerunt *Aras*, ſeu altiores *Focos*, in quibus etiam aliquando fiebant Sacrificia. Sed anteactis temporibus, quando Sacra faciebant ſolis Planetis, vel Deo, pro Planetarum influxu & cœli beneficio deducendo, hoc non faciebant ſuper aliquâ Arâ, ſed ſuper montium jugis, ſub Dio, ſeu in patente aëre. *Strabo* in dicto loco tempora confundit: nam primò loquitur de Perſarum more antequam extruerentur Pyréa, & mox ſubjungit; *Quidam ut fertur*, &c. pergendo narrare quid à Perſis fiebat poſtquam frequentia haberent Pyréa. Sic itaque ſe habet; *Perſæ nec ſtatuas nec Aras erigunt: ſacrificant in loco excelſo, cœlum Jovem putantes. Colunt Solem, quem Mithram vocant: item Lunam & Venerem, & Ignem, & Tellurem,*

&

& Ventos & Aquam. Sacrificant in loco mundo, κατευξάμβροι *imprecantes: & coronatam Hoſtiam ſtatuunt, ubi Magus qui Sacrificium enarrat, Carnes in portiones diſtribuit: & ſuâ quiſque acceptâ, abeunt, nullâ parte Diis relictâ; dicunt enim Deum nihil velle præter Hoſtiæ Animam. Quidam (ut fertur) Omenti partem Igni imponunt. Aliter verò Igni, aliter Aquæ, ſacrificant: Igni ligna arida imponentes, adempto cortice, & Arvinâ ſuperinjectâ: deinde infuſo Oleo ſuccendunt, non inſpirantes, ſed ventilantes. Si quis inſpirat, aut mortuum quicquam cœnumve in Ignem injicit, morte punitur. Aquæ Sacra peragunt hoc modo: ad Lacum, vel Fontem, vel Flumen venientes, Scrobem faciunt, ibique Hoſtiam jugulant, caventes ne quid proximæ aquæ ſanguine contingatur: ſic enim omnia pollutum iri. Poſteà Carnibus, Myrto Lauróque impoſitis, eas Magi gracilibus virgis comburunt: & factis Precationibus quibuſdam, Oleum lacte & Melle mixtum inſpergunt, non in Ignem, nec Aquam, ſed in terram.* Sed quàm ſtultum & falſum eſt, additionem Lignorum & Olei vocare *ſacrificium Ignis*; cùm eſſet tantùm pro ejuſdem accenſione & continuatione, ne extingueretur.

Quo Perſico nomine vocetur Aquæ Sacrificium, poſteà dicetur. Mos autem injiciendi Oleum dulce & Fruges & Carnes in Ignem, Perſis dicitur ضيافت آتش *Epulæ Ignis*, id quod fortè reſpiciat *Maximus Tyrius*, narrans eos hac occaſione ſolere dicere, Πῦρ δέασπα ἔθιε. Hoc enim faciunt (inquiunt Græci) adhibitis Incantationibus; imò potiùs Precibus. Olei dulcis injectio erat, tam ut delicatiùs paſceretur Ignis, quàm ut flagrantiùs arderet, & in ſuis flammis quaſi exultaret. Quoad *Coronatam Hoſtiam*, *Scaliger*, ex *Herodoto*, vult quòd non tam Hoſtia quàm Sacrificus erat ἐστεφανόμενος. Sed utrumque videtur verum: aliàs abeſſe cenſeretur ſolennitas. *Servius*, apud *Romanos*, meminit Vittæ quâ Victimæ coronabantur. Et *Xenophon* ait, Κῦρος μὲν ἐστεφανόμενος ἔθυε· παρήγγειλε καὶ τοῖς ἄλλοις ὁμοτίμοις ἐστεφανομένοις πρὸς τὰ ἱερὰ παρεῖναι. *Magi* Sacrificiorum carnes, antiquiſſimo tempore, edebant, vel diſtribuebant: aliquando tamen, poſterioribus temporibus, *Holocauſta* cremabant, ut notat *Briſſonius* Lib. II. p. 173, 174. Et ſic *Romani Veſtæ* cremabant *Vitulos*, ut alibi notavimus.

Ex *Strabonis* verbis & alibi etiam conſtat, quòd Elementa honorabant: unde apud *Bar Bahlûl* Syrum dicitur, ܡܓܘܣܐ ܐܠܗ̈ܐ ܕܝܣܡ̈ *Magi ſunt Cultores Elementorum*; quæ Perſicè vocantur آخشیجان *Achſhigjân* ſeu آخشیگان *Achſhighân*, i. e. *Contraria* ſibi invicem. *Plutarchus*, p. 1022 ait, *Terram & Aërem colebant*, (ſc. cultu quodam civili:)

civili:) *nam Artaxerxes Longimanus filiam ſuam Atoſſam, matrimonio ſibi conjunctam, tam perditè amavit, ut (quamvis Leproſi eſſent extra urbem relegandi,) dum Vitiligo, ſeu Lepra, ejus corpus depaſta eſſet, nihil quicquam fuerit eâ re offenſus: ſed pro eâ orabat* τῇ Ηρᾳ *Junoni* [ſeu *Aëri*] *manibus Tellurem contingens; & Donorum tantam vim, juſſu ejus, Satrapæ & Amici mittebant, ut interjecta inter Fanum & Regiam* LX *ſtadia auro, argento, purpurâ, & Equis affluerent.* At nullus Perſa oravit Aëri, ergò falſum.

Hoc modo videmus quòd *Græci*, qui Idololatræ erant, non poſſunt aliter niſi ſuo ſtylo loqui de Perſis, qui non erant tales, memorando *Deos* in plurali, & fingendo quaſi oraverint *Junoni*, ſeu *Aëri*, cùm *Perſæ* agnoſcerent tantùm unum *Deum:* civiles itaque Perſarum cæremonias erga Elementa & Planetas, repræſentant tanquam divinum cultum, quem non intendebant Perſæ, ſed hæc tantùm civiliter præſtabant. Inſuper ſolennes precandi formulas & benedictiones quas in ſuis rebus adhibent ad Deum, perperàm & malitioſè vocant *Imprecationes* & *Incantationes*, &c. Adeò ut cautè de hiſce rebus legendi ſint Scriptores Græci.

Quod in præcedentibus *Strabo*, & in ſubſequentibus *Herodotus* aſſerit, *Perſas nullas habere ſtatuas*, non eſt abſolutè verum: nam optimus Rex *Gjemſhîd* de idololatriâ accuſatur, & declinante vetere Imperio, *Veneris* ſtatua à Perſis culta eſt in Templis ad hoc paratis, cum Sacerdotibus, ſeu Sacerdotiſſis, inter quas fuit *Aſpaſia*. *Juſtini* autoritate freti, plerique Autores ſtatuunt Perſas habuiſſe Sacerdotiſſas Solis. *Nam* (inquit) *cùm Artaxerxes Mnemon Cyri junioris formoſam pellicem* Aſpaſiam *in matrimonium duceret, hanc, filius ejus Darius, unà cum reſignato regno, jure ſibi cedere poſtulavit: quam itaque ex indulgentiâ erga Liberos,* [vel ut *Plut.* ait, *cùm ex Lege ei negare non poſſet,*] *pro tempore ei conceſſit: ſed poſteà ut eam adimeret, & id quod temerè promiſerat, honeſtè negaret, eam Solis Sacerdotio præfecit.* Quod ægrè ferens *Darius,* factâ Conjuratione periit, & Pater reſumpſit Regnum. Iſta erat Gente Græca, antè dicta Μιλτὼ, ſeu *Miniatis genis prædita:* à Perſis autem (ut videtur) dicta eſt اسپاس *Iſpâs*, ſcil. *Laus*, ſeu laude digniſſima, unde Græcis *Aſpaſia*. Sed falli videtur *Juſtinus* de *Sacerdotio Solis*; cùm *Plutarchus*, qui rem fuſiùs proſequitur, aſſerat eam ab hoc Rege *lectam fuiſſe in Sacerdotium Dianæ* (ut *Lat.* Interpres habet,) ſeu potiùs *Veneris*, Αρτέμιδος τῆς ἐν Εκβατάνοις, ἣν Ανεῖτιν καλοῦσι.[1] Hocque eò potiùs verum exiſtimo, cùm iſte dictus

1 Mallem legere Ανείτιν, ſeu Ανάϊτιν.

Rex

Rex is fuit qui primus *Veneris* Statuam colendam præſcripſit, eique *Templa* & *Sacerdotes* conſecrari curavit: id quod *Clemens Alex.* p. 32, teſtatum reliquit, his verbis: *Neque eorum celaverim inſcitiam: nam etſi maximè exiſtiment fugere ab errore, in alium tamen labuntur. Deorum quidem Simulachra Ligna & Lapides non exiſtimant, ut Græci; uti nec Ichneumonas & Ibides, ut Ægyptii; ſed Ignem & Aquam, ut Philoſophi. Multis tamen poſteà annorum curriculis, eos Figuras, hominum ad inſtar, expreſſas coluiſſe, oſtendit Beroſus in tertio Chaldaicorum, cùm hoc Artaxerxes Darii filius, Ochi nepos, introduxiſſet: qui cùm primus Veneris Tanaïdis* [i. e. Anaitidis] *ſtatuam erexiſſet Babylone & Suſis & Ecbatanis & Perſis & Bactris & Damaſco & Sardibus, eam oſtendit eſſe colendam. Fateantur ergò Philoſophi ſuos Magiſtros fuiſſe Perſas, vel Sarmatas, vel Magos, à quibus didicerunt impietatem venerabilium ſibi Principiorum.* Plura paſſim de cultu *Veneris* habet dictus *Clemens*, ut & *Pauſanias*, quos adeas. Herodotus, Artaxerxi Mnemoni ferè coævus, ait Perſas ab *Aſſyriis Arabibúſque* edoctos, didiciſſe *Uraniæ*, ſeu *Veneri*, ſacrificare. Veneris ſtatua apud Perſas (ut vides) erat humanâ formâ: ſed apud *Paphios* (ait *Max. Tyrius*) *Albæ Pyramidi haud diſſimilem dixeris.*

Quomodo in Veneris cultu apud Aſſyrios & Perſas viri ſe effœminatos reddebant muliebri ornatu & poliendo cutem, &c. docet *Julius Firmicus* Cap. 4 & 5: & quomodo apud Veneris Templum ſe proſtituebant fœminæ, docet *Herodotus* in *Clio: Erat* inquit *Babyloniorum Lex, ut omnes fœminæ ſemel in vitâ ſederent apud Templum Veneris, præſtolantes adventum peregrinorum, qui cum eis congrederentur. Harum ditiores ſumptuoſis Rhedis vectæ, famulitio interim retrò manente. Sedebant coronatæ Sertis, & inferiores Veſtes vinctæ funibus junceis fragilibus, qui ad congrediendum erant frangendi. Earum quoque Seceſſus erant Funiculis diſtincti, ut ad eas accedere ſcirent advenæ. Primum adventantem qui ſe offerebat, non debebant recuſare, nec eam quam offerebat mercedem quamvis non ita magnam, quæ in ſacrum uſum reponebatur. Advena dicebat,* Επικαλέω τοι τὴν Θεὸν Μύλιτθα, *Tanti tibi Deam Mylittam imploro. Et quæcunque fœmina ſedere inceperat, non debuit abire donec vitiata fuerat: unde formoſæ citò dimiſſæ, ſed deformes unum aut plures annos expectabant.* Hæc pluribus narrat, quæ illuſtrant Epiſtolam Jeremiæ *Baruchi* VI, ubi eadem Hiſtoria legitur. Nec mirum de prædictis, cùm (narrante *Curtio* lib. V. 1,) *Babylonii* ſolerent *uxores* & *filias* pro pecuniâ peregrinis proſtituere, quæ inter ſaltandum impudicitiam omnem monſtrarent & pudenda detegerent. Supradicta fœmi-

narum proſtitutio videtur pellexiſſe dictum Regem ut (libidinis ſatiandæ ergò) nequiſſimum Veneris cultum, aliunde mutuatum, inter ſuos inſtitueret: & eâdem ratione ducti, alii ſuccedentes Reges eandem nequitiam continuârunt.

Dictus Veneris cultus apud Perſas continuatus eſt ultra tempora *Antiochi Epiphanis*, qui in *Veneris* Templo occiſus eſt, ut in *Maccab. libro* legitur. Dictus Rex in *Clementis* Textu legitur, Αρταξέρξης τȣ̃ Δαρεῖȣ τȣ̃ Ωχȣ, qui quidem *Beroſi* ordo ægrè conciliatur cum receptâ Chronologiâ. Sed ſciendum eſt, *Artaxerxem Longimanum* legitimum filium habuiſſe quendam *Xerxem*, & *Spurios* multos, inter quos *Ochus*, qui, ex *Beroſo*, ſuâ vice regnâſſe videtur: ita ut *Beroſi* ordo videatur eſſe, 1, *Artaxerxes Longimanus*; 2, *Ochus*, qui (ut videtur) Spurius, ſeu Nothus; 3, *Darius Nothus*, cujus filius fuit ὁ 4tus, *Artaxerxes Mnemon*, qui dicti Cultûs Veneris Præſcriptor.

De Veneris nomine in veteribus Inſcriptionibus, vide *Gruterum* in primâ parte. Inter Veneris Nomina Perſica, eſt وپاراي *Vaparâï*; & بيدخت برڭ *Biducht-bergh*, ſeu ſimpliciter نيدخت *Bîdùcht*: unde apud *Bar Bahlûl* etiam legitur ܒܝܕܘܟܬ *Bîdoucht*. Sed receptius & communius ejus Nomen Perſicum, eſt ناهيد *Nâhîd*, ſeu ſubinde اناهيد *Anahîd*, & ناهيده *Nâhida*, quorum originalis ſignificatio eſt ناريستان *Puniceis mammis prædita puella*, i. e. rotundis & tuberantibus mammis; ſcil. يتشمش قيز *adulta*, ſeu *puber virgo*, ut apud *Ruſtemi Al-Maulavi* Epitomatorem, *Turcicè* exponitur *Nâhid*, ſeu *Anâhid*. Hinc apud Autores Græcos Venus vocata eſt Αναΐτις & Νηΐτις. Et *Plato* in *Timæo* meminit, quòd in Ægypto in *Saïticâ* Præfecturâ colebatur Νηΐθ: quod quidem nomen à Latino Interprete exponitur *Minerva*, malé: falluntur enim in hoc Interpretes Platonis, ut & *Arnobius* & *Chalcidius* ex eo excerpentes.

Ex hoc Perſico Nomine depravatum videtur Veneris Nomen quod apud *Syros* legitur ܢܢܝ *Nani*, ſeu *Nanai*, Græcè ſcriptum Ναναῖα. Unde 2 *Macc.* I. 12, *Templum Nanææ*, & *Sacerdotiſſæ Nanææ* apud Perſas fuiſſe memorantur. Ab *Arabibus antiquis* Venus dicebatur العزي *Al Uza*: poſteà à زهرة *Zahra*, *albedine* & ſummo ſplendore, dicta eſt زهرة *Zúhra*, ſeu *Zohrat*, quod in *Ægyptiorum* linguam receptum, eſt coϒpoT. Aliàs *Arabicè* cum Articulo legitur الزهرة *Al Zuhra*, ſeu *Az-Zúhra*: unde *Straboni* p. 512, minùs rectè Αζαρα vocatur *Minervæ & Dianæ Templum Perſicè*, ut ille dicit: cùm Αζαρα reverà ſit *Arabicum* Nomen corruptum, non quidem *Templum*, ſed ipſam

ipſam *Venerem* notans. Hinc eſt apud *Heſychium* Ζαρῆτες· Αρτεμις, Πέρσαι. Imo potiùs ζαρητ eſt זרת, ſc. Arabum *Venus*. Sed *Dianæ* nomine etiam alibi intelligitur *Venus*.

Dictus Veneris cultus, laſciviâ duce, introductus eſt, ut ſupra notavimus: nuſquam autem reperi Perſas ullas alias habuiſſe ſtatuas præter illam Veneris; exceptis hybridis illis & hæreticis in *Cappadociâ* Perſis, quorum Sacra *Strabo* meminit ſe vidiſſe. Iſti, inquit, dicti ſunt Πύραιθοι, *Ignis accenſores*, qui Iconolatriam cum Pyroduliâ miſcuerunt. Ejus verba ſunt, *In Cappadociâ (nam ibi eſt φύλον Tribus quædam Magorum qui Pyræthi vocantur, & multa Perſicorum Deorum Templa,) non cultro, ſed ſtipite quodam mactant Sacrificia, tanquam malleo verberantes. Sunt & Πυραιθεῖα,* ſcil. Σῆκοι *Septa quædam ingentia, in quorum medio eſt* Βωμὸς *Ara*, ſeu *Focus, in quo Magi cinerem multum & Ignem perennem ſervant: & eò quotidie ingreſſi* ἐπάδουσιν *accinunt* [ſeu canunt preces ſuas] *ferè per horam, ante Ignem Virgarum faſciculum tenentes,* πάρας πιλωτὰς *pileis coactilibus infulatis velati ex utrâque parte dependentibus, adeo ut Vittæ labia contegant & malas. Hæc in* Ἀναΐτιδος καὶ Ὀμανῆ *Anaitidis & Omani delubris fiunt: nam & horum ibi delubra ſunt, & Omani ſtatua in pompâ ducitur. Iſta nos vidimus: ſequentia Hiſtoriæ memorârunt. In Fluvium Perſæ non immejunt, nec abluuntur, nec Cadaver injiciunt, nec alia quæ immunda eſſe videntur. Cuicunque deo ſacrificant, primùm Igni* εὔχονται, *preces fundunt. Reges habent ex eâdem ſtirpe: qui non paruerit, capite & brachio amputato foràs projicitur. Ducunt uxores complures, & multas pellices alunt, multiplicandæ ſobolis gratiâ. Reges quotannis præmia proponunt iis qui plures filios progenuerint. Pueri ante quartum annum in patris conſpectum non veniunt. Nuptiæ initio Æquinoctii verni celebrantur: deinde Sponſus in Thalamum venit, comeſto priùs Malo, aut Cameli medullâ, & præter id nihil eo die. A quinto uſque ad XXIV annum diſcunt ſagittare, jaculari, equitare, & imprimis vera dicere. Pueri auro exornantur, cujus Igneum fulgorem venerantur: quare id neque mortuo apponunt, nec Ignem, ob honorem quem ei deferunt. Perſarum Capiti imponitur Pileus turritus.—Tiaræ Magorum Infulis ſimiles. Si notis & æqualibus in viâ occurrunt, eos oſculantur: ſi humilioribus, genam eis præbent, eâque oſculum excipiunt: qui humiliores admodum ſunt, duntaxat genu flexo digniores venerantur. Corpora mortuorum humant, priùs cerotis involventes. Magos inſepultos avibus edendos permittunt. Hi cum matribus (majorum inſtituto) coëunt.* Hæc ille, qui per *Magos*, fortè

intelligit *Sacerdotes*. Sed cur alios mortuos humaverint, non video, cùm ſit Perſarum mori contrarium.

Rectè dicit Strabo, *non licere* putidum morticinium Igne cremare, ſed tantùm Sacrificium: nam *Herodotus* de *Cambyſe* refert, *Eum feciſſe id quod non erat Sanctum, cremando Amaſis Regis Ægypti Cadaver: cùm illud ſalitum & induratum reſiſtebat, adeo ut verberando & pungendo frangere non potuerant.* Item ejuſmodi illicitum, & tamen factum, legitur apud *Megjdi* in fine vitæ *Guſhtaſpis*.

Alibi Strabo de *Hyrcaniâ* agens p. 352, dicit, *In campo Petram quandam aggere complentes, ita ut rotundi Collis figuram referret, muro cinxerant: ibique Deæ Anaitidis & eodem Altari gaudentium Amani & Anandrati, Perſicorum geniorum, Templum poſuerunt, & τὰ Σακὰ* Saca, *ſolennem ei conventum, indixerunt. Is etiamnum ab iis celebratur qui Ζῆλα* Zela *tenent: eſt enim Oppidum in Armeniâ quod tenent Hieroduli*, ſcil. Sacrorum Miniſtri, ſeu Sacerdotes.

Quoad ſupradictum Σακὰ, videtur eſſe pro Σακέα, quæ eſt ܣܩܝܐ, ſeu שקיה *Propinationis Feſtum*, quod in S. Bibliis vocatur משתה *Miſhte* Ahaſueri, *Feſtum vini*. Quoad Nomina Ανάνδρατος, & Αμανὸς, ſeu Ομανὸς, ſive Ωμανὸς, (nam tot modis, Scribarum errore, apud Strabonem ſcribitur,) ea Perſicè ſcripta nunquam vidi, & an genuina Perſica ſint multùm dubito. Ανάνδρατ῾ videatur potiùs Græcum, q. d. *Eviratus*, fortè quaſi virilibus deſtituta ſtatua, modeſtiæ causâ: nam aliàs אנדרטא Ανδρατα in *Targumim* eſt *Statua virilis*. Quære ergò an in ſupradicto Ανάνδρατ῾, *Alpha* ſit privativum, q. d. *ſtatua non virilis*, ſeu *fœminina?* Sed hæ ſunt ſteriles conjecturæ. Quoad Αμὰν, quamvis ſono conveniat, vix puto id eſſe המן *Hamman*; quamvis ad *Juſtinum* Annotator varius ſtatuat Αμανὸς & חמנים *Hammanim* eſſe *Strabonis* Πυραθεῖα, quorum hoc à חמם, ſignificatione *caloris*. Sed hoc non poteſt ſic eſſe, quia in S. Bibliis *Hammanim* ſemper numerantur cum Lucis & Excelſis Idololatricarum Gentium quæ non colebant Ignem. Nec eſt à calore Ignis, ſed à חמה *Hamma*, *Sole*; unde in *Arabicâ* Verſione Judæorum *Maroccanorum*, qui valdè gnari, ad *Levit.* XXVI. 30, verbatim legitur شمساتكم *Solaria veſtra*, ſeu loca altiora Soli expoſita, quæ eminebant ſupra Altaria, ſeu Menſas in quibus Ciborum & Libationum patinas apponebant, ut in Oriente coram Idolis ſemper fieri ſolebat, & hodie fit. Sed hoc non convenit Perſis qui talia non faciunt. At cùm prætendatur quòd Αμανὸς ſit Deitas Perſica, ſi conjecturæ locus ſit, notabimus quòd in Bibliorum Polyglottorum *Evangeliis Perſicis*, à quodam *Tabrizenſi* Persâ verſis, خداوندا *Chamanâ*

ſit

ſit i. q. هماما *Hamanâ* & ماما *Manâ:* adeò ut per خماماي *Chamanâi* ibi ſignificetur *Similitudo*, unde fortè & in genere *Simulacrum*. Sed cùm apud Gentes in more fuerit, ut quicquid grande & immane eſſet, pro deitate coleretur, potuerit eſſe quòd iſti ſupradicti *Cappadociæ Magi* hæretici (alienis moribus infecti) contra veri Magiſmi principia peccantes, Monti *Amano*, *Anatoliam* à *Syriâ* dirimenti, formaverint Statuam, *Jovem ter maximum* ſub iſtius grandis Montis nomine colentes, ut *Druides* Jovem ſub formâ proceræ arboris colebant. Et fortè tale quid de *Anandrato* ſentiendum. Sed hæc ſunt meræ conjecturæ. Et cùm neutrum horum nominum videatur *verè Perſicum*, nolo multiplicare conjecturas, ſed tantùm addam, quòd apud *Ægyptios* Αμων eſt *Jupiter*, corrupto nomine ab Αμμων, ſeu *Arenarius*, ſcil. qui inter *Libyæ arenas* colebatur: ſi fortè illi in *Cappadociâ* ſuum Αμανὸς nomen inde ſumpſerint.

Perſarum autem Sabaiſmum magis diſtinctè deſcribit Herodotus p. 62, 63, 64; "Porro ritus, quibus utuntur Perſæ, tales eſſe com-"peri. Neque ſtatuas neque [1] Templa neque Aras extruere conſue-"tudo eſt, quinimò hoc facientibus, [2] inſaniæ tribuere; ob id (ut mea

Animadverſa in præcedentem Herodoti Paragraphum.

1 Templa] Herodoti tempore habuerunt Templa: ſed fortè loquitur de Perſis Sabaitis anteactis temporibus. Hinc *Tábari* Perſa de antiquiſſimo Rege *Kejomàras* refert, وبكوهها اندر بوذي و با مردم كم آميختي *Quòd in Montibus verſari, & cum hominibus parùm miſceri, ſolebat:* ſcil. Religionis cauſâ ſecedebat, & magnam vitæ partem in Solitudinibus & Montibus & Speluncis tranſigebat, abſque Templorum uſu.

2 Inſaniæ] Hinc Xerxes Græcorum Templa vaſtabat, præcipuè autem quia Idololatrica erant: nam Xerxis tempore, Perſæ etiam Templis abundabant in quibus Deum adeſſe, ſed non comprehendi, ſentiebant; ut *Salomon* de Templo Dei Hieroſolymitano. Et tamen in ſuâ vaſtatione, Apollinis Templo Delio pepercit, atque Templo Epheſino; quia illud Soli dicatum prætendebatur, & hoc erat *Dianæ*, ſeu *Lunæ* ſacrum. D. *Seguinus* p. 9, 10, exhibet *Hierocæſarèων* Nummum, ubi in *adverſâ* parte eſt *Dianæ Perſicæ caput*, cum *pharetrâ* quæ pone cervicem apparet, quaſi Dea arcu & ſagittis armata. In *aversâ parte* eſt *Ara cum Foco ubi ignis flammans* Perſico more. *Plutarchus* in *Lucullo* p. 507, agit de *Dianâ Perſicâ quæ colebatur trans Euphratem, cui ibi aliquæ Vaccæ ſunt ſacræ*, &c. Et D. *Seguinus* inſuper narrat ex *Gyraldo* & *Plinio* & aliis, *in Caſtabaldis Ciliciæ oppido fuiſſe Dianæ Perſicæ Templum, ubi ſacræ Virgines dicatæ quæ* (tantâ ſanctitate pollentes) *ſuper prunas nudis pedibus deambulant innoxiè.* Et ex *Tacito* citatur, *Hierocæſareenſes apud ſe habere Dianam Perſicam cui Delebrum à Rege Cyro dicatum*, quod reis erat Aſylum, cujus circumjectum ſpatium per bis mille paſſus habitum fuit ſacrum. Et cùm tales Sacerdotiſſæ debuerant eſſe virgines intactæ, malè fecerit (in ſupradictis) *Darius*, defloratam *Aſpaſiam* Veneris Sacerdotio præficiendo. *Diana* quidem Græcè vocatur Αρτεμις, & *Venus* eſt Αφροδιτη, quæ fortè (non obſtante Nominis & Deſcriptionis diverſitate,) eandem Deam plerumque notaverint: nam antiqui, temporis proceſſu, ſæpè perplexi, primæ Deitatum ſuarum originis & genuinæ deſcriptionis obliti, quales, aut quâ formâ fuerint tales deitates aliquando tandem ignorârunt, in earundem deſcriptionibus inter ſe differentes. Utcunque tamen hoc fuerit, certum eſt Perſas nunquam noviſſe *Dianam*, nec de

eâ

" fert opinio) quòd non, quemadmodum Græci, ſentiant deos ex
" hominibus eſſe ortos. Moris habent, editiſſimis quibuſque conſcen-
" ſis montibus, [1] Jovi Hoſtias immolare, omnem gyrum cœli *Jovem*
" appellantes. Soli Lunæque ſacrificant, & Telluri, Igni, Aquæ, at-
" que [2] Ventis, hiſque ſolis Sacra faciunt jam inde ab initio. Poſteà
" verò didicerunt [3] *Uraniæ* ſacrificare, ab *Aſſyriis Arabibuſque* edocti.

eâ aliquid audiviſſe, & multò minùs ſub *Artemidis* aut alio nomine eandem coluiſſe: ſed potiùs quaſi Αρτεμις & Αφροδιτη pro eâdem deâ habitæ fuerint, ubicunque apud autores memoratur *Artemis* Perſis tributa, eo nomine intelligenda eſt *Aphrodite*. Quamvis enim *Artemis* ſolùm ſumpta, ſit *Diana*; tamen *Artemis Anaitis*, eſt *Venus*: nam quotieſcunque *Artemis* memoratur *Perſica*, ſic diſtinguenda ſubintelligitur: & quidem *Anahid*, ſeu Ανάϊτις quod eſt Perſicum *Artemidis* nomen, planè *Venerem* ſignificat, idque eſt *Planetæ Veneris* ſolum & unicum ubique receptum nomen. Atque quòd tam Αρτεμις quàm Αφροδιτη utræque fuerint *deæ armatæ*, certum eſt ex *Pauſaniâ:* qui etiam tam *Dianæ*, quàm *Veneris* denominationes, à tot locis & tam variis occaſionibus ſumptas enumerando, inter alia, p. 192, memorat Αρτέμιδος ἱερὸν Ἀναΐτιδος *Dianæ Anaïtidis templum*, (i. e. *Veneris*,) quæ denominatio & diſtinctio ſupradictam inter autores differentiam quodammodo conciliare videtur. Apud *Plutarchum* quoque memoratur Αρτεμις quam vocant Ἀναΐπδα, & *Clem. Alex.* meminit Αφροδίτης Ταναΐδος, pro Ἀναΐπδος. Præterea in Bibliis Polyglottis *Act.* XIX, ubi in reliquis linguis legitur *Artemis*, ſeu *Diana*, in Arabicâ Verſione legitur زهرة *Zóhra, Venus Epheſiorum:* & in *Arabum* Libris ubi VII Climatum limites deſcribuntur, unum aliquod Clima extenditur per هيكل الزهرة *Templum Veneris*, quo nomine *Templum Epheſinum* intelligere videntur: nam tacito *Epheſi* nomine, totam urbem intelligunt per *Templum Veneris*, denominatione ſumptâ à potiore parte.

1 Jovi.] *D. Seldenus de diis Syris* p. 212, 213, ait quòd *Jupiter Perſicus* ſit *Jupiter Martialis*, quem abſolutè *Martem* vocant, & Bello præficiunt. Ipſe videat. Apud Perſas, Planetarum cultus civilis erat immediatus: non autem per Statuas, uti fecerunt Sabaitæ Iconolatræ; qui etiam ſæpè inter ſe diſſentiebant de ejuſdem Deitatis formâ, ut abundè conſtat ex *Plut. de Iſide & Oſiride*. In Libyâ apud Ammonios, Jupiter colebatur tam ſub formâ *Capitis arietini*, quàm ſub formâ *Umbilici*, qui à quibuſdam creditur *Pyxis nautica*, tam ex figurâ, quàm quòd geſtabatur in *aurato Navigio*, quando, tanquam Oraculum, pro Reſponſo conſulebatur. [a] Apud *Celtas* Jupiter colebatur ſub formâ proceræ *Quercûs*, ut *Max. Tyrius* habet Orat. XXXVIII, Κέλτοι σέβονται μὲν Δία· ἄγαλμα δὲ Διὸς, ὑψηλὴ δρῦς. Hinc hujus Religionis homines dicti ſunt *Dryides*, ſeu *Dryades*, (ſc. quernæ religionis homines,) quos ex ſuâ Ditione abolevit *Claudius Imp.* 5. Hi Viſco querno (vulgò Miſleto) nihil ſacratius habuêre, nec ulla Sacra ſine fronde quernâ peragebant. Et quia Quercus habebatur Sacra, hinc dictæ ſunt Sylveſtres Nymphæ *Dryades & Hamadryades*, utpote quæ ſimul cum Quercubus naſci & cum eis interire crederentur; vel quæ in Quernis ſylvis verſarentur. De Lucorum Conſecratione, conſulatur *Dempſterus ad Roſinum*, p. 21, 22. Conſtat enim Arboribus immolatas fuiſſe Hoſtias humanas, ex iis (inquit) quæ de Druidibus prodiderunt *Strabo, Mela, Plinius, & Cæſar*. De Sacerdotibus Lucorum aliàs aſſatim in S. Bibliis.

2. *Ventis*] i. e. Aëri. *Hiſque ſolis*] hoc eſt falſum: nam Deum præcipuè colunt. Neque *Theogoniam* accinunt, ut is, Græcorum more, fabulatur.

3. *Poſteà didicerunt Uraniæ*] poſteà exegeticè ſequitur, *vocant Aſſyrii Venerem, Mylittam*. Hoc confirmat *Heſychius*, Μυλήταν, τὴν Οὐρανίαν, Ασσύριοι. Scil. *Aſſyriacè* مولدة *Maulédta* eſt *Genetrix*. *Herodotus* pergit docere, quòd *Venus* Arabibus dicebatur *Alitta:* quod quidem nomen fortè ſit الٰهة *Alihat*, ſeu potiùs *Ilahat*, i. e. *Dea*; nam Venus aliter vocatur

a Vid. Append. No. III.

Ara-

" Vocant autem Aſſyrii Venerem *Mylittam*, Arabes eandem *Alittam* " vocant, Perſæ *Mitram*. Sacrorum autem ritum circa hoſce jam " dictos deos, hujuſmodi quondam inſtituerunt. *Perſæ* quippe ſacri- " ficaturi, nec Aras erigunt, nec Ignem incendunt prorſus: ſed neque " στοιδῇ [1] Libamentis utuntur, ἀνὶ αὐλῷ, ἀ σέμμασι, ἀνὶ ἀλῆσι aut *Ti-* " *biis*, *Inſuliſve*, *aut Molis*: verum, ut quiſque divis his Sacra facere " ſtatuit, in locum mundum Victimam ſiſtens, Deum illum implo- " rat, Myrto maximè cinctam geſtans Tiaram. Sacrificans autem non " pro ſe ſolo, privatimque vota nuncupat, ſed communiter *univerſis* " *Perſis* benè precatur. Imprimis quidem Regi, quoniam omnes " Perſas idem quoque comprehendit. Ubi verò jam in minutas por- " tiunculas membratim Hoſtiam conſcidit, carnibus elixis herbam " ſubſternit quam molliſſimam, maximè Trifolium. Huic impoſi- " tis carnibus, [2] Theogoniam accinit: ſiquidem hanc eſſe Incantatio- " nem efficaciſſimam. Citraque Magum, nullum illis fit legitimum " Sacrificium. Mox Sacrificus, ſublatis carnibus, utitur in quem- " cunque uſum illi fert animus. Ex omnibus diebus, præcipuè colen- " dum cenſent quiſquis ſuum Natalem: nimirùm, hoc die, plus aliis " æquum cenſentes ciborum apponere. Ut ditiores integros Boves, " Camelos, Equos, Aſinos, eóſque in Fornacibus toſtos, illo die in

Arabicè. Cur autem addit *Eam Perſis vocari Mitram*, planè neſcio: nam cùm eo nomine ſemper ſignificetur *Sol*, quamnam erroris anſam arripuerit, divinare non poſſum. *Julius Firmicus* itidem errando dicit *Mithram* eſſe *Ignem*. Cùm verò Herodotus dicat, *Poſteà didicerunt*, id eum poſt *Artaxerxis* de cultu Veneris Inſtitutum vixiſſe arguit. [a] Ut itaque res pateat, *Herodotus* quadragenarius, anno Artaxerxis primo, Hiſtoriam ſuam conſcripſit, & ejuſdem Regis anno tertio eandem publicè recitavit. Ideóque, vel Artaxerxes initio regni ſui dictum cultum inſtituerit, vel aliàs, *Herodotus*, poſt publicatam ſuam Hiſtoriam, eandem dicti cultûs notitiâ & fortè aliis quoque additionibus interpolaverit.

1 Libamentis] In ſolenni Proceſſione quam ex muro *Perſepolitano* deſcripſit D. *Chardin*, multorum manibus binatim geruntur Patinæ (ut videtur) Libaminum. Et quòd Vinum in *Condy* libabant, ab aliis narratur. *Nec σέμμασι*] ſuper citavimus D. *Scaligerum* in Notis ad Strabonem, ex Herodoto afferentem tam Victimam quàm Sacerdotes fuiſſe ἐστεμμένους. *Myrto cinctam geſtans Tiaram*] quod ſi verum, tum Herodotus planè ſibi contradicit. *Act.* XIV. 13, *Tum Jovis Sacerdos afferens Boves & Serta, voluit ſacrificâſſe*, &c. *Mola* in Sacrificiis erat vel Farina ſalita, vel Placenta ſalita, ſcil. vel Simila, vel Maſſa farinacea in Libam confecta & Sale conſperſa in Sacris Gentilibus uſurpata: nempe Menſe *Junio* Veſtæ offerebant Molam, de quâ re in ſequentibus agetur. Vox eſt origine *Punica*: nam Romani eam acceperunt à *Phœnicibus*, qui cum reliquis Ethnicis erant in multis rebus Veræ Legis ſimiæ. Eſt ſc. מולח *Móllah* (in Conj. *Pual*) *Salitum*, cum in Lege *Moſis* omne Sacrificium erat ממולח במולח *me-móllah ba-mélah*, *ſalitum ſale*.

2 Theogonia] Non potuit abſtinere à phraſi Græcâ, quamvis falsò applicatâ. Præterea ſibi contradicit, cùm paulò ſuperiùs dixerat, *eos non exiſtimare Deos ab hominibus genitos*. Sed cùm Perſæ ſuas Preces & Deo laudes cantarent, ille ineptè hoc vocabat *Theogoniam accinere*.

a Conferantur hæc cum Append. No. XVI.

" menſam

" menſam apponunt. Pauperes Natalem minoribus Pecoribus hono-
" rant. Cibis autem utuntur perpaucis, Bellariis multis, nec iis ad-
" modùm bonis. Hinc eſt quòd Perſæ dicant, Græcos finem edendi
" facere adhuc eſurientes, quòd à cœnâ nihil apponatur illis quod ſit
" alicujus pretii: quòd ſi tale quid apponeretur, non eſſe finem factu-
" ros quoad ſatiati eſſent. Vini valdè appetentes ſunt. Eiſdem, nec
" vomere coram, nec urinam facere licet: quæ etiam nunc ita obſer-
" vantur. Poti, ſeu inebriati, de rebus maximè ſeriis conſultare con-
" ſueti ſunt. Quòd autem ipſis placuerit deliberantibus inter pocula,
" id poſtridiè proponit Dominus illius domûs in quâ deliberaverant:
" & ſiquidem placuerit ſobriis etiam, eo utuntur: ſin minùs, relin-
" quunt. De quibuſcunque autem ſobrii conſultaverint, inebriati ea
" in diſquiſitionem revocant."

" Si in viâ invicem ſibi occurrunt, ex hoc quis cognoſcat an pares
" ſint; nam ſalutationis loco, ſe mutuò oſculantur: quòd ſi alter fue-
" rit inferior paulò, malas oſculantur duntaxat: ſi autem alter fuerit
" multò ignobilior, proſtratus adorat honoratiorem. Imprimis autem
" illos obſervant reverenter qui proximè habitant: ſecundas tribuunt
" iis qui à primis proximi: atque ſic deinceps progredientes, quò vi-
" ciniores, hos arctiore neceſſitudine junctos exiſtimant; ſe nimirùm
" omnium longè optimos arbitrantes: alios verò quò remotiores diſſiti
" ſunt, hos à virtute eſſe magis alienos: atque illos demum ſecundùm
" dictam proportionem peſſimos eſſe colligentes, qui à Perſis abſint
" remotiſſimè."

" —— *Medi*. Iidem & affines perinde atque Perſæ colunt. ——
" Perſæ, *à Græcis edocti*, puerorum quoque indulgent amoribus. Vir-
" gines multas, uxorum loco, ducunt, ſed multò plures Pallacas ha-
" bent. Secundùm bellicam fortitudinem, potior ducitur numeroſæ
" ſobolis procuratio: & qui quamplurimos Liberos ediderit, huic Rex
" munera quotannis mittit: in multitudine enim poſitum eſſe robur
" exiſtimant. Liberos ſuos, à quinto anno incipientes uſque ad viceſi-
" mum, tribus duntaxat inſtituunt, *Equitare*, *arcu ſagittas excutere*,
" & [1] *vera loqui*. Ante quinquennium filius in conſpectum Patris non
" venit, ſed apud fœminas degit: quod eâ gratiâ ſic fit, ut ſi inter
" educationem decedat, nullam hæc prolis jactura Patri afferat moleſ-

1 *Vera loqui.*] Unà cum Herodoto & Strabonis dictis de Perſarum ἱππεύειν & τοξεύειν & ἀληθεύειν ſeu ἀληθίζεσθαι, cenſeatur celebris illa (in 1 *Ezdræ* cap. 3,) Zorobabelis ſententia de Veritatis prævalentiâ à Dario Perſarum Rege approbata. Conſulatur quoque & Xenophon in *Cyropædiâ* de *Foro liberali* pro educatione juventutis.

" tiam.

"tiam. Equidem hunc morem laudo: laudo item illum, ne ob "unam tantùm culpam liceat, vel ipſi Regi, occidere quempiam, ne- "que alicui aliorum Perſarum atrocius aliquid in familiam ſuam ex- "ercere ob unum ſolum delictum: ſed expendere jubetur quiſque ſi "plura magna patraverit, atque tum demum juſtâ utatur indignatione. "Suum autem Patrem aut Matrem ajunt neminem unquam occidiſſe: "verum quotquot horum fortè acciderunt, omni neceſſitate excuſſâ, "hos tandem deprehenſos tradunt aut ſubditos aut ſpurios. Quippe "haud veriſimile videri ajunt, ut is qui verus parens ſit, à proprio "filio interimatur. Quæcunque apud eos fas non eſt facere, ea nec "dicere. Turpiſſimum apud eos ducitur, mentiri: ſecundo loco, æs "alienum debere, cùm ob alias multas cauſas, tum quòd neceſſum "ſit eundem qui debet, mendacio quoque obnoxium eſſe. Si quis "è civibus leprâ aut vitiligine infectus ſit, huic in civitatem accedere "non conceditur, neque cum aliis Perſis conſuetudinem habere. Di- "cunt enim hos morbos illis immiſſos, quòd in *Solem* peccaverint. "Exterum, qui eiſdem correptus fuerit, è regione ſuâ exigunt. Ex- "pellunt quoque *albas Columbas*, eandem cauſam prætendentes. In "Flumen nec immejunt, nec inſpuunt, nec manus in eo abluunt, "nec denique ſimile quippiam faciunt: ſed Flumina inter omnia re- "ligioſiſſimè colunt. [*Deinde mendacium, de omnibus Nominibus "Perſicis deſinentibus in* Sigma, *omitto.*] Cadavera defunctorum "Perſarum dicuntur non priùs humari, quàm ab Alite, aut Cane "trahantur. Magos tamen certè ſat ſcio hæc factitare, quandoqui- "dem apertè faciunt. Perſæ igitur mortuum καταχηρώσαντες *Cerâ in- "tegentes* in terram condunt. Magi verò, cùm ab aliis hominibus, "tum à Sacerdotibus Ægyptiis differunt. Siquidem hi nullius Ani- "malis occiſione ſe pollunt, præter ea duntaxat quæ diis immolant: "Magi verò ſuis ipſorum manibus, excepto Homine atque [1] Cane, "quodvis occidunt: imò hoc palmarii loco ducunt, ſi Mures, For- "mices, [2] Serpenteſque, & breviter reptilia atque volatilia plurima, "necaverint."

1 Canis habetur Animal quodammodo ſacrum: ideóque inter Zoroaſtris Præcepta jubetur Charitas erga Canes eóſque paſcere. Quomodo eos moribundis hominibus applicant, vide in Appendice XVII noſtrâ ea quæ notavimus ex *Taverneri* Itinerario.

2 Solennis apud eos datur dies in quo noxia animalia necare ſatagunt; de quo alibi diximus.

Heic deſinunt Animadverſa in præcedentem Paragraphum ex Herodoto deſumptum.

Magorum Principia & Dogmata quædam tradit *Diogenes Laërtius* in *Proœmio* ad Vitas Philoſophorum, hoc modo: *Magos in Deorum Sacrificiis & Precibus ita verſari, quaſi ii ſoli ab eis exaudiantur; atque etiam eos de deorum naturâ & ortu diſſerere, quos & Ignem eſſe, & Terram, & Aquam putantes: ſtatuas repudiare, & eorum maximè opinionem, qui Deos mares & fœminas eſſe ajunt. De juſtitiâ verba facere; nefaſque arbitrari igne mortuos humare: fas exiſtimare cum Matre, aut Filiâ corpus miſcere, quemadmodum* Sotion *ait in XXIII. Prætereà Divinationem ac Prædictionem profiteri, deos ſibi ſe offerre dicentes: quinetiam Spectrorum plenum eſſe Aërem, quæ à vaporibus defluentia in oculos acutè cernentium introferri. Atque etiam eos ornamentis aurique uſu in veſtitu interdicere. Horum veſtitus quidem albus; cubile, terra; cibus, olera caſeúſque; & panis, cibarius; bacillum, arundo; quâ quidem (ut ajunt) caſeum figentes attollebant & comedebant. Sed γοητικὴν μαντείαν eos non noviſſe.*——Ariſtoteles, *in primo de Philoſophiâ, ait eos* Ægyptiis *antiquiores, & ex eorum ſententiâ duo eſſe* Αρχὰς Principia, *Bonum Malumque* Δαίμονα, *ſeu Larem; quorum alter eſt* Jupiter & Oromaſdes, *alter* Orcus & Arimanius *appellatur.*——Theopompus *in VIII* Philippicarum *ait, Magorum ſententiâ, Homines in vitam redituros immortaleſque futuros, & ea quæ ſunt, ſuis quæque vocabulis permanſura tradit.* Hecatæus *autem, Deos genitos eſſe, de eorum ſententiâ, prodit.* Clearchus *Gymnoſophiſtas à Magis progenitos eſſe ait.* — *Prætereâ qui res Magorum ſcripſerunt,* Herodotum *refellunt: nec enim* Xerxem *Tela in* Solem *jeciſſe, nec* Compedes *in* Mari *demiſiſſe, quorum utrumque Magi Deum eſſe arbitrantur. Simulachra etiam jure ſuſtuliſſe.* Sic ille. De eorum opinionibus & praxi, vide *Briſſonium* p. 181. Qui de Perſarum Religione ſcripſerunt, ajunt Magos cenſuiſſe mortales aliquando revicturos & ſempiterno ævo fruituros, uti & nos ex eorum Scriptis magis particulariter docuimus ſub finem hujus Operis. *Briſſ.* p. 106, agit de Sacrificiis & pietate Regum, & quomodo *Cyrus* inſtituit eos qui quotidiè Divina Officia canerent: & poſteà de oblatis Holocauſtis. Præmiſſo ſemper Cultu Divino, res ſuas aggrediebantur, facto à Jove principio: ſic *Xen.* de *Cyro, Rem ſacram Jovi primùm Regi, deinde Diis cæteris fecit; additis Precibus, ut propitii benignique eſſent, & exercitui ſe Duces bonoſque commilitones & ſocios atque etiam rerum utilium conſultores præbere vellent. Prætereà Heroas, Medorum terræ incolas & curatores, imploravit. Cúmque ritè litáſſet, Tellurem etiam Libationibus propitiam ſibi reddidit, & Deos atque Heroas regionem Aſſyriorum incolentes* εὐμενίζετο *Sacrificiis placavit.*

Quibus

Quibus peractis, rursus Jovi patrio ἔθυε: *nec siquis alius Deorum se offerret, ullum neglexit. Cúmque Somnio moneretur se moriturum, excitatus, mox sumpsit* ἱερεῖα *Hostias, Jovi patrio & Soli & Diis cæteris, in summis montium jugis, ut Persis mos erat,* ἔθυε *sacrificavit, & hujusmodi preces concepit,* Ζεῦ πατρῷε καὶ Ηλιε καὶ πάντες Θεοὶ, *Jupiter patrie, Tuque Sol, & Vos Dii universi, accipite hæc* τελεσήρια, *Præstationes sacras, quibus & multis præclaris actionibus finem impono; hæcce* Χαριστήρια *Gratulatoria, quòd mihi tam* ἱεροῖς *extis, & in* οὐρανίοις σημείοις *Cælestibus Signis, in* οἰωνοῖς *avibus, ea significâstis quæ vel facienda vel omittenda erant. Magnas etiam vobis gratias ago, quòd & ipse curam de me vestram agnoverim, & nunquam me rebus prosperis supra conditionem extulerim. Rogo vos, ut nunc quoque Liberis, Uxori, Amicis, Patriæque felicitatem largiamini: mihi verò peto, ut quale concessistis ævum,* [sc. pietate transactum,] *talem etiam exitum detis. Xenophon* hic pro lubitu concepit pro *Cyro* Orationem, seu Precationem ad *Jovem* & *Solem*, ut Homo Græcus, fingens eum orâsse ad plures Deos; cùm *Cyrus* nunquam oraret ad *Solem*, nec nisi ad Deum unum & verum vota nuncuparet: & hoc semper comperimus in Scriptoribus Græcis, qui non possunt loqui de *Deo* in singulari numero, sed (ut supra notavimus) perpetuò de *Diis* loquuntur in plurali. Prætereà superior illius ad milites pugnaturos Hortatio, non est secundùm stylum & loquendi morem apud Persas usitatum, uti meliùs constabit ex aliâ ad milites Hortatione *verè Persicâ*, quam in sequentibus adducturi sumus. Non immeritò ergo Xenophontis Cyropædiam *fictam* judicat *Cicero.*

Brissonio non constitit, Persas unquam in suis Sacris obtulisse *Odores*, cùm (ut videtur) tale quid de eis apud Græcos nunquam legisset. Sed in Libro *Pharhángh-Gjihânghiri* memorantur VII antiquissima Pyréa, in quibus Ignem servabant & *Incensum* Planetis adolebant: ejus verba extant in voce اذر *Azur*, ubi refert, هريكي ازين آتشكدهاي هفتگانه را منسوب بيكي از كواكب سبعة ميداشته اند وبخوري كه متعلق بآن كواكب بوده در آن آتش ميسوخته اند *Horum septem Pyreorum quodvis alicui ex septem Planetis relatum habuêre: ibique Incensum, illis Planetis proprium, in illo Igne suffiebant.* Sed dicti Libri Autor *Mohammedanus*, fortè partialis fuerit in nostros de *Incenso ad* VII *Planetas*: id enim, tempore Sabaismi, sub dio fieri solebat: at in Pyreis posteà Deo offerebatur Incensum. Nam quòd & Deo offerebatur Incensum solennioribus temporibus in eorum Pyréis, in Libro *Erdavirâph-nâma* memoriæ proditum est; quomodo Odoribus fiebant

Suffitus & Pyréi Solum, ſeu Pavimentum, pretioſis Tapetibus ſternebatur, quando tempore Regis *Ardeſhîr Babecân* ſolenniter ad Templum proceſſum eſt ad ſolvendum Religionis Dubia, ut ſupradictum eſt p. 18,



Stragula pulchra margaritis intertexta ſtraverunt, Suffitus & odores quaquaverſus ſparſerunt.

Hoc didicerunt ex Ritibus Judæorum, ubi Incenſum Deo adolendum præſcribitur. Conſtat autem ea VII Pyréa non fuiſſe à VII Planetis denominata. Namque dicta illa ſeptem Pyréa antiqua, hæc ſunt, ſç. illud quod vocatur *Primum*, (nam ordine ſic nominantur à Perſis,) dictum erat آذر مهر *Azuri-Mihr*. *Secundum* آذر نوش *Azur-nûſh*. Deinde *Tertium* erat آذر بهرام *Azuri-Behrâm*. Quartum erat آذر آیین *Azur-âyîn*: & *Quintum* erat آذر خرین *Azur-Cherîn*, aliàs dictum آذر خوردان *Azuri-Chûrdâd*, (uti in Libro *Erdavirâph-nâma* etiam legitur آذري خردان *Azuri-chúrdâd*,) erat Pyreum valdè ſublimis ſtructuræ in urbe Shirâz. *Sextum* erat آذر برزین *Azur-berzîn*, quod etiam valdè ſublime. *Septimum* erat vocatum آذر زردشت *Azuri-Zerdùſht*, ſeu آذر زردهشت *Azuri-Zerd-hùſht*, quod itaque neceſſariò ipſe *Zerdúſht* extruxerit: quin & in Libro *Pharh. Gj.* memoratur, alia quædam extitiſſe ante *Zerdúſht*.

Ex his (ut & ex ſequentibus) conſtat, quòd Pyreorum denominationes plerumque ſumi ſolebant ab ignitorum Meteororum apparitionibus & ſubitaneis coruſcationibus (quæ fauſtæ habebantur) in talibus locis ubi *Pyréa* poſteà fuerunt condita, dum talia fauſta indicia deſignarent loca pro talibus *Pyréis* ibidem condendis. Unde cujuſcunque generis aliquando fuerit ejuſmodi ignea apparitio, aut aërea coruſcatio, & à quocunque Planetâ, vel aliâ causâ, apud religioſos Divites, ab eâ ſumi ſolebat Omen & Nomen *Pyréi* ibidem condendi. Nam quoad ſupradicta Nomina, in eis vox *Azur*, ſeu *Adur*, (vel ut moderniores ſonant *Azer*, ſeu *Ader*,) eſt *Ignis*: adeò ut VII Pyreorum primum *Azuri-Mihr* ſit *Ignis Solis*, quaſi dedicatum Igni qui è Sole aliquando emerſerat & coruſcaverat: *Soli* enim referenda eſt omnis Ignis (etiam Elementaris) origo. Secundi nomen *Azur-nûſh* eſt *Ignis blandus*, ſeu *amœnus*, ſcil. innocuus & fatuus, nempe aliquod Meteorum vim cauſticam non habens: nam cùm Ignes omnes (quamvis ſecundùm Fomitem, ſeu materiam ignitam, colorati & inde lucentes, ibique tanquam in ſubjecto hærentes, & deficiente ſubjecto, ſtatim avolantes,) de

de eodem unico puro Ignis Elemento accendantur, ideò in hunc ſacrum cenſum veniunt (ut ſupra dictum) omnia ignita Meteora & Fulgura, omneſque Ignes lambentes & circumvolitantes, qui ſinguli *Sacri* æſtimantur; utpote qui cœlitùs ad nos veniant, & quaſi à Deo accenſi habeantur. Nec quidem culinaris ignis ſuâ veneratione & ſanctitate caret. Hocce Pyréum & hic Ignis aliàs, tranſpoſitis vocibus, vocatur آذر دوش *Nûſh-Azur*, *ignis blandus*, vel junctim دوشادر *Nuſhâdur*, quo quidem nomine apud *Chemicos* appellatur Exhalatio quædam calida, quæ interdiu ut Fumus, noctu ut Ignis apparet, in cujus honorem hoc Pyréum extructum eſt. Dicta Exhalatio evaporata, & ſuperinducto aliquo vaſe, aut aſſerum tecto excepta, evadit concreta: quæ quidem Concretio eſt *Sal* illud quod aliàs (quia in Libyæ arenis frequens) *Ammoniacum* vocatur, in *Chemicorum* Libris *Nuxâdur* (per *x Portugallicum* quod ſonat ut *ſh*) pro *Nuſhâdur*. Quin & ob ſimilitudinem, communis *Ignis fatuus* eodem nomine gaudet, quippe qui ſit Exhalatio ſalſa è paludoſis locis exurgens.

Tertii nomen *Azuri-Behrâm* ſonat *Ignis Martis*, quaſi Pyréum denominatum ab Igne erumpente è rubente igneóve Planetâ *Marte*; cùm illius color ignis ſpeciem exhibere videatur. Quarti *Azur-Ayîn* ſignificatio eſt incerta: nam *Ayîn* eſt *Urceus*, quaſi in quo Ignis quidam ſervatus fuerit: vel fortè nomen corruptum ſit, ut & Quinti nomen *Cherîn*, nullam ſignificationem habens. Fortaſſis vitioſè ſcriptum ſit pro *Churdâd* Angelo, quod eſt aliud hujus Quinti nomen, quaſi talis Ignis quem ille aliquando ſparſerit. Quoad Sextum, aliàs apud *Chalîl Sûphi* in Libro *Nimetullâh*, ſic legitur, آذر برزین آذشگاهیست بلند *Azer-ber-zîn eſt Pyréum quoddam ſublime:* & in eodem Libro ordine Literæ *Be*, ſupradictum *Berzîn* exponitur, *nomen alicujus Sectæ quæ aſſerit ſe eſſe de Religione Abrahami:* vel aliàs, *nomen alicujus Sacerdotis*, ſeu *Antiſtitis*, *qui tale Pyréum extruxit*, *quod itaque ab eo denominatum eſt.* Hæc ſecunda dicti nominis ratio affertur etiam in Libro *Ph. Gj.* ubi tamen (quia *Ber-zîn* eſt *ſuper Ephippium*,) ut magis probabile additur, *Quòd Rex* کیخسرو *Kei-Coſrav aliquando inter media tonitrua & fulgura equitando, ab equo ſuo dejectus eſt: & eodem momento Fulgur in ejus Ephippium cadens, Ephippium incendit & Equum voravit, nec extingui potuit. In cujus rei memoriam, devoti homines hujus nominis Pyréum extruxerunt, illud nominantes Azer-ber-zîn,* i. e. *Ignis ſuper Ephippium.* In Libro *Pharhàngh Surûri* hoc Pyréum dicitur extructum in loco dicto نوذن *Navénd.* Septimum fuit propter Ignem quem fovebat *Zerdúſht*, ejuſdem extructor.

In

In Libro *Sad-der* cap. 43, memoratur Pyreum dictum آذرخره *Adur-chura*, i. e. *Ignis illuminationis-rationis*, q. d. mentis & rationis illuminatione aliquem inſpirans. Eſtque juxta *Kirmân* illud Pyréum, illeque Ignis illuc traductus ex *Choraſân*, ſeu *Bactriâ*, ut vult *Shahriſtâni*. Hæc hodiè (ut alibi fuſiùs dicetur,) eſt *Metropolitica* Eccleſia *Magorum* omnium, ad quam ſemel in Vitâ ſuâ tenentur *veteres Perſæ* omnes Peregrinationem ſuſcipere, Sacræ Viſitationis ergô, ut olim faciebant ad antiquam Eccleſiam Cathedralem *Azur-Guſhtâſp* in *Balch*, ſeu *Bactris*, & prout anteà fecerant ad multo antiquiorem ibidem Cathedralem *Nau-Bahâr*. Fuit enim in urbe *Balch* (ut mox dicetur) aliud antiquiſſimum Pyréum dictum نو بهار *Nau-Bahâr*, ſeu *Novum Ver*, propter vernantem ejuſdem ornatum & picturas floridas. In Libro *Ph. Gj.* & alibi, memorantur ſequentia aliquot Pyréa ſeu vetuſta Templa Cathedralia, quæ non prætermittenda duxi. Horum unum legitur خرد سوز *Chùrd-Sûz*, quod alibi (ut videtur) rectiùs legitur خود بسوز *Chûd-boſûz*, i. e. *Ipſe*, ſeu *ſponte urito*, in regione *Aderbayagjân*. Urbem *Balch* extruxit *Lohrâſp*, *Guſhtâſpis* Pater, & in eâ paravit Pyréum آذر گشسپ *Azur-Guſhàſp*, quod apud moderniores Perſas ſonatur *Ader Keſhàſp*: illud autem in Libro *Pharh. Surûri* appellatur آذر گشتاسپ *Azur-Guſhtâſp*: *Lohraſpis* enim filius hoc loco natus, inde nominatus fuit گشتاسپ *Guſhtâſp*, i. e. *Ignis ſaliens*, ut poſteà pluribus dicetur. Dictus filius ibidem Sacri Ignis cuſtodiam confirmavit, & eandem, poſteà neglectam, renovavit. Erat etiam inſigne Pyréum in monte البرز *Elbùrz*, prope urbem یزد *Yezd*. Aliud Pyréum dictum درخش *Dorùchſh*, ſeu *Doràchſh*, memoratur fuiſſe in urbe ارمیه *Urmiya*, in *Curdiſtaniæ* montibus: cujus quidem Urbis & Pyréi (ut & Urbis *Shirâz*) extructor ditiſſimus fuit راس مجوسي *Râs Magjûſi*, ſeu *Magjuſæus*, aliâs dictus راس البغل *Râs Al Bagàl*, i. e. *Caput muli*, à quo denominatus fuit Nummus quidam dictus درهم بغلي *Dirhem Bágali*, *Nummulus Bagalæus*. Prope urbem هرات *Herât* in *Choraſân* fuit in ſummitate montis Pyréum dictum سرشک *Siriſhk*, quo nomine (inter alia ſignificata appellativa) notatur *Scintilla ignis*, ſeu *Scintillarum elatio*. Fuit in urbe *Tabrîz* (vulgò *Tauris* in *Mediâ* quæ cenſetur *Ecbatana*,) ignis Fanum celeberrimum, & fortè omnium primum atque antiquiſſimum, dictum آذر آبادگان *Azur-Abâdaghán*; quo etiam nomine aliquando notatur ipſa urbs *Tabrîz* ejúſque Provincia, aliàs ſonata *Adarbâyagjan*. Aliud Pyréum *Arabico* nomine gaudet بیت مارس *Beit Mâras*, ſi recte ſcriptum, nam idem

alibi

alibi legitur بيت تارس *Beit-Târas:* ſic *Shahriſtâni* Arabs propè calcem, in Sectione *de opinionibus Arabum tempore ignorantiæ*, ubi refert, *Fuiſſe Arabibus & Indis Ædes ſeptem Planetarum, quarum aliquæ fuerunt converſæ in Ædes Ignium, & aliquæ non converſæ. Fuitque magnum inter Idololatras & Ignicolas diſſidium: & quiſque qui ſuper alterum prævaluit, eas ſemper mutavit in Cæremonialia Religionis ſuæ. Ex his fuit Beit Târas in cacumine montis 3 Paraſangis ab Iſpahân, in quâ fuerant Idola, donec ea ejecit Hyſtaſpes Magiſmum amplectens, eámque convertit in Ædem Ignis. Ex his etiam fuit* النو بهار *Al Nau-Bahâr, quam extruxit Rex Manûſhahr in Balch, dedicata Lunæ: eam tamen poſteà vaſtârunt Balchenſes quando apparuit Iſlamiſmus. Ex his quoque fuit* بيت عهدان *Beit Ahdân in urbe Sánaa Arabiæ felicis, quam extruxerat Dahbâk, illámque dedicaverat Veneri: eam autem vaſtavit Othmân filius Affân. Ex his item fuit* بيت كاووسان *Beit Cäuſân, quam extruxerat Rex Cäus mirâ ſtructurâ, eámque dicavit nomini Solis in civitate Phergâna: eam verò vaſtavit Al Mu'taſim.* Sic ille. Quid autem nominis ſit ſupradictum *Târas*, ſeu *Mâras*, non ſcio: ſed مرس *Maràs* fuit celeberrimus quidam *Magus*, qui fortè dictam Ædem extruxerit. Quoad Templum *Veneris*, agnoſcimus peſſimam illam hæreſin ab aliquo Rege introductam fuiſſe. Sed quoad dicta *Solis* & *Lunæ Templa*, iſte relator fuit ex *Arabibus* qui *res Perſicas* haud ſatis nôrunt: nam *Perſarum Sabaiſmus* nunquam eos abduxit à *Dei cultu*, adeò ut omnia eorum Templa Dei Omnipotentis nomini & cultui dedicata fuêre. Dicta itaque Templa, vel ab Idololatris extructa fuêre, & poſtea converſa in Pyréa: vel fortè ob externa talium Planetarum *ſymbola*, ſic nominata fuerint, ut hodie omnia *Mohammedanorum Templa* creſcentis Lunæ *ſymbolum* ſupernè gerunt. Aliàs enim, quamvis ſingulis Planetis adoleverint Suffitus, nunquam tamen (quatenus hactenus comperimus,) habuerunt talia Templa quorum denominationes ab illis Planetis deſumptæ; imò hujus contrarium ex ſuperioribus VII Pyreis apparet: ibi enim inter ea, neceſſaria fuiſſet talium Templorum mentio: ibi autem ſola mentio Ædis ab *Igne Solis* denominatæ, non autem pro *cultu Solis* ordinatæ; cùm nulla Templa pro cultu Solis habuerint, nec Sacerdotes Solis, ſed tantum Pyréa & Sacerdotes pro ſolius Dei cultu habuerunt.

In Libro *Pharh. Gj.* memoriæ proditum eſt, *Quòd Ardeſhîr Bâbek, qui fuit ex Perſarum Regibus ordinis poſterioris, celſiſſimum quoddam ædificium dictum* تربالی *Terbâli extruxit ad Orientem urbis* شهرکون *Shabraghún in Perſiâ; & quod è regione hujus urbis ſit Mons (in cujus cacu-*

cacumine eſt Pyræum) emittens aquam quæ ſupra Verticem τῦ Terbâli tranſfluit. Hoc mirum, ſi verum. Alia etiam veterum Templorum Perſicorum nomina in ſequentibus memorantur: at eorum omnium Nomina hodie recuperare & recenſere, eſt planè impoſſibile. Sed notandum eſt, quòd omne *Pyræum* fuit Eccleſia Cathedralis dotata ad alendum Epiſcopum & Sacerdotes neceſſarios, ut infra fuſiùs dicetur.

Cap. IV.

Mithræ apud Perſas cultum, non eſſe adorationem divinam, non obſtantibus eis quæ Græci & Latini in hujus contrarium dicunt. Perſarum Sacerdotes id expreſſè negant, & affirmant ſe ſolum Deum adorare. De Mithræ Antro, &c.

DE *Sole*, quatenùs Perſarum Religionem cultúmve ſpectat, tractaturus, ut naturali ordine procedam, ejuſdem glorioſi luminis, quæ in Linguâ Perſicâ reperiuntur, Nomina præmittenda cenſeo. Corpus Solare ſeu Diſcus Solis in Libro *Pharh. Gj.* vocatur سپر سیاه *Sipèr Siyâh*, i. e. *Pelta nigra*, ſeu *Clypeus niger*; idque propter rotundam formam. Et propter ejuſdem intensè ſplendentis aqueum nigrorem, apud *Sheîch Saadi* dictum corpus ſolare vocatur چشمهٔ هور *Tchéſhmahi Hûr*, i. e. *Fons Solis*, quòd aquæ fontem imitetur ſplendente ſuperficie. *Sol* autem (variis aliis ſonans nominibus præter dictum *Hûr*,) nuncupatur etiam خور *Chûr*, & شید *Shîd*, vel junctim خورشید *Chûrſhîd*, ſeu ut in *Pharh. Sur.* خورشاد *Churſhâd.* Alias ſubinde vocatur قباس *Kobâs*, & شر *Shèr*, & کلیچه *Calîtcha*, & لیو *Lîv*, & لاب *Lâb*, & روز افکن *Rûz-afken*, i. e. *diem jaciens*, ſc. diem ſeu lucem producens. Nominatur quoque هزار تابه *Hazâr-tâba*, i. e. *Mille-ſplendens*, ſc. copiosè ſplendens: item گرد *Ghèrd*, i. e. *urbs*, vel *vertens*; item روزگرد *Rûz-ghèrd*, i. e. *Diei urbs*, ſeu *Diem vertens*, ſc. diem

diem ſeu lucem circumducens. Inter ejus nomina quoque eſt هورخش *Huràchſh*, contractè pro هوررخش *Hûr-ràchſh*, i. e. *Solis Splendor*. Vocatur quoque مرغ *Mùrgh*, i. e. *Avis*, *Volucris*; fortaſſis eâdem ratione quâ Ægyptii Solem etiam *Phœnicem* eſſe myſterioſè fingebant: quam quidem *Fabulam* explicavimus in Notis noſtris ad *Itinera Mundi*. Horum quædam ſunt rarò uſitata nomina vel tantùm apud Poëtas. Omnium uſitatiſſimum Solis nomen eſt افتاب *Aphitâb*, q. d. آب تاب *Abi-tâb*, ſeu آوتاب *Avi-tâb*, i. e. *Aquæ ſplendor*, ſeu *Aqueus ſplendor*, quod quidem nomen reſpicit ſupra dictam notionem de *Fonte Solis*. At in Religionis negotio, *Sol* præcipuè appellatur مهر *Mîhr*, quâ voce primariò ſignificatur *Amor*, *miſeratio*, *miſericordia*; quo quidem nomine inſignitus eſt *Sol*, quia totum Orbem fovet recreátque, & quaſi amore complectitur; notione haud multùm diversâ ab eâ vetuſtiſſimorum *Hebræorum*, quibus à *miniſtrando* ipſe *Sol* dictus eſt שמש *Shémeſh*, q. d. totius Orbis *Miniſter*, ſeu *Famulus* officioſus.

Quoad verum ſonum vocis *Mihr*, ſonanda eſt *Myr*, ſeu *Mir* per *i* tenue longum, non autem *Mîr* per *î* craſſum longum; eodem prorſus modo quo fit in ejuſmodi vocibus in linguâ Germanicâ, ubi litera ℌ in eundem ipſum uſum adhiberi ſolet: nam *mir* eorum literis exprimenda eſſet **mihr**. Græcis autem difficilis erat in mediâ voce Aſpiratio ſimplex; ideóque apud eos, per Aſpirationem cum literâ Θ conjunctam, legitur Μίθρα, ut ab eis factum eſt eâdem ratione in nomine Μιθριδάτης, quod eſt مهردان *Mihridâd*, i. e. *Amor juſtitiæ*, (ſc. is fuit, vel æſtimari voluit, Amator juſtitiæ,) quod *Græco* ore ſonari non potuit. Id melius ſonuit *Tacitus*, apud quem *Phraortis* filius vocatur *Meherdates*.

Propter Solis glorioſam figuram & ſummum, quod Orbi terrarum præſtat, beneficium, ferè ubique gentium ei erigebantur Templa, & Sacerdotes ſacrati, quòd nimis prolixum eſſet narrare. Tale Templum fuit *Palmyræ*, cujus meminit Fl. *Vopiſcus*, citans *Aureliani* Imperatoris Epiſtolam ad ſuum Generaliſſimum Ducem qui *Palmyram* expugnaverat, his verbis, p. 219, *Aurelianus Ceionio Baſſo. Non oportet ulteriùs progredi militum gladios: jam ſatis Palmyrenorum cæſum atque occiſum eſt.—Templum Solis quod—diripuerunt, ad eam formam volo quæ fuit reddi: Habes trecentas auri libras è Zenobiæ capſulis: habes argenti mille octingenta pondo: de Palmyrenorum Bonis habes Gemmas regias. Ex his omnibus fiat cohoneſtari Templum: mihi & diis immortalibus gratiſſimum feceris. Ego ad Senatum ſcribam ut mittat Pontifi-*

cem qui dedicet Templum. Hinc conſtat, eorum Templa primò habuiſſe ſolennes Dedicationes; quæ, poſt expilationem & deſecrationem, de novo reparata, eaſdem iterari poſtulabant. *Romani* (inquam) & *Græci* & pleræque nationes hoc ſuperſtitionis genere abundantes, habuerunt Templa & Sacerdotes Solis: ſed *Perſæ* non item, nec Templa, nec Sacerdotes, Solis aut Lunæ unquam habuerunt. Aliquis dicit *Zoroaſtrem*, in propagando religionem, habuiſſe contentionem cum Sacerdotibus Solis: ſed perperam eos ſic vocavit, propter aliquas ceremonias quas faciebant Soli; quarum tamen quaſdam ipſe toleravit & juſſit quotidiè faciendas, ut ex ejus Præceptis conſtabit.

Græci eis impingunt *Mithræ* cultum divinum, quaſi, poſthabito Deo omnipotente, *Mithram* unicè colerent: ſic *Heſychius*, Μίθρα ὁ πρῶτος ἐν Πέρσαις Θεός. Et *Strabo* de Caramanis Perſis agens, idem dicit de *Marte*, ὃν Πέρσαι σέβονται Θεῶν μόνον. Hæc autem ſunt ἀσύστατα; quaſi *Sol* ſit *unicus* Perſarum Deus, & *Mars* ſit *unicus* Perſarum Deus: hæc non poſſunt eodem tempore & loco conſiſtere, nec poſſunt eſſe ſimul vera; ſed potiùs utraque ſunt falſa: nam neuter horum *ſolus* colitur, nec *divino cultu* colitur, nec à Perſis unquam vocatur *Deus*, ſed agnoſcuntur eſſe Creaturæ à Deo omnium Creatore conditæ. *Heſychius* inſuper adducit Græcorum Mithricolarum juramentum, νὴ τὸν Μίθραν, & ὄμνυμί σοι τὸν Μίθραν. Et apud *Xenophontem*, Artabazus introducitur jurans μὰ τὸν Μίθραν, & fingitur Precatio ad Jovem & Solem, Ζεῦ πατρῷε καὶ Ηλιε, &c. Illius autem veniâ, Perſæ nunquam aſſeruerunt Solem eſſe Deum, nec (ut alibi diximus) neceſſitatum petitiones ei unquam exhibuerunt, quaſi eſſet Deus. Quid autem ſibi volunt Perſæ, docet nos D. *Sanſon* in *Hodierno ſtatu Perſiæ*, qui interrogatis eorum Sacerdotibus in *Iſpahân* de cultu Solis, ſic refert, *Gavri affirmant ſe non adorare iſtum Planetam, ſed tantùm unum Deum.* Et in eodem Capite, *Hoc obſervavi, eos non habere Imagines, & planè abhorrere ab iis qui habent eas. Quando ab eis quæritur, Cur proſtrati adorent orientem Solem? reſpondent, Se homagium præſtare ei Creaturæ, utpote quæ, poſt Hominem, ſit perfectiſſima earum quas Deus ex nihilo creavit. Ajunt quoque Deum in eo collocâſſe Thronum ſuum; cujus itaque glorioſa Majeſtas debet humillimam eorum venerationem demereri. Hæc quæ orienti Soli exhibetur Salutatio, non eſt peculiaris illis ſolis: nam moderni Perſæ eâdem quoque utuntur, ut & Armeni* [Chriſtiani] *qui idem faciunt, ſeipſos coram Sole frequenter cruce ſignando.* —— *Credunt quoque aliquem Paradiſum dari in ipſo Sole; atque Sanctorum ſuorum felicitatem conſiſtere in clarâ Solis viſione, quâ aſſerunt ſe videre Deum per reflexionem*

reflexionem ſicut in Speculo: neminem autem ad hanc admitti felicitatem, niſi triduo poſt mortem, &c. Cum itaque (ut vides) agnoſcunt Solem eſſe Dei Creaturam, impoſſibile eſt quòd eum colant pro ipſo Deo, qui à Perſis vocatur آفریدگار *Creator* omnium rerum, cum reliquis Attributis. Abſint itaque ſupradicti mendaces Græci qui pro Perſis Oratiunculas componunt ſtylo religionis Græcæ, quod æquè abſurdum eſt ac ſi tales pro nobis Chriſtianis eodem ſtylo componerent. Nimis temerè itaque de Perſis pronuntiant ea quæ non ſunt vera, & falſa eis pro lubitu impingunt. Adeò ut quando aliquid ex eis citatur, neceſſe ſit habere in alterâ manu calamum expurgatorium ad corrigendum & refutandum eos, de Perſis, vel falſa, vel perperam intellecta referentes. Et hoc modo ferè ſemper negotium nobis faceſſunt iſti nugatores, qui habuerunt opus inſtitutionis in Perſarum ſcholâ ubi docebatur ἀληθεύειν & diſcebatur ἀληθίζεσθαι.

Quoad id quod *Sanſonius* ſuprà retulit de *Paradiſo* in Sole, videtur opinio Heterodoxorum & *Manichæorum* potiùs quàm Orthodoxorum Perſarum: *Manichæi* enim, adorantes Solem & Lunam, credunt in hanc Animas ſuorum evehi, ibique fulgere, & his repletam tunc videri plenam Lunam; quæ ſe exonerans, eas tranſponit in Solem, quæ inde in ævum Beatorum migrant. Quod attinet ſupradictos Chriſtianos *Armenos* ad Solem ſe flectentes, de ejuſmodi Chriſtianis etiam ſuo tempore conquerebatur *Leo Papa* (Serm. VII. de Nativitate Chriſti,) *Priſcillianiſtas* arguens de cultu Solis, *Ut Sol exurgens — à quibuſdam inſipientibus de locis eminentioribus adoretur. Quod nonnulli etiam Chriſtiani adeò ſe religioſè facere putant, ut priuſquam ad D. Petri Baſilicam perveniant, ſuperatis gradibus, — converſo corpore, ad naſcentem ſe Solem reflectant, & curvatis Cervicibus, in honorem ſe ſplendentis orbis inclinent.* Et præter dictum *Sanſoni* teſtimonium de Armenis, ego etiam benè memini aliquos *Perſ-Armenos* (ut ſuprà innuimus,) quibuſcum collocutus ſum, mihi nuperis annis agnoviſſe quòd flectere ſe ſoleant coram Sole, eóſque id faciendi modum mihi monſtrâſſe. Sed olim tempore *Conſtantini*, ſub *Sapore* Perſarum Rege, quando in hoc conſiſtebat Criterion, (ut ſupra meminimus,) Chriſtiani voluerunt potiùs mori quam proſternere ſe Soli, credentes (ut videtur,) Perſas tunc cultum divinum Soli tribuiſſe; nec voluerunt eandem proſtrationem præſtare Regi, quamvis ſcirent eam eſſe tantùm civilem. Sic memoriæ proditum apud *Sozom.* II. 8, 9, 12, *Saporis juſſu, Simeon cum multis aliis, quòd Solem adorare recuſáſſent, ultimo ſupplicio adfecti.* Nempe XVI millia martyrium paſſi ſunt. Hinc fateor, quis

(nisi præmonitus) putaret Persas divinum cultum tribuisse Soli, quia Christiani videbantur id de eis credidisse. Cùm autem dicti Regis tempore, plurimi ex Persis ad Christi fidem converterentur, *Magi* metuentes, ne etiam *Sapor*, ad Christianitatem conversus, *Magorum* Religionem aboleret, excogitabant omnes astutias & technas quibus Christianorum animis scrupulum injicerent ne Regi parerent. Scientes itaque Christianos odîsse omnem Idololatriam, tentârunt adigere eos ut Regem atque Solem adorarent Persarum more, ut hoc modo contra recusantes invenire possent criminationes. Hinc autem non arguitur, Persas honorantes Regem & Solem, istos divinâ adoratione coluisse; sed quia videbant Christianos hoc aversantes, ideò Persæ eò magis id urgebant, ut omnes recusantes neci traderentur, eodem modo quo à *Chaldæis* aliquando factum est *Danieli*. Christiani igitur (inquam) perperam existimabant (vel saltem prætendebant) Persas divino cultu adorâsse Solem, quem itaque cultum contempserunt & damnârunt; & vice versâ, Magi Christianorum aversionem percipientes, eò furiosiùs eos ad dictam superstitionem adigere tentabant, ut, hac ratione, Christianitatem relinquere cogerentur. Sed (ut verum fatear,) dicti Christiani, mihi videntur, suo humori & propriæ pertinaciæ plus quàm veræ conscientiæ litâsse, cum probè scirent, per totum Orientem (præsertim in Persiâ) morem esse, civilem cultum præstare adorando: sic fecerunt *Josephi* fratres (quamvis orthodoxi) in *Ægypto*. Imò & cùm Regibus non vacaret, (eisve absentibus,) eorum Statuis idem fieri solebat. Talia voluit Ουαρδάνης *Vardanes*, is erat *Bardanes* in *Parthorum* dynastiâ, seu potiùs Ουαραράνης *Vararanes*,) ut meminit *Philostratus* in *Vitâ Apoll.* lib. 1. cap. 19; scil. *Quando Apollonius Tyaneus Babylonem ingrederetur, Satrapa portæ Custos, Regis Statuam auream illi obtulit; quam nisi quis procidens adorâsset, civitatem intrare ei non permittebatur.* Hoc (inquit *Philostratus*) à *Barbaris* exigebant, non autem à *Romanorum Legatis*. Dicta reverentia prostrationis fiebat etiam non tantùm *Regibus*, sed & *Magnatibus*, ut in dicto exemplo *Josephi*, & in Persiâ *Hamano* & *Mordecai*: sic in Libro *Esteræ*, Regis *Ahasueri* servi id faciebant *Hamano* כורעים ומשתחוים *incurvantes & prosternentes se.* Ideóque cùm Persæ talia, de more, præstare solebant hominibus, si haud minorem honorem & reverentiam præstiterint Igni & Mithræ, non sunt, in hac parte, adeò multùm culpandi, nec de Idololatriâ accusandi.

Curtius, cum ipse esset *Idololatra*, nimis temerè facit idem falsum judicium de *Persis*, p. 49. malè eis tribuendo invocationem *Planetarum*,

rum, quod Perſæ nunquam fecerunt, cùm nunquam putarent eos fuiſſe deos qui preces exaudirent. Ille quidem ſuo modo narrat, *Quod Darius pugnam cum Alexandro commiſſurus, Solem & Martem ſacrúmque & æternum invocabat Ignem.* Nempe talia quæ Græci & Romani ipſi faciebant, eadem non dubitavit impingere Perſis. Quid autem Perſæ reverà præſtiterint *Mithræ*, quantum poſſumus colligere, ſub finem hujus Capitis videbitur.

Non autem de Perſis credenda ſunt, nec eis tribuenda, ea quæ *Græci* & *Romani* ſuperſtitiosè fecerunt poſterioribus temporibus, Mithræ cultum, qui apud Perſas erat tantùm civilis, in uſum Idololatricum atque in abuſum trahentes. Hæc enim, quæ mox tradituri ſumus, non ad antiquiſſima tempora, nec ad *Perſas* pertinuiſſe cenſeantur; ſed tantùm ad *Græcos* & *Romanos*, qui *Mithriacorum* uſum, ad ſe derivatum, planè mutârunt & perverterunt, & res falſas de Perſis retulerunt. Dicente igitur *Suidâ*, multa faciebant Sacrificia: & ut *Mithriacorum* Sacrorum *digni* fierent *diſcipuli*, ſponte multa patiebantur tormenta: Μίθραν νομίζεσι εἶναι τὸν Ηλιον· καὶ τέτῳ θύεσι πολλὰς Θυσίας. Ουκ ἄν ἕν εἰς αὐτὸν διωήσαιτό τις τελεθῆναι, εἰ μὴ διά τινῶν βαθμῶν παρελθῶν πολάσεων, δείξει ἑαυτὸν ὅσιον καὶ ἀπαθῆ. *Perſæ Solem cenſent eſſe Mithram, cui ſacrificant multa ſacrificia. Non autem poteſt quis initiari, niſi per aliquot Tormentorum gradus perveniens, oſtenderit ſeipſum Sanctum & Apathiæ aſſuetum. Greg. Naz.* in Orat. 3, meminit *Cruciatuum & uſtionum quæ in Mithræ Sacris:* & iterum deſcribens crudeliſſimos cruciatus *Marci Arethuſii*, ait, *Raptabatur per plateas, protrudebatur per cloácas, crinibus & aliâ quâvis corporis parte (admiſtâ tormento contumeliâ) ab his trahebatur.* Hæc tormentorum genera à quibuſdam dicuntur VIII, ab aliis LXXX, quæ omnia patienter tuliſſe oportebat, ut hoc modo cultor humilis & diſcipulus moriger evaderet. Ex his erant, fodere ad extremam laſſitudinem, in ignem ſe conjicere, & diu jejunare, & ſimilia. Hæc ſunt *Romanorum Inventa:* nam Perſis jejunium religioſum eſt prorſus prohibitum inter *Zoroaſtris* Præcepta; nec in ignem ſpirare permittitur, & multò minùs ut quis ſe inibi volvat. Græci autem & Romani Mithræ cultum & nomen (ut dictum) à Perſis mutuantes, (eundem verò immutantes, ſeu minùs benè imitantes,) humana ei Sacrificia obtulerunt: ſic *Photius* in *Vitâ Athanaſii* p. 1446, Εν Αλεξανδρείᾳ ναὸν Ελληνικὸν, ἐν ᾧ, τὸ παλαίον, οἱ Ελληνες τελετὰς ἐτέλεν τῷ Μίθρᾳ, θύοντές τε ἄνδρας καὶ παῖδας καὶ γυναῖκας, τοῖς πλάγχνοις μαντεύόμενοι. Sic Romani erexerunt Mithræ Aras, cum Inſcriptionibus, ſeu Titulis, quæ apud D. *Sponium* & alios leguntur,

DEO

DEO SOLI INVICTO MITHRÆ.

&

SOLI INVICTO MITHRÆ.

&

NVMINI INVICTO SOLI MITHRÆ
ARA.

&

SANCTISSIMO SOLI, &c.

Et ſuum, in hac parte, zelum commonſtrans, *Neroni* adblanditus *Tiridates, Eum perinde ac Mithram ſe adoraturum pronuntiavit. Lampridius* in *Commodo*, docet iſtum Imperatorem inter reliquum ſuum cultum promiſcuum, *Sacra Mithriaca homicidio vero polluiſſe, cùm illic, aliquid ad ſpeciem timoris, vel dici, vel fingi, ſoleat.* Hæc dicuntur de minitante Sacerdote, & de Milite eligente mortem præ coronâ. Nam *Lampridii* verbis (inquit *de la Cerda*) ſatis innuitur à Milite eligi cædem præ coronâ; non quaſi occidendus eſſet mortem eligens, quia minæ illæ erant tantùm ad ſpeciem. Sed ea fuit *Commodi* improbitas, ut ita polluerit Sacra illa homicidio vero. Et ſciendum, initiatos Mithræ Sacris, varia tormenta paſſos; ut hinc eludi poſſint quæ *Lampridius* de timore, tantùm ad ſpeciem, ſcribit. Eorum *Milites Mithræ* videntur vocari *Leones Mithræ*: ſic Tertul. *Aridæ & ardentis naturæ ſacrificia Leones Mithræ philoſophantur.* Aliàs autem, *Leo Mithriacus* pingitur ut *Leo vorans apem*, ut inter annexos Iconiſmos cernitur. De initiatione Militis Mithriaci, *Tertul. in Præſcrip. Hæret.* de Diabolo dicit, *Et ſub gladio redimit coronam:* ſic nempe in deteriorem ſenſum trahit. Quomodo autem Diſcipulos ſuos (quos Milites vocabant) initiare ſolebant, alibi magis particulariter docet idem *Tertullianus, Cùm Mithræ Miles initiatur in Spelæo, (in caſtris verè tenebrarum,) Coronam, interpoſito Gladio, ſibi oblatam, (quaſi mimus Martyrii,) dehinc capiti ſuo accommodatam, monetur obviâ manu à capite pellere, in humerum, ſi fortè, transferre; dicens Mithram eſſe coronam ſuam. Atque*

pag. 111.

SACERD. DEI SOLIS ELAGAB.
pag. 114.

LEO MITHRIACUS.

Búdum.

Ghàs.

Boghàs. pag. 131.

Reverendo Viro JOHANNI COVEL S.T.D.ri Colleg: Christi Cantabr. Magistro dignissimo, (qui huic Operi promovendo liberalem manum porrexit,) ex antiquarum Gemmarum sculpturis desumptos hosce Iconismos Mithræ seu Solis in Tauro secundùm Mithriacos, cum aliis Symbolicis, Gratitudinis ergô lubens meritóq; D.D.D. Autor T.H.

Delin. M. Burghers sculp.

que exinde nunquam coronatur; idque in ſignum habet ad probationem ſuî, ſicuti tentatus fuerit de Sacramento: ſtatimque creditur Mithræ Miles, ſi dejecerit Coronam, ſi eam in deo ſuo eſſe dixerit. Talis *Miles* ſuæ etiam militiæ externum aliquod Signum gerebat, ut in eodem Libro *Tert.* notat his verbis, *Si adhuc memini, Mithra ſignat illic in frontibus Milites ſuos: celebrat & Panis oblationem, & imaginem Reſurrectionis inducit, & ſub gladio redimit Coronam. Quid? quod & Summum Pontificem unis nuptiis ſtatuit? Habet & Virgines, habet & Continentes.* De Tinctione, de Oblatione Panis, & de Imagine Reſurrectionis, videatur Doctiſſ. *de la Cerda* ad ea *Tertulliani* loca, ubi de hiſce rebus agitur. Gentiles *citra* Chriſtum talia celebrabant Mithriaca, quæ videbantur cum doctrinâ *Euchariſtiæ* & *Reſurrectionis* & aliis Ritibus Chriſtianis convenire, quæ fecerunt ex induſtriâ ad imitationem Chriſtianiſmi: unde *Tert.* & Patres ajunt eos talia feciſſe, duce Diabolo, qui vult eſſe *ſimia* Chriſti, &c. Volunt itaque eos res ſuas ita comparâſſe, *ut Mithræ myſteria eſſent Euchariſtiæ Chriſtianæ imago.* Sic *Juſt. Martyr* p. 98, & *Tertullianus* & *Chryſoſtomus.* In ſuis etiam Sacris habebant Mithriaci *Lavacra (quaſi Regenerationis) in quibus tingit & ipſe* (ſc. Sacerdos) *quoſdam, utique credentes & fideles ſuos, & expiatoria delictorum de Lavacro repromittit, & ſic adhuc initiat Mithræ.* De hoc in *Juſt. Mart.* & *Chryſoſtomo* legitur, *Hi ergò per ſingulos annos, poſt meſſem trituratoriam, aſcendebant in montem aliquem qui vocatur linguâ eorum* Mons Victorialis, *(habens ibi in ſe quandam ſpeluncam in Saxo,) fontibus & electis arboribus amæniſſimus; in quem aſcendentes & lavantes ſe offerebant, & orabant in ſilentio Deum tribus diebus.*

Mithræ Figuræ, quas exhibemus, videntur eſſe tales quas *mathematicè* effinxerat olim *Zoroaſtres*, quæ non fuerunt cultûs ergò, ſed ut per eas philoſophicè & myſticè repræſentaretur Syſtema hujus Mundi. Ab illis itaque haſce figuras nacti *Romani* & *Græci*, eaſdem in Lapidibus ſculpi curârunt, quæ repertæ fuerunt Romæ, unde noſtrates eas habuerunt. Hunc noſtrum Iconiſmum ſpectavit *Statius* in Verſu, —— *torquentem cornua Mithræ.* In hunc locum cæſpitans *Cælius Rhodiginus*, refert, *Quòd Mithræ ſimulachrum Leonis rictum præ ſe ferebat, cum Tiarâ, utrâque manu bubula premens cornua, qui Bos mox immolandus.* De Lunâ hoc exponit *Lactantius Placiades* ad *Statium.* Hiſce interpretationibus ſeductus fuit *Marius in Scholiis ad* D. *Hieronymi Epiſt. ad Lætam*, ubi de Specu Mithræ agitur. De Leonis rictu & de Bove immolando fallitur *Rhodiginus:* quiſque enim novit

quòd

quòd *Mithræ* (ſec. Græcos) immolabant *Equum*, *Jovi Taurum*, &c. Datur tamen unum irregulare exemplum, τῦ βȣθυτεῖν ἐπὶ τὸν Βωμὸν τῦ Ηλίȣ; ut & erat eodem tempore, *Ageſilai* dextram in ignem injectam comburendo abſumpſiſſe; ut *Stobæus* p. 9, ex *Agathyrſide Samio* de rebus Perſicis. Nam *Ageſilaus*, Græcorum Explorator, cùm *Mardonem*, loco *Xerxis*, interfeciſſet, à *Perſis* comprehenſus eſt: & *Xerxes*, tunc Bovem ſuper Aram immolaturus, *Ageſilai* dextram injecit; quo facto, is ſponte obtulit ſiniſtram, quam recuſavit Rex, ejus fortitudine in tolerando deterritus.

In ſupradictâ D. *Hieronymi* Epiſtolâ hæc verba leguntur, *Gracchus — cùm Præfecturam gereret urbanam, nonne Specum Mithræ & omnia portentoſa ſimulachra ſubvertit?* Qualia autem erant hæc portentoſa ſimulachra, haud poteſt meliùs ſciri quam ex talium Typo apud D. *Leonhardum Auguſtinum*, in *Antiquarum Gemmarum ſculpturis* ab eo diligentiſſime expreſſis. Et ibidem Vir Doctiſſ. D. *Jacobus Gronovius* tres ejuſmodi Icones præmiſit, prout dedimus. Hæ erant ex Mithræ Figuris apud Romanos, de quibus Annotator ibi dicit, quòd Romæ, diverſis in locis, reperiuntur Tabulæ marmoreæ antiquæ, cum inſculpto *Deo Mithrâ Perſarum*, in habitu ferientis proſtratum Taurum, per quod allegoricè innuitur *virtus Solis ſuper terram, & fœcunditas univerſæ naturæ*. De his ibi videas plura p. 53. D. *Hieronymus* per *portentoſa ſimulachra* videtur intelligere Solem in XII Signis ſecundùm ſingula *Dodecatemoria*, quæ (inquam) videntur fuiſſe ex ſupellectili Antri Mithriaci. In iſtis itaque Figuris quas appoſuimus, viſitur *Mithra*, ſeu *Sol*, figurâ humanâ *Regis Perſici*, qui ſubigit Taurum eumque calcat necátque, qui pedeſtris id facit, ferè ut ſolebant *Græci* Equeſtres in Ταυροκαθαψίων ἡμέρα. *Sol* in hoc verno Signo poſitus, ibi ſedet Mundum inferiorem regens & calore ſuo fovens ac fertilizans eundem; appictis etiam Animalculorum *Aſteriſmis* in eodem *Dodecatemorio*, cum aliis rebus Symbolicis ad cœleſtem apparatum ſpectantibus. Hoc autem Signum præ aliis exprimere & ſculpere amabant, quia ſequentis anni ubertatem promittere videbatur. His enim inſinuatur, quòd provecto Vere, cùm Sol eſt in Tauro, omnia florere & vernare cernantur; unde (poſito boni ominis Emblemate,) fertilitas & uberrimus terræ proventus ſperetur. Tunc enim, ineunte Vere, à Sole fit terræ Imprægnatio in totius anni ſequelam benefica, quando moventur Sales, omnis vegetationis principia, quæ omnium rerum ubertatem procurare ſolent. Sol autem (qui homine Rege repræſentatur,) jam Tauri Signum ſupergreſſurus, Taurum ponè

ſe

TAB. II.

Sol in Tauro *sec. vulgus in Oriente, ex nummis Mogulensibus.*

MB. d. et sculp.

Darius jaculaturus, *prout in nummo* Darico *cernitur.*

Togrulbegh. *p. 210.*

Sagittarius Persicus. p. 311.

Reverendo Viro CAROLO RODERICK, *S.T.D.^ti Coll. Regis Cantabr. Præposito dign. et Eccl. Cath.* Elien*sis Præbendario, Gratitudinis ergô lubens meritóq.* DDD *Auto*

ſe ſemi-mortuum relicturus, ad reliquam Signorum conſequentiam quaſi alatus properat, omnia Signa peragrare & Duodecim Laborum ſuorum opus penitus abſolvere geſtiens. In ſuperiorem ſenſum *Macrobius, pag.* 73, *Vernum tempus jam obtinet, cùm, dicente Virgilio,*

Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus. ——

Tunc ſcilicet (ut idem monet *Macrobius,*) *Tauro geſtante Solem.* Sic nempe, pinguntur Signa: adeò ut in dicto Iconiſmo exhibeatur *Sol in Signo Tauri* Perſarum more deſignatus. Sic etiam in nummis *Magni Mogul* Imp. Indiæ exhibetur *Corpus Solare* ſuper dorſo Tauri, aut Leonis, qui illud eodem modo geſtat. Nam Sol videtur portari & circumduci ſuper XII *Zodiacalia* ſymbola, dum ſingula *Dodecatemoria* percurrit. In omnibus enim Cœleſtium Signorum nominibus ſymbolicis, Agriculturam ejuſque utilitatem præcipuè ſpectabant tam *Chaldæi*, quàm *Ægyptii* & *Perſæ veteres*, ut ſuis locis fuſiùs docebitur. Et inde veterum Perſarum Reges (ut monetur in Libro *Mu'gjizat,*) ut Agriculturam promoverent, ſolebant ſemel ſingulis annis deſcendere in familiare colloquium cum Agricolis & Colonis, hortando ut alacriter procederent, & agnoſcendo ſe non poſſe carere illis, nec poſſe vivere ſine fructibus agri, cum ejuſmodi aliis multis. Et tale quid faciebant veteres Reges *Chinæ*, ut ſuo loco dicetur, ubi de *Anno Sinico* agetur. Quid ibi faciunt moderni reges *Tatarici*, non ſcio.

Macrobius docet quomodo pleræque Ειδωλολατρίας formæ referri poſſint ad Solem, eúmque quodammodo repræſentent. Sed hoc ad noſtrum ſcopum non eſt: videant alii. Aliqui ex Solis cultoribus (ut refert *Max. Tyrius Orat.* XXXVIII,) Solem repræſentabant *parvo Diſco* Longurioni impoſito. *Palmyreni* adhibebant *Caput radiatum:* alii *Corpus radiatum* rotundum. Apud *Emiſſenos* (dicente *Herodiano*) Solis ſimulachrum erat *grande ſaxum* conicum nigrum, quod jactabant à cœlo fuiſſe delapſum.

In *Chronico Alexandrino* p. 26, legitur, *Romulus — equeſtre certamen, ſeu Circenſia in Urbe inſtituit* Ηλίῳ *Soli, ſubjectis ei quatuor Elementis, ratus, eâ de cauſâ,* ὅτι Δι᾽ τοῦτο, εὐτύχως φέρονται οἱ τῶν Περσῶν Βασιλεῖς εἰς τὸς πολέμους, *utpote qui quatuor Elementa venerarentur. Romæ enim ante eum diem nullus honor & feſta dies nulla.—Oenomâus verò Rex Piſæ, ad Europæ partes, certamen peregit menſe* Σύρῳ, *ſeu Martio, die* XXV, *in Solis, ut Titanis excelſi cultum; certantibus* (inquit) *Terrâ & Mari cæteriſque Soli ſubjectis Elementis.*

Solem colebant *Julianus* & plerique Imperatores Romani: & (devictâ *Zenobiâ Palmyrenorum* reginâ,) Solis ſimulachrum Romam *Palmyrâ* advexit *Aurelianus Imp.* de quo *Zoſimus lib.* I. Et dicente *Herodiano*, iſte *Imp.* idem Solis ſimulachrum Romæ erexit, & Templum ei ædificavit egregiis donariis exornatum, inter quæ *Solis* & *Beli* ſimulachra infra memorata. Soli etiam conſecrabant Sacerdotes, inter quos erat *Balbillus*, atque *Elagabalus* qui gente *Syrus*, ſeu *Phœnix*. Ejus Icon quam exhibuimus, extat apud *Hemmelarium*, cum ſubſcriptione,

SACERDOS DEI SOLIS ELAGABALUS.

Qualia Sacra Soli peragebat, viſitur in ejus *Nummo*, in quo Ara cum ardente igne pro Sacrificiis, & Sacerdos cum Libatione & virente Herbâ in manu. Ibi enim ſtat, Sacrificantis ritu, togatus & velato capite, *Pateram* ſuper *Aram* effundens. Is (ut ſolebant) maximo honore duxit denominari à Deo ſuo, cùm nihil potuit eſſe honoratius, & (ut ego dicam) nihil arrogantius: nam idem *Herodianus* prodit, *Solem* à *Phœnicibus* cultum & dictum Ελαιαγάβαλον. Eodem etiam nomine *Sol* vocatus fuit apud *Romanos*, qui illud ex *Pæniſmo* mutuârunt. Sic autem dictus fuit per communem literarum metatheſin, pro עגול בעל *Agûl-Baal*, i. e. *deus rotundus*, ut D. *Seldenus (de diis Syris* p. 220, 221,) elicit ex antiquâ Inſcriptione p. 226, Αγλιβώλῳ καὶ Μαλαχ-βήλῳ πατρῴοις θεοῖς. Fortè meliùs legendum fuiſſet עגלי בעל *Aglibaal* Αγλιβήλῳ. Huic nomini quadrat Solis forma rotundâ: ſed & iſte Imperator dicitur coluiſſe Solem ſub forma Saxi ab imo rotundi & conici, quâ formâ (ut dictum) apud *Emiſſenos* cultus fuit. Is fortè ductus fuerit (ut & illi) ſententiâ *Anaxagoræ*, qui (ut habet *Plut. de Placitis Philoſophorum*,) exiſtimabat Solem eſſe rotundum aliquem Lapidem ignitum, talem qui Græcis Μύδρος. Ille etiam (dicente *Plinio lib.* I. *cap.* 58.) "fertur *cæleſtium literarum* ſcientiâ edoc-
"tus, prædixiſſe quibus diebus dictum Saxum à Sole eſſet caſurum:
"idque interdiu in *Thraciæ* parte ad *Ægos* flumen fuiſſe factum: quod
"quidem Saxum (inquit) etiam nunc oſtenditur magnitudine Vehis
"ſeu Plauſtri, aduſto colore." Eſt itaque *Elagabalus* (abjectâ terminatione *us*,) nil niſi עגלי בעל *Agli-bal*, ſeu *Egli-bal*, i. e. *deus rotundus*, uti eſt tam Sol quàm Cinctura ſeu Scapus Coni. Apud D. *Sponium* etiam p. 1, extat ſupradicta Inſcriptio, dupliciter *Græcis* atque *Palmyrenis* characteribus exarata, ſub pedibus dictarum deitatum, quarum ibi cernuntur Imagines in eodem marmore. Cùm itaque *Solis*

&

TAB. III.

Aglibaal et Malachbaal.

pag. 114.

M.B. d. et f.



Μὸδ ϛος qui à Sole cecidit.

Sol idæus.



Sol sub formâ Disci longurioni impositus.

everendo Viro ROBERTO HUNTINGTON, S.T.Dr Coll. SS Trinitatis apud Dublin. quondam Præposito
huncce Tabulam Gratitudinis ergô lubens meritóq; D.D.D. Autor T.H.

& Beli ſimulachra vocet ea *Herodianus* in *Macrino*, planum eſt illam dicti Monumenti dedicationem fuiſſe factam Imperatori *Elagabalo*, à Sole (vel à Saxo) denominato *Egli-Baal*, atque *Jovi*, ſeu *Belo*, qui dictus eſt *Malach-baal*, ſeu *Rex Baal:* nam apud Ethnicos *Planetæ* omnes *Regum* epitheto ſemper gaudebant. Quivis itaque *Planeta* vocabatur *Rex*, atque etiam *Baal*, i. e. *Dominus*, ſeu *Numen:* & ſic quodvis *Numen* Idololatricum, ut *Vitulus* aureus. Talia autem omnia in plurali vocantur *Baalim*, i. e. *Domini*, *Numina*. Adeò ut, adulandi causâ, Imperator cum Jove junctus eſt, quaſi Imperium cum eo æqualiter diviſum habuerit, ut voluit Poëta,

Nocte pluit totâ, redeunt Spectacula mane:
Diviſum Imperium cum Jove Cæſar habet.

Alii paulò aliter de illo Nomine ſentiunt. Vide *Caſaubonum* ad *Lampridium*.

Cananitæ Solis cultores, (ut quovis modo opitularentur Deo ſuo & ſe officioſos oſtenderent,) prætendentes quaſi vellent juvare Solem in curſu ſuo, ei dedicabant qui (2 *Reg.* XXIII.) vocantur סוסים השמש *Equi Solis*, & מרכבות השמש *Currus Solis*, ex metallo fuſi & Soli dedicati. Dicti *Equi* ſubinde ut *Gryphes* fingebantur, ut videre eſt apud D. *Sponium* & alibi.

Quod verò ad præſentem ſcopum pertinere cenſeatur, miraculoſum illud, tempore *Joſuæ*, Solſtitium (ſeu potiùs *Solis Regreſſio*,) non erat ignotum Mithræ celebratoribus *Magis*, qui Solis in *Achazi* Horologio retrogradi Memorialia retinent, ſi fides *Dionyſio Areopagitæ Epiſt.* VII, (ſeu potiùs *Apollinari juniori*, qui putatur Librorum qui *Dionyſio* tribuuntur *verus Autor:*) apud eum τριπλάσιος *triplo major*, ſeu *extenſior*, dicitur *tunc Mithra*, propter talis Diei extenſionem, his verbis, τῦτο τᾶις Πέρσων ἱερατικᾶις φήμαις, ἢ εἰσέτι Μάγοι τὰ Μνημόσυνα τῦ τριπλασίυ Μίθρα τελῶσιν. Ad hunc locum *Georgius Pachymerius*, Πέρσαι τὸ παρέκταμα τ ἡμέρας ἐκείνης διὰ τ τελετῆς τῶν Μνημοσύνων τῦ τριπλασίυ σημαίνεσιν.

Per *Mithriaca*, intelligimus, vel Mithriacas figuras ſymbolicas, vel Mithriacos ritus & cæremonias. Quoad Ritus, eorum origo referenda eſt ad remotiſſimam antiquitatem. Hi omnes peragebantur in aprico *ſub dio*, ut hodiè fit. At cùm *Zoroaſtres*, præcipuus Religionis Antiſtes & Reformator, in *Antro* vixerat, ibi Deum adorans, alii poſteà ejus exemplo ducti, idem fecerunt, & ſolenne eſſe juſſerunt, & *Antrum Mithriacum* etiam parârunt. Originitùs itaque univerſus eo-

rum cultus fiebat abſque Templis; cùm crederent Deum qui totum Mundum implet, intra nullius Templi parietes comprehendi poſſe, ut de eis notat *Cicero*. Idem itaque in hac parte ſentiebant cum *Salomono*, qui dixit Deo, *Qualem Domum ædificabo Tibi quem cœli cœlorum non continent?* Hoc Perſarum tunc de Deo orthodoxam opinionem monſtrat, & à Mithræ, aut cujuſvis alîus Numinis, *cultu divino* præcavet, eóſque à quâvis Idololatricâ adoratione vindicat atque abſolvit.

Quoad *Mithriacas figuras*, de his optimè agit *Porphyrius* in *Libro de Nympharum Antro*, ubi exponit qualia erant *Mithriaca* à *Zoroaſtre* excogitata & effiƈta, quæ ibi ut monumenta *Philoſophica* & *Aſtronomica* ſervabantur, non autem religiosè colebantur, quippe quod non ferebant Perſarum Principia. *Porphyrius* quidem, ex ſuâ & Græcorum ſententiâ, vocat *Mithram omnium patrem, eúmque Mundum condidiſſe inſinuat. Perſæ* autem (ut ſuprà) *Mithram* eſſe Creaturam, & Mundum à Deo Omnip. conditum credunt. Sic itaque ſe habet locus, *Eodem modo Perſæ animarum in inferiora κάθοδον Deſcenſum, & deinde ἔξοδον Regreſſum, myſticè ſignificantes, Myſtem initiant,* Σπήλαιον τόπον *Spelæum locum nominantes. Nam referente Eubulo, Zoroaſtres, primus omnium, in montibus Perſidi vicinis Antrum nativum, floridum, fontibúſque irriguum, in honorem Creatoris, & omnium Patris Mithræ, conſecravit: ita ut Antrum conditi à Mithrâ Mundi figuram ei repræſentaret: ea verò quæ intra Antrum erant certis invicem intervallis diſpoſita, ut Elementorum Climatumque mundanorum ſymbola ſeu figuras gererent. Dein poſt Zoroaſtrem, apud alios quoque obtinuit, ut in Antris atque Specubus, ſive nativis, ſive manufaƈtis,* τὰς τελετὰς ἀποδιδόναι *Præſtationes ſacras peragerent. Nam ut Diis cœleſtibus Templa & Delubra atque Altaria ponebant, Terreſtribus verò & Heröibus Aras, Subterraneis autem Scrobes &* μέγαρα *Ædiculas, ita Mundo Antra & ſpecus; itidem & Nymphis, ob aquas in Antris diſtillantes & ſcaturientes, quibus Naides Nymphæ (ut mox dicemus) præſunt. Nec Mundi tantùm (ut diximus) geniti ſcil. ac ſenſibilis Symbolum faciebant Antrum, ſed pro omnium quoque inviſibilium virtutum Symbolo idem accipiebant: quòd Antra quidem obſcura; virtutum verò illarum eſſentia incognita ſit. Hinc & Saturnus in ipſo Oceano Antrum extruxit, & Liberos ſuos in eo abſcondit: ſic & Ceres Proſerpinam in Antro cum Nymphis educabat. Aliaque multa hujus generis, Theologorum Scripta pervolvendo, aliquis inveniet. — Et ab hiſce quoque (ut opinor) Pythagorei, & poſt ipſos Plato, ſumptâ occaſione, Antrum atque Specum Mundum vocârunt, — Et apud*

Plato-

Platonem libro VII de Republicâ, dicitur, "*Ecce enim homines tanquam* "*in ſubterraneo Antro & in habitaculo ſimili Speluncæ, cujus ingreſſus* "*verſus lucem latè per totum Antrum patet.* — *Nam habitaculum hoc* "*quod oculis uſurpamus, Carceris habitaculo aſſimulandum: ignis autem* "*Lumen in eâ relucens, Virtuti Solari.*" *Quòd igitur Theologi Antra Mundi virtutúmque mundanarum Symbolum poſuerint, ex hiſce manifeſtè perſpicitur.*

Hoc modo vides qualia erant Perſarum *Mithriaca* in Antro ſervata. Falsò itaque eis impingitur quaſi Mithram coluerint in Antro, loco ad hoc planè incommodo & inepto; cùm reverà Mithram non colerent, ſed tantùm Deum ibi colebant, (ut de antiquiſſimo Rege *Kejomáras* ſuprà notavimus,) ad eum precando, & meditando in *Zoroaſtris* illam *cæleſtem* & *terreſtrem* compagem ac ſtructuram, in quâ *cæleſtia Signa* & *terreſtria Climata* erant in eo Antro mathematicè comparata, ut ea eſſent ingenioſa aliqua Mundi repræſentatio per ſymbolicas figuras facta. Sed cavendum eſt ab iis quorum mos eſt quaſvis cæremonias civiles & meram talium rerum cuſtodiam vocare *Cultum*, quem divinum eſſe inſinuant; cùm reverà talis non fuerit.

In ſingulis illis *Iconiſmis*, ter viſitur *Mithra* ſeu *Sol*, ſc. *ſuprà* ubi *Taurum jugulat* ſuperatque, & (quaſi interpoſito Tauro non luceret,) *infrá* interim (tanquam per faces) utrinque *Mundo lucem ſuppeditare* videtur. *Mithra* ibi eſt in figurâ Regis Perſici, uti conſtat ex *Tiarâ directâ* & *Stolâ*, quæ ſolis Regibus competunt. *Stola Arabicè* dicitur حلة *Hilla* ſeu *Hulla*, ſi modò duplicata ſit; ſi autem ſimplex, tum *Arabicè* رداء *Ridâ*, quæ in Libro *Turgjemân Turcico-Perſicè* explicatur, طاش طون يعنى چار *Ridâ eſt gemmata veſtis, ſcil. Tchâr.* Talis Perſica *Stola Curtio* Latinè dicitur *Palla*, quæ (ſi ſit Latinæ originis,) ferè conſonat cum *Perſicâ* voce بالا *Bâlâ*, vulgo *Pâlâ*, i. e. *ſuperior*, cùm بالاپوش *Balâ-pûſh* ſit *ſuperior veſtis* (qualis erat *Stola*) ex panno aureo, gemmis plumata & animalium figuris intertexta. Erátque *Palla* tam virilis quàm muliebris.

In militaribus Perſarum Proceſſionibus, Solis imágo ſimul portari ſolebat, & non procedebant niſi orto Sole, ut ei priùs debitum reſpectum ſolverent, utpote cujus favorabilem aſpectum eis prodeſſe poſſe exiſtimabant. Sic apud *Curtium* in *Darii* Proceſſione, *Orto Sole procedunt: & ſuper Regis Tabernaculo (unde ab omnibus conſpici poſſet,) Imago Solis chryſtallo incluſa fulgebat. Ignis argenteis Altaribus præferebatur. Magi proximi patrium carmen canebant. Magos* CCCLXV *Juvenes ſequebantur puniceis Amiculis velati, ad numerum Dierum Anni*,

ni. Currum Jovi ſacrum albentes vehebant Equi: hos eximiæ magnitudinis Equus, quem Solis appellabant, ſequebatur. Aureæ Virgæ & albæ Veſtes regentes Equos adornabant. Et mox addit, *Regius Currus — cujus utrumque latus deorum Simulacha ex auro argentóque expreſſa decorabant: diſtinguebant intervenientes Gemmæ Jugum, ex quo eminebant duo aurea Simulachra cubitalia, quorum alterum in alterum belli gerebat effigiem,* ſcil. inter *Darium* & *Alexandrum* faciendi. Hæc omnia Simulachra neceſſariò fuerint ornatûs, non autem divini cultûs ergò; cùm ab Imaginibus colendis abhorrerent. Nec tunc habebant aliquid *Carmine* ſcriptum, ut ille falsò dicit.

Apud Perſas non erat *Mithræ* cultus aliquis divinus, ſed tantùm civilis & cæremonialis, ſcil. *Proſtrationes*, & *Salutationes*; &, ut quidam volunt, *Suffitus:* qui tamen plerumque Deo fiebant in Pyréis, ut ſuprà ex *Erdavirâph-nâma* notavimus. Græci his dictis addunt *Libationes*, & *Sacrificia.* Sed quicquid *Deo* fecerint, Græci volunt eos id feciſſe *Soli*, eorum actiones perperam interpretando. Sic *Xen.* Τῷ ἡλίῳ ὁλοκαύτωσαν τὰς ἵππους: imò & *Tauros*, ut ſuprà de *Xerxe* diximus. Ea autem Sacrificia non *Soli*, ſed *Deo* fiebant. Sic in religiosâ Proceſſione *Perſepolitanâ* eſt grande aliquod Sacrificium Deo faciendum, ubi viſuntur multi Boum pares alternatim procedentes: nulla autem *Solis Icon* ejuſve portatio ibi viſitur. In ſacrum uſum alebantur generoſiores Equi qui pompâ ducebantur, *ut Strabo, In Xerxis exercitu poſt* CCIↃↃ *militum cohortem, ſequebantur* X *Equi Niſæi grandes pulchrè ornati: & poſt hos, Currus Jovis ſacer albis Equis tractus; ponè Auriga: deinde Rex ipſe in ſuo curru.* Optimi Equi erant in *Mediæ* regione ﻧﺴﺎ *Neſâ*, ubi erat peramplus *Campus Niſæus*, (cujus meminit *Herod.* p. 155,) ubi tales Equi paſcebantur herbâ quæ inde ad nos transplantata, uſque hodiè à *Botaniſtis Europæis* vocatur *Medica*, ſeu *Pabulum Medicum.* †

In ſupradictâ Proceſſione viſuntur Homines binatim portantes *Libationes* in parvis patinis. Si Vinum libabant, erat (inquit *Athenæus*) in Paterâ magnâ dictâ *Condy*, continente X Heminas: nam oportebat eam fuiſſe magnam, tam ut eſſet Oblatio digna, quàm ut eſſet hominibus grata: talia enim ab aſtantibus conſumebantur. Aliàs ex *Phialâ aureâ* libabant, ut in ſeqq. dicetur. Hæc autem Deo fiebant, non Soli, ut putarunt Græci. Libri *Ph. Gj.* autor (ut ſuprà p. 99,) memorat VII antiqua Templa, in quibus (inquit) *Suffitus* offerebatur

† De cujus nominibus Orientalibus vide Append. noſtram No. IV.

VII

VII Planetis. Sed cùm is fuerit *Mohammedanus*, ejus fidem in hac parte ſuſpicor, cùm planum ſit, illa Templa non fuiſſe dedicata Planetis: & cùm præterea certum ſit, quòd quicquid fiebat Planetis, factum fuit ſub dio; & quicquid fiebat in Templis, factum fuit Deo. Ideóque ego (cum *Briſſonio*) ſuſpicor, an Perſæ unquam ſtellis incenſerunt *Suffitum*, quod erat pejorum *Sabaitarum* proprium. Sed è contrà, *Suffitum* in Pyreis Deo factum fuiſſe benè ſcio. Græci his dictis addunt *Libationes* & *Sacrificia* Soli: ſed ego diffiteor, donec à Scriptoribus Perſicis hoc edoctus fuero. Quòd *Libationes* & *Sacrificia* fecerint Deo, ſatis conſtat, tam aliunde, quàm ex Sacrâ Proceſſione apud *Perſepolim*.

Herodotus pro more dicit, quòd *Xerxes* εὔχετο πρὸς ἥλιον: quod tamen nunquam factum fuit. Sed cùm ad Deum oraret, Græci putarunt id factum fuiſſe ad Solem; planè ignorando quòd Perſæ Deum Omnipotentem colebant in aprico coram Sole. Id autem quod reverà Soli faciebant Perſæ, erat tantùm مهر نیایش *Mihr-niyâiſh*, i. e. *Mithræ celebratio*, ſeu *Laudatio*, ſive *Salutatio*, quæ incipiebat in nomine Dei, & ad eum dirigebatur, agendo Gratias pro beneficio Solis, qui glorioſo lumine Orbem illuſtrat, & totam Creationem calore ſuo fovet recreátque, &c.—Et talis eſt eorum ماه نیایش *Lunæ Salutatio*, & بهرام نیایش *Martis Salutatio*, atque deinceps cæterorum Planetarum, Deo gratias agendo propter talia Luminaria, quæ noctis obſcuritatem illuſtrant, &c. Id quod *Soli* fit, eſt Sacrum quotidianum: nam inter *Zoroaſtris Præcepta* in Libro *Sad-der*, præſcribitur ter faciendum ſingulis diebus. Habebant autem (& hodie habent) ſemel in anno, (ſcil. in medio menſis *Mihr*) magnam per VI dies Feſtivitatem dictam *Mihragân*, i. e. τὰ Μιθριακὰ, ſeu *Mithralia*, quæ ſuo loco (ubi agitur de *Die Mihr* & de *Menſe Mihr*,) deſcribuntur: nolo heic repetere. Hoc tempus reſpiciens *Euſtathius* ad *Homerum*, ait quòd *erat certa Dies* καθ' ἣν τῷ Μίθρᾳ ἔθυον: *& quòd tunc Perſarum Regi licebat inebriari & Perſicum ſaltare*, quæ aliis temporibus illicita. Quod ille dicit ἔθυον, erat aliquas civiles cæremonias facere & lætitiam celebrare. Omnia quippe Feſta ſua (ut ex Libro *Ph. Gj.* conſtat,) celebrabant Solennioribus Precibus in Pyreis, quibus temporibus manè omnes ad Eccleſiam confluebant; & deinde poſt peractas preces, Comeſſationibus & Ludis & omnis generis Lætitiæ indulgebant, eodem modo quo apud Chriſtianos fit in diebus Feſtis. Sed in eorum Libris non inveni mentionem *Sacrificiorum*, ne quidem in Solenni illo Conventu MCCCC abhinc annis habito in tempore

pore *Ardiſhir Babecân*, quando de Religione conſulebatur; ubi tamen proculdubiò, florente tunc Imperio, nulla Solennia omittebantur. Si verò intra hoſce mille annos (ex quo diſſolutum fuit Imperium) apud paupertate & inopiâ preſſos, Sacrificia majora & ſumptuoſa fortè ceſſaverint, non equidem miror.

Quicquid igitur Soli fecerint, id tantùm (ut dictum) civiliter factum eſt; non credendo Solem eſſe Deum, nec petitiones ad eum dirigendo, (quod inculcare debemus,) cùm ſemper Deum Omnipotentem (eúmque ſolum) religioſe colerent. Quid autem cum Sole volunt, & an eum colent necne, docet ſupracitatus *Sanſonus* pag. 108, quem videas. Nam quamvis Soli, aut Planetis, aliquas cæremonias fecerint, interim tamen de Deo rectè ſenſerunt, ut docet *Dio Chryſoſtomus* in Oratione *Boryſthenicâ* XXXVI, his verbis, *Alius autem ſermo in reconditis myſteriis ab hominibus Magis ἄδεται canitur admirandus, qui Deum hunc laudibus celebrabant, ut perfectum, & primum aurigam perfectiſſimi currûs. Solis enim currum recentiorem eſſe ajunt, cum illo comparatum, ut qui appareat & vulgò, utpote curſum faciens manifeſtum. —— Fortem autem & perfectum Jovis Currum nemo laudibus extulit dignè hoc modo, neque* Homerus *neque* Heſiodus, *ſed* Zoroaſtres, *Magorúmque Diſcipuli canunt, ab illo edocti. —— Illi verò & alia juxta Sacros ſermones faciunt, atque etiam Jovi alunt Currum Neſæenſium Equorum, qui maximi pulcherrimique omnium qui ſunt in Aſiâ: Soli verò unum Equum. Interpretantur autem omnia Sermone: non quemadmodum apud nos Muſarum prophetæ, ſingula magnâ cum perſuaſione dicunt, ſed ex ſe valdè contumaciter. Eſſe enim dicunt univerſitatis rerum unam vectionem & aurigationem, à ſummâ quæ fiat experientiâ & robore ſemper, eámque inacceſſibilem in inacceſſibilibus ſeculi circuitibus. Solis autem & Lunæ curſus, veluti equorum, motus eſſe partium: unde & ab ipſis clariùs videri. Univerſi verò motum atque curſum haua multos intelligere, ſed illius certaminis ignorare magnitudinem. Quæ poſt hæc ſequuntur, erubeſco dicere de Equis deque Aurigatione, quomodo interpretantur; non admodùm curantes, ut ſibi uſquequaque Imago ſimilis fiat.* Quid deinde fabulentur Gentes de hiſce Equis, prolixè docet, & unus Veſtæ comparatus. *

Cùm autem Perſæ tam impenſè honorarent Solem, mirum eſt cur Magi Lunam ſibi præeſſe prætenderent, præſertim cùm Rex ipſe aliter crederet, donec audiret infallibiles Doctores & Ductores ſuos

* Qui plura cupit, Dionem adeat ipſum.

con-

contrarium affirmantes. Nam inopinatò ſuperveniente Solis Eclipſi (ut *Herod.* p. 454,) quâ *Xerxes* putabat affici *Perſas*, *Xerxi* reſpondebant *Magi*, Solem Græcorum, Lunam verò Perſarum eſſe προδέκτορα. Hoc ergò videtur à Magis dolosè dictum Xerxi, ut ei placerent avertendo omen & timorem inde exortum. Hinc conſtat eos non noviſſe calculationem Eclipſium, cùm tale quid non, prævisum, eos inopinatos invaderet. Si noviſſent ejuſdem cauſam eſſe naturalem, non erat opus ut Regi, malignum omen inde metuenti, doloſo reſponſo ſatisfacere ſatagerent.

Solis quidem Adoratio plus quàm civilis fuit ferè univerſalis: nam *Scythæ*, tam Occidentales, quàm Orientales, ſeu *Tatari* fecerunt. His *Sol* vocatur گونش *Ghiûneſh*, vel contractè گون *Ghiûn*; quo etiam notatur *Dies*, cùm ille ſit effectus hujus. Sic *Luna*, & *menſis* per eam metitus appellatur آي *âi*. Talis eſt lingua *Tatarorum* citra *Imaum*, ſc. *Turcica*. Ea autem ultra Imaum, eſt *Mogolo-Tatarica*, quâ *Sol* dicitur ناران *Náran*, & *Luna* atque *menſis* صرا *Sará*. Quàm autem longè latéque iſte Sabaiſmus, ſeu copiarum cœleſtium cultus fuit diffuſus, mirandum eſt; cùm ex probatis autoribus (ut alibi notavimus,) certum ſit, in *Peruviano* tractu ante *Hiſpanorum* adventum, fuiſſe Templa dicata Soli, & in eis Virgines, aliquando ducentas, perpetuæ caſtitati addictas; niſi fortè aliqua ex Sole conceperat, ut aſtuti Sacerdotes igna[illegible] populo perſuadebant: nam populi ſimplicitas & Sacerdotum aſtutia omni ævo omnique regione ſemper notabilis. Et quidem talis eorum cultus videtur, vel ex communi hominum conſenſu profectus, vel ex eorum commercio & converſatione cum aliis Gentibus, quorum hoc poſterius magis probabile, præſertim propter inſtitutionem Sacerdotiſſarum Virginum: nam non eſt dubium quin olim *Pœni* & *Cananæi* ad eos navigaverint, uti ex *Hannonis* Periplo & aliunde fecimus probabile in *Notis ad Itinera Mundi*. Prætereà in Bibliis Græcis legitur quòd *Salomon*, Tyriorum ope, accerſivit ſibi Aurum Φαρȣ̃ιμ, i. e. *Peruvianorum*, unde verior nominis פרוים punctatio colligitur.

Cap. V.

Peculiare Caput (per modum digreſſionis) in quo ſtrictim agitur de ſequioribus Sabaitis, ſeu Sabiis, ſc. de Sabaiſmo & Idololatriâ Gentilium nationum, quæ ſub influentiis Planetarum formabant Imagines adorandas; ut Lectori innoteſcat inter utrumque Sabiorum genus differentia.

DE Gentium cultu Solis, multa diximus in præcedente Capite: illuc itaque Lectorem remittimus. *Sabii* non ſunt *certa aliqua Gens*, ſed *certum Religionis genus*, ſc. eorum qui copias cœleſtes colunt, ut in ſuperioribus dictum, ubi egimus de ratione Nominis Sabiorum; quos etiam (ex *Shahriſtáni*) in duo genera diſtinximus, ſc. *in Sabios colentes Stellas*, & *in Sabios colentes Imagines*. Prioris generis (qui meliores) erant olim Perſæ, qui unà cum ſuo Sabaiſmo Deum ſolum divino cultu adorabant, Planetas autem & Elementa tantùm cultu civili, Iconolatriam repudiando. Poſterioris generis (qui pejores) erant aliæ Gentes, quæ poſthabendo & prorſus negligendo Deum, divino cultu colebant Angelos & Stellas atque Imagines ſub earum influentiâ formatas, cum Idololatriâ abſolutâ, eâque peſſimâ. *Arabum* de ratione Nominis (ſc. *à tranſeundo ab unâ religione ad aliam*,) ſententiam ſuprà expendimus & refutavimus: eam tamen heic rurſus propter adjunctam Sabaiſmi aliam Definitionem Perſicam, repetimus ex Libro *Pharh. Gj.* in voce *Nogûſhâ* atque ex Alcorani Interpretatione *Hoſeinææ*, صابيين كه از دينى بدينى گردانيدگانند يعنى از هر دينى چيزى اخذ كردند وملايكه مى پرستند وزبور مىخوانند وروى بكعبه نماز مى گذارند وگفته اند صابيان زداقه اند يا ستاره پرستان

Sabii ſunt qui ab unâ religione ad aliam convertuntur, i.e. ex quâvis religione aliquid arripiunt, & Angelos colunt, & Schedulas recitant, &, inter orandum, faciem Meccæ obvertunt. Sunt qui dicunt Sabios fuiſſe Saducæos, aut Aſtricolas. Iſti *Noguſhæi*, ſeu Sabii, aliter ibidem Perſicè fuſiùs deſcribuntur *Colere ſtellas & adorare Solem, eique preces fundere* VII *vicibus quotidie:* [alii dicunt III vicibus.] *Hujus religionis homines duas habere opiniones, quarum altera eſt, Deum Excelſum eſſe Creatorem Mundi: eum tamen præcepiſſe Servis ſuis ut magni faciant Stellas, & ut ad* دورانيات *Luminoſa corpora ſe convertant in Precibus.*

Altera

Altera opinio eſt, Deum Excelſum eſſe Creatorem Orbium cæleſtium & Angelorum & Stellarum; & quòd Stellas rerum inferiorum Gubernatores eſſe conſtituit, & quòd res Incolarum hujus Mundi quoad Bonum & Malum & Sanitatem & Ægritudinem, &c. totaliter ab eis dependeant: ideoque oportere homines magnifacere illas, quippe quæ ſint بزورگاران *Altores populi mundani & inferioris, & rerum eorundem Gubernatores. Et hanc fuiſſe opinionem Chaldæorum, de quâ Abraham cum eis diſputavit, eámque refutavit.* Addam, & Abrahamum contra Chaldæorum *Iconolatriam* æquè ac *Syderolatriam* diſputâſſe.

Calcaſhendi Ægyptius Arabicè ſcribens narrat, *Sabiorum præcipua Feſta eſſe illis diebus quibus contingit alicujus Planetæ Exaltatio: eſſe autem Saturni Exaltationem in XXI gradu Libræ, Jovis XXV Cancri, Martis XVIII Capricorni, Veneris XXIX Piſcium, Mercurii XXV Virginis, Solis XXIX Arietis, Lunæ III Tauri. Sed maximum omnium Feſtum, quo meliores veſtes induunt, eſſe ipſum Diem quo Sol Arietem ingreditur.* [Tum nempe erat initium Anni eorum.] *Eorum quoque Reges extruxiſſe* هياكل *Sacella, quibus appropriabant Feſta, pro ratione Stellarum quarum nominibus talia Sacella dedicata ſunt.* Scil. Feſtum Solis erat in Sacello Solis, Feſtum Martis in Sacello Martis, &c.

De hiſce hominibus ſcribit *Ecteri,* الصابيون يزعمون انهم على دين النوح ع م وقبلتهم على مهب الجنوب *Sabaitæ reputant ſe eſſe de Religione Noachi, cui pax: & eorum Kibla eſt plaga auſtralis:* ſcil. ut ſupra dicitur, convertunt ſe ad *Caabam*, i. e. auſtraliter. D. *Auguſtinus* de ſui temporis Sabiis in *Libro de Hæreſ.* refert, *Orationes faciunt ad Solem per diem, quaquaverſum circumit; ad Lunam per noctem, ſi apparet: ſi autem non apparet, ad Aquiloniam partem, quâ Sol cùm occiderit, ad Orientem revertitur, ſtant orantes.* Ex ſupradictis colligitur, quòd quando particularem aliquam ſtellam adorant, ſe ad eandem convertunt in quâcunque plagâ fuerit; quod tam rationi quàm bonis moribus conſentaneum. At diverſum quid ſtatuit *Phiruzabadius Camûſi* Autor, قبلتهم من مهب الشمال عند منتصف النهار *Eorum Kibla eſt plaga Septentrionalis tempore meridiano.* Nempe aliqui eorum (ut videtur) Septentrionem ejúſque Polum inter precandum reſpicere voluêre. Idque fortaſſis quia ea cœli pars ſemper ſerena eſt, oculos non perſtringens; ea quoque ſemper viſibilis & conſtans eſt, eos nunquam deſtituens: adeò ut ibi ſemper habeant Numen quod colant, & quod in inferiora influat: cùm reliquæ cœli partes ſint inconſtantes & aliquando inviſibiles, aliquâ anni parte non comparentes, adeóque cul-

tores ſuos deſtituentes. Deitatum enim propinquitatem & præſentiam amant, longinquitatem autem & abſentiam deplorant.

Hoc modo inter ſe differunt Autores in aſſignando Sabiorum *Kiblam*. Sed fortè hæc eorum differentia quodammodo conciliari poſſit, perpendendo diverſitatem Stationis orantium in quâcunque Mundi plagâ fuerint; prout faciunt *Mohammedani*, qui (ut ſupra diximus) in hunc uſum habent Tabulas mathematicè calculatas quibus Titulus تحويل قبلة *Converſio*, ſeu *circumrotatio Kiblæ*, quæ *Caaba*; ut ubicunque fuerint, ſciant rectà ſe illuc convertere inter orandum. Si itaque Sabiorum (ut quidam ajunt) *Kibla* ſit *Mecca*, ſeu *Caaba*, idem de illis ſentiendum eſt. Ab *Auguſtini* patriâ, *Mecca* fuit inter Ortum & Boream: & aliis Borealibus, ſeu Boreo-orientalibus, *Mecca* fuit ad Auſtrum, qui ergò in communi ſermone nominando *Kiblam*, neceſſariò intelligant *Auſtrum*. Et ſic de reliquis plagis Orantium, quorum *Kibla*, ſeu *Anterior pars*, inter orandum, pro Stationis diverſitate ſemper variatur. *Calcaſhendi Ægyptius* habuit Meccam magis ad Boream: ideóque haud mirum eſt quòd ille poſuerit Sabiorum ſuorum *Kiblam* in eâdem plagâ. Si hæc conciliatio non ſufficiat, tum diverſitas (ſi quæ reſtat,) neceſſariò ſit in opinione Orantium, qui fortè omnes non idem ſentiant de ſuâ *Kibla*, dum alii in Meridie, & alii in Aquilone, eam collocant.

Quoad ſupra allegatum *Calcaſhendii* locum ubi Planetarum *Exaltationes* tanguntur, notandum eſt, ibi ineſſe aliquot menda, tam Autoris, quàm Exemplaris ex quo ipſe hæc deſcripſerat. Nam quamvis Autor ſuos *Numeros* exprimat diſertis *verbis*, videtur tamen eos ſumpſiſſe ex Tabulis ubi omnia erant numeralibus literarum *Notis* expreſſa, in quibus pronum eſt Scribis errare, & ſæpiſſimè erratur. Is ergò pro XXV *Cancri*, debuerat legere XV: & pro XVIII *Capricorni*, legendum erat XXVIII: & pro XXIX *Piſcium*, legendum XXVII: (nam كسع eſt ſcribæ error pro كعم:) & pro XXV *Virg.* leg. XV: & pro XXIX *Arietis*, leg. XIX. Cùm itaque ex Planetarum *Exaltationibus* ritè ſtatis, pendeant Sabiorum Feſta, vera *Exaltationis* loca habeto ex *Ali Birgjendi* Perſa, qui Cap. VIII ſcribit, *Exaltatio*

Saturni eſt in XXI gradu Libræ, Solis in XIX gradu Arietis,
Jovis in XV gradu Cancri, Mercurii in XV gradu Virginis,
Martis XXVIII gradu Capricorni, Veneris in XXVII gradu Piſcium,
Lunæ in III gradu Tauri.

In

In Planetarum *Exaltationes* deſignando, cum his ad amuſſim concordant Aſtrologi *Anglicani*. At paulò aliter *Shâh-Cholgi* Perſa in Comment. ad *Naſſireddîni* Tabulas, qui ſingulorum Planetarum *Exaltationes* per unum Signum retrahere videtur, ſeq. modo: viz. *Exaltatio*

Saturni	*Jovis*	*Martis*	*Solis*	*Veneris*	*Merc.*	*Lunæ*
eſt in ſigno VI,	III,	IX,	O,	XI,	V,	I,
in gradu XX.	XIV.	XXVII.	XVIII.	XXVI.	XIV.	II.

Heic ut vides, Saturni *Exaltatio* ponitur in *Signo ſexto*, ſeu *Virgine*, cùm apud alterum ſit in *Signo ſeptimo*, ſeu *Librâ*. Sed diſtinguendum eſt inter Signorum *Dodecatemoria* & inter *Signa* ipſa, ſeu *Stellas*, cùm à tempore *Hipparchi*, ſtellæ *Virginis* promotæ ſint in Dodecatemorion *Libræ*. Ergò *Ali Birgjendi* intelligit Signorum *Stellas*, & *Shâh-Cholgi* intelligit Signorum *Dodecatemoria*, ut conſtat ex *nullitatis notâ* Solis in *Ariete*: ſic enim ſcribere, eo in caſu, eſt mos Aſtronomorum Orientis. In *Syrorum* aliquo Calendario *Arabicè* conſcripto, Planetarum *Exaltationes* adſcribuntur ſequentibus *Diebus*: viz. *Exaltatio Saturni* XVI *Januarii*, & V *Octobris*: *Jovis* XXVIII *Junii*: *Martis* IX & XXIX *Decembris*, & VII & XXVIII *Januarii*, & XV *Aprilis*: *Solis* XXIX *Martii*: *Mercurii* VII *Auguſti*, & XXX *Decembris*: *Veneris* VIII *Martii*, & XVIII *Aprilis*: *Lunæ* XIV *Aprilis*, & XVIII & XXVIII *Auguſti*: nempe è regione dictorum Dierum notantur tales ſingulorum Planetarum *Exaltationes* in dicto Calendario.

Plurimi autem Sabaitæ Religionem ſuam aliquantò altiùs petunt à Patriarchâ antediluviano *Seth*, quem vocant شيث *Sheit*, magni facientes صحف شيث نبي الله *Sohuph Sheit Nebiúllah*, (ſic enim ſonant,) *Librum Sheit Prophetæ Dei*; qui eſt Liber ſatis grandis *Arabicè* conſcriptus, in quo multa Moralia Præcepta de praxi Virtutum & fugâ Vitiorum continentur. Et quidem Sabaitæ, ſeu Sabii, in Monte *Libano* & alibi dictum Prophetam ſuum ita venerantur etiam hodiè, ut per eum jurare plus ſit quàm per Deum juraſſe: nam (quod ab incolis didici,) ſi aliquis ex iſtis juraverit tibi والله *Wallâh*, *per Deum*, vix potes ei credere: at ſi وشيث *Waſheit*, *per Seth*, tum tutò potes ei credere, cùm hocce Juramentum religioſiſſimè ſervaturus ſit; id enim violare nefas.

Ibn Shahna in Libro *de Primis & Poſtremis*, dictum Librum memorans, *Arabicè* ſcribit, يقال ان الصابية اخذت دينهم عن شيث وادريس

وادريس والباقى *Dicuntur Sabii accepiſſe Religionem ſuam à Seth & ab Idrîs* [ſeu *Enoch.*] *Eſtque illis Liber dictus Sohuph Sheit, quia eum accenſent τῷ Sheit: in eo agitur de Bonis Moribus, quales ſunt Veracitas, Fortitudo, Affabilitas erga peregrinos, & ejuſmodi alia quæ in eo præcipiuntur. Item in eo memorantur Vitia quæ prohibentur. Habentque* VII *precandi tempora; ſc. quinque, (ut ſunt quinque illæ* preces *Muſlimorum,) & Precationem matutinam, atque ſeptimam quæ fit completis* VI *horis noctis. Præſcribunt firmam intentionem: nec preces ſuas cum aliis rebus commiſcent. Precantur autem ſuper Feretro abſque Genuflexione aut Proſtratione. Jejunant menſis tres primos dies, computantes Jejuniorum-ſolutiones ab ingreſſu Solis in Arietem. Jejunant quartâ-parte diei* [al. noctis] *uſque ad occaſum Solis. Magnifaciunt Meccam & Pyramides Ægypti: & ſolennem peregrinationem ſuſcipiunt ad locum prope Harrân. Feſta eorum ſunt* V, *in ingreſſu Saturni & Jovis & Martis & Veneris & Mercurii in domos Exaltationis ſuæ. Feſtorum autem maximum eſt die quo Sol Arietem ingreditur. Seipſos derivant à Sâbi filio Idrîs, qui ſepelitur in Ægypti Pyramide tertiâ. Dicit Ibn Hazm, Religio quam Sabaitæ profitentur, erat Religionum antiquiſſima per totum Mundum tunc prævalens, adeò ut plurima de eâ referant. Deus autem miſit Abrahamum cum Religione in quâ jam ſumus. Shahriſtâni dicit Sabios æſtimare Spiritualia, ſeu Angelos, in contrarium Haniphæorum, qui magnifaciunt Corporalia, ſeu Homines.* Sic ille.

Maimonides in *More Nevochim*, parte III, Cap. 29, 30, plurima habet de Sabiis notatu digna. Ego, heic brevitatis causâ, tantùm rerum ſummam exhibebo, quæ apud eum & alios fuſiùs leguntur. Dicti (inquit) Sabii olim agnoſcebant, & hodiè agnoſcunt, Deum eſſe Conditorem Mundi, & Cœli Poſſeſſorem; ſed propter nimiam diſtantiam & plurimùm reverendam Majeſtatem, non eſſe acceſſibilem; ipſóſque non poſſe adire illum immediatè, ne nimis audaces videantur. At more illorum qui Reges appellare volunt, neceſſe putant ut ſupremos illius Miniſtros primò adeant, qui ſint apud tales Reges *Mediatores*, illorum negotia & petitiones ei impertientes, ejúſque voluntatem & determinationem ſive reſponſum illis renuntiantes: ſic Sabii adibant, & hodiè adeunt, Angelos & Planetas, ut *Mediatores*, quos ſeptem minores Reges eſſe putant in luminoſis illis corporibus habitantes, ut in tot Palatiis aut *Sacellis*; ad quorum imitationem alii ex eis *Sacella* etiam in terris fabricabant, in quibus collocatæ erant Imagines dictis Stellis dedicatæ. Talia *Sacella* in S. *Bibliis* vocantur *Tabernacula*, ut *Tabernacula Molech* & *Remphan*, &c. Nam cum Pla-

netæ

netæ etiam nimis diſſiti eſſent, & aliquando quoque abeſſent, ſub terrâ occumbentes & deliteſcentes, conſultum duxerunt hiſce Planetis erigere Imagines de eorum virtute participes, quæ nunquam abeſſent, ſed ſemper cùm eis præſentes, ut eas perpetuò die noctéque adire poſſent. Cúmque illorum temporum *Aſtrologi*, omnes Colores, omnia Metalla, Ligna, Lapides, Arbores, Fructus, Herbas, & Animalia tum volatilia quàm quadrupedia, & quaſvis res alias alicui Planetæ appropriare ſolerent, faciebant Imagines ex aptâ materiâ, quæ tali Planetæ eſſet propria & peculiaris; idque apto tempore, ſeu ſub fauſtâ cœli poſiturâ, quando talis Planeta eſſet in ſuâ exaltatione, & in fauſto cum aliis Planetis aſpectu, &c. Et tum exiſtimabant ejuſmodi Imaginem ritè factam, talis Planetæ virtute imprægnatum iri. Nam in Imagines, ex tali materiâ, & ſub tali cœlorum poſiturâ, *teleſmaticè* confectas & conflatas, Idololatræ credebant per Preces & Suffitus facilè deduci poſſe ſuperiorum Corporum Influentias: & quidem hujuſmodi Imagines credebant eaſdem habere vires & virtutes cum Stellis ipſis quas repræſentabant.

Iſtiuſmodi itaque Imagines æquè ac Stellas ipſas adorabant *Chaldæi Sabaitæ*, ad eas preces fundebant, eáſque placare ſtudebant Suffitu, ſeu Incenſo; & Cultores ut & Confectores interim erant induti veſtibus talis coloris qui tali Planetæ gratus & congruus eſſet, &c. Deum interim negligentes eúmque oblivioni dantes. Et hoc modo (uti etiam per Heroum Imagines, ut ſupra notavimus,) venit Idololatria in Mundum, nempe per malas Artes Aſtrologorum qui talia omnia excogitabant, & ignaro vulgo, talium nimis avido, hujuſmodi nugas inſuſurrebant eiſque obtrudebant, falſas Planetarum & Imaginum ſub eis factarum virtutes prædicando, & ſuadendo, quòd ſi Stellas eiſque dicatas Imagines ritè placarent, tum eos non tantùm eſſe feliciores & obtinere quaſvis neceſſitates ſuas, ſed & deſcenſuros Imbres qui terram rigarent & fertilem redderent. Et hoc modo Pietatem cum Utilitate conjungentes Aſtrologi, faciliori negotio iſta ſua venena hominibus propinabant, & ab eis imbibenda procurabant, eos ad Idololatriam, hoc modo, ſeducentes: adeò ut hiſce Stellis & earundem Imaginibus tandem Divinum cultum exhiberent, Creaturas ſolas reſpicientes, & omnium Creatorem negligentes. Hocque fiebat, magnâ ex parte, per *Chaldæorum* Librum cui Tit. كتاب الفلاحة *Kitâb Al Phalâhat*, i. e. *Liber Agriculturæ*, in quo docetur totam Agriculturam Aſtrologicè exercere, & conficere *Teleſmata* ad deducendos Imbres, & ad averruncandas atque abigendas Locuſtas & res quaſ-

vis

vis noxias, quæ aliàs lætiorem terræ proventum, & vitam feliciter inſtituendam, turbarent & impedirent.

Adeò ut *Chaldæi Sabaitici* quamvis ſcirent Deum, eum tamen non colebant; ſed in meram Idololatriam effuſi, preces ſuas immediatè ad Imagines dirigentes, abſque ullo ad Deum reſpectu, quem prorſus negligebant, inferiores tantùm cauſas reſpicientes. Unde in hos, & in populum ſuum *Iſraeliticum* iſtos imitantem, meritò ſuccenſuit Deus, qui per Prophetas ſuos de iſtiuſmodi hominibus conqueſtus eſt, quòd Ligna & Lapides adorarent, & flecterent ſe trunco arboris, dicendo, *Juva me, nam tu es deus meus*; & quod ejuſdem Ligni parte extruerent ignem, & ex reliquâ ejus parte conficerent Deum: de his, inquam, quotidianæ querelæ, peſſimam eorum Idololatriam damnando. Ex ſupradictis conſtat *Chaldæos* non adorâſſe Ignem, ut à quibuſdam ſtultè & nimis temerè creditum. Quid autem adoraverint, docet *Plutarchus in Iſide & Oſiride*, & docetur in Libro *Danielis*.

Perperam itaque & fabuloſè fingebatur Certamen inter Ignem *Chaldæorum* deum & *Canopum Ægyptiorum* numen ſub formâ Hydriæ perforatæ & cerâ obductæ; (quaſi inter utriuſque Gentis tum Deos quàm Homines certamen fuerat;) cum Ignis non eſſet Chaldæorum deus: ſi enim Ignem æſtimâſſent ſacrum, certè noluiſſent eum cadaveribus inquinare, homines in fornace igneâ comburendo; nec concedere, ut aquâ extingueretur, cùm apud omnes Ignicolas nefas ſit eum quovis modo polluere, aut Ignem & Aquam committere: nam malâ morte mulctandus erat qui hoc fecerat. Si itaque *Ægyptii* ex unâ parte voluerint evincere *Canopum* ſuum eſſe deum, ex alterâ parte *Chaldæi* non opponebant Ignem tanquam deum, quia talem eſſe non exiſtimabant. Et propter haſce rationes, nec de Perſarum Igne verum eſſe potuerit tale certamen.

Pro exemplo Sabaitici cultûs Stellarum, conſulatur *Abulfaragius*, qui notat unam Arabum Tribum coluiſſe المعصم *AlMi'tſam*, aliam coluiſſe الدبران *AlDebarân*, &c. quæ in *Notis noſtris ad Olug-Begum* explicantur, uti & mox ſequentes *Stellæ Gregis*. Pleræque autem majores Stellæ & inſigniores Aſteriſmi habebantur tot Reges, qualis fuit *Sepharvaitarum* deus, ſeu Aſtrum, ענמלך *Ana-mélech*, i.e. *Pecus Rex*, ab ענא *Ana*, ſeu ען *An*, quod ſemper collectivè, ſeu quaſi pluraliter uſurpatur, *Pecudes* minores (ſc. Oves & Capras) notans. Hæc erat Conſtellatio illa, quæ à *Cepheo* Æthiopum Rege denominata, ejúſve pars, in quâ, ex Orientalium ſententiâ, eſt الراعى *AlRâi*, i.e. *Paſtor*,

Paſtor, & غنم *Ganam*, i. e. *Pecudes*, quæ etiam *Olug-Bego* vocantur كواكب الغرق *Stellæ gregis:* nam Arabibus & aliis paſtoralem vitam agentibus & in agris degentibus, pronum erat inter Pecudes & Stellas collationem inſtituere & inde rei paſtorali accommodata Nomina ſtellis imponere; præſertim cùm ab earundem influentiâ cenſeretur pendere fertilitatis & fœturæ omen. Quicquid enim vel prodeſſe, vel multùm obeſſe, putabatur, id ut Numen colebant & quovis modo placare ſtudebant Pagani Idololatræ. Hanc itaque pecuariam *Conſtellationem* & Pecudum figuras ſub proprio Planetâ effictas colebant: nam præter Stellas ipſas, habebant etiam Figuras ſub eis factas quæ eſſent hominibus propiores: unde probabile quòd ea Conſtellatio quæ *Sepharvaitis Anammélech*, *Sidoniis* alio nomine vocata fuit עשתרות *Aſhteròth*, à ſing. עשתרה *Aſhtarà*, i. e. *Grex*, & in hoc loco Biblico Chaldæus etiam legit עדרי *Adre*, *Greges*. Ad hunc locum *Kimchi* notat, *Aſhteroth eſſe nomen Imaginum Ovium formam habentium*, quas ſcil. *teleſmaticè* ſub illo Sydere (& ſub Planetâ cui ſubjectæ ſunt Greges,) factas, pro deitatibus colebant *Sidonii* & *Philiſtæi*, (ſc. omnes junctim pro uno Numine,) eum in finem, ut uberiorem in Gregibus ſuis fœtificationem, hac ratione, procurare poſſent. Nec mirum eſt de differentiâ Nominis ejuſdem Numinis apud varias Gentes, ut ſc. idem fuerit *Anammélech* & *Aſhteròth* quæ *Aſtarte*; cùm eodem modo *Ammonitarum* خموش *Chemôſh*, ſeu *Culex*, fuerit *Ekronitarum* בעל־זבוב *Beel-zebûb*, *Dominus muſcarum* averruncus, à *Judæis* per contemptum vocatus בעל־זבול *Beel-zebûl*, *Dominus ſtercoris*. Erat nempe magnus quidam *Culex metallicus teleſmaticè* confectus, apto tempore, ſcil. ſub fauſto aſpectu Jovis, aut Planetæ cui ſubſunt *Muſcæ*, & ex aptâ materiâ, cum Precibus & proprio Suffitu, &c. Igitur *apud populum τῶ Chemôſh* & ejuſmodi alios, hocce *Teleſma* fuit idem quod apud Græcos Ζεὺς ἀπόμυος *Jupiter muſcarum-abactor*, prout illi omnes ſtultè credebant. Quòd ſi eas aliquando non abigebat, tum danda opera ut Precibus, & Suffitu, & Libationibus, & aliis cæremoniis meliùs placaretur.

Imaginum quoque cultu infamis erat totus Orbis, uti etiam *Arabes*, qui colebant اللات *Al Lâtt* & العزي *Al Uza*, &c. Et ſanè prolixum eſſet omnia Arabum Idola enumerare. Eos autem ab Idololatriâ ad unius veri Dei cognitionem & cultum perduxit *Mohammed*, quod opus laudabile. *Chinenſes* & *Indi* præter Imagines in *Pagodis*, ſeu *Delubris*, prægrandes, aliquando etiam integras Rupes (præſertim ſi naturâ in pyramidalem formam vergebant,) in Idola formare ſolebant. Talia

propè urbem *Bamiyân* (quæ poſteà *Balch*, ſeu *Bactra*,) erant immania & prodigioſa illa *Perſicè* dicta سرخ بت *Surc'h-Bùt*, i. e. *Idolum rubrum*, & خنگ بت *C'hingh-Bùt*, i. e. *Idolum griſeum* ſeu *cinereum*. Hæc (ut in Libro *Maſâlik Mamâlik* Perſicè deſcribuntur,) erant *duæ prægrandes Statuæ ad altitudinem & magnitudinem Turrium è rupibus exciſæ, intus cavæ, ita ut quis per plantam pedis ſubintrans, totam interiorem earundem partem uſque ad extremos manuum & pedum digitos permeare poſſet*. In Libro *Pharh. Gj.* in *Indiâ* conſcripto, hæ duæ Statuæ dicuntur *quinquaginta cubitos altæ, ad quas tempore ignorantiæ confluebant* مشرکان *Pagani in aliquo loco urbis Bamiyân, ex territorio* کابل *Câbul, in limitibus regionis* بدخشان *Badachſhân*. Hinc veniunt *Rubini Balaſcii*. *Hæc Idola* (inquit dictus Autor) *à quibuſdam cenſentur eſſe ea quæ Arabibus dicta ſunt* یغوث Yagûth, & یعوق Yaûk *tempore Noæ: & ab aliis habentur pro* منات Manât & Lâtt. *Et haud procul ab iſtis, dicitur eſſe aliud ejuſmodi Idolum paulò minus, formâ Vetulæ, dictum* نسرم Néſrem, *ſeu* نسر Neſr, *ſive* نسار Neſâr, *(atque* نسا *Neſâ*, ſi rectè,) quæ videtur Statua in Luco poſita, quia *Neſr* (ut & reliquæ hujus Nominis formæ,) Perſicè notat *Umbraculum ex virentibus frondibus, & talem in montoſis locum ubi Sol nunquam ſplendet:* talia enim loca contra Solis ardores munita, pro cultoribus erant commodiſſima. At fortè Perſicus autor erraverit, putando hæc fuiſſe Idola tempore *Noæ* in *Alcorano* memorata, cùm eorum deſcriptiones ſint prorſus diverſæ, ut ex ſequentibus conſtabit. Illa enim erant intus cava ut inde clam darentur Reſponſa, contrà quàm erant *Arabiæ* Idola tempore *Noæ*, qui ſuis prædicavit ut talium cultum relinquerent, ſc. cultum ود *Wodd*, & سواع *Sowâ*, & یغوث *yagouth* & یعوق *yäouk* (vel *yogouth* & *yöouk*,) & نسر *Neſr*. Illorum autem temporum Sacerdotes (non obſtante præconio Noæ,) dixerunt لا تذرون عبادة الهتکم *ne relinquite cultum deorum veſtrorum*, ſcil. ود *Wodd* qui (inquit Commentator *Perſicus*,) erat in figurâ *Hominis*, & *Sowâ'* in figurâ *Mulieris*, & *Yagûth* in figurâ *Leonis*, & *Yäûk* in figurâ *Equi*, & *Neſr* in figurâ *Vulturis*. Arabes autem videntur has formas elicuiſſe ex appellativis horum Nominum ſignificationibus. Deinde dictus Commentator addit, واینها اسامی پنج مرد صالح که میان آدم ونوح ع م بودند که مردم بدیشان اعتقادی تمام داشتند بعد از مرگ ایشان را از چوب وسنگ پیکر ساختند وتعظیم آن می نمودند ومرد وزنان بپرستش آن مشغول شدند و بعد از طوفان ابلیس لعین این بتها را

بتمادرا بيرون آورد و عرب را بپرستش آن فرمود *Hæc fuiſſe inter Adam & Noah, (ſuper quibus pax,) nomina quinque piorum virorum in quibus fidem integram habuerunt homines: & poſt eorum mortem, eis fecerunt Imagines ligneas & lapideas quas venerati ſunt, & omnes in eorum cultu occupati fuêre. Et poſt Diluvium, Diabolus maledictus iſta Idola producens, Arabibus eorundem cultum præcepit.* Et dein (pergit Commentator) homines Tribûs *Beni Kelb* coluerunt *Wodd* tempore dynaſtiæ الجندل *AlGjéndal*, & *Sowâ'* colebatur in Tribu *Hodheil*, & *Yagûth* juxta littus maris eligebatur à *Beni Atîph* & *Beni Morâd*, & *Yäûk* erat in Hippodromo τῆς *Hamadân*, & *Neſr* erat numen Arabum اهل وال [l. وادي] ذي الكاع *incolarum Vallis di' lCâgh*, ſi rectè legerim malè exaratum. Ait autem *Beidâvi*, *Neſr erat Idolum* τῆς *Him'yar* in Arabiâ felice. Atque aliunde conſtat, quòd *Manât* erat Idolum Tribuum *Hodheilitarum* & *Choraatarum* inter *Meccam* & *Medinam*, ubi etiam *Yagûth* & *Yäûk*. At *AlLâtt*, ſi rectè memini, colebatur in *Mecca*, ubi etiam *Al Uza*.

In *Indiâ* paſſim cernuntur Statuæ, ad X aut plurium cubitorum altitudinem, è rupibus exciſæ: non autem pari cum duabus ſuperioribus arte elaboratæ. In *Perſarum* Libris memorantur مرخ وخنل *Murc'h & C'hanàl* Paganorum Idola duo, quæ manè ridere & veſpere flere ſolebant, uti jam fabulantur Orientales.

Clemens Alex. I *Stromatum*, Εισὶ δὲ τῶν Ινδῶν οἱ Βάττα πειθόμενοι παραγγέλμασιν, *Sunt ex Indis qui Buttæ præceptis obſequuntur, quem, ob Sanctitatis excellentiam, ut Deum colunt.* Clemens ſc. credebat *Buttam* fuiſſe *Brachmanum* quendam in Sanctorum catalogum ab eis relatum. Si fortè particularem aliquem defunctum ſub eo nomine coluerint, cur eum donârunt nomine *Bùtt*, inde factum videtur, quia linguâ *Perſicâ* بت *Bùt* ſignificat Idolum in genere, quod *Arabes* in ſuam linguam aſſumentes, illud mutârunt in بد *Bùdd*, eodem ſenſu. Et cùm *Indorum* lingua communis admiſta habeat multa *Perſica*, inde & hoc nomen ad *Indos* propagatum: & Idolum quod in Inſulâ *Selàn*, ſeu *çeylon* colitur, eodem nomine gaudet. Et hinc (quod inter *Mithræ* Iconiſmos,) *Doctor religionis*, ſeu *Sacerdos*, *Selanenſium* linguâ vocatur *Budum*, fortè ſonandum *Bu-ndum*; & grandis illa *Arbor* ſub quâ dictum Idolum colitur, audit *Budum-ghàs*, ſeu contractè *Boghàs*, i. e. *Sacerdotum Arbor*, quæ *Luſitanis* in Indiâ degentibus *Arbor Diaboli* nuncupatur. Eſtque ſuo genere grandis, habens *Tiliæ* folia ſemper tremula, ſive Ventus flet, ſive non, ut me olim docuit Doctiſſimus *Hermannus* oculatus teſtis: fortè *Populi* aliqua ſpecies. Aliàs etiam

habent Templa lapidea. Sed ſub iſtâ arbore eſt *Area* variis circularibus ſepimentis incluſa, cujus mediam partem tanquam *Adytum* adiri prohibent Sacerdotes, prætendentes eſſe periculoſum: eam tamen partem per vim aliquando adiit *Europæus* quidam, nec damnum ſenſit. Talia fiunt non tantùm in *Selàn*, ſeu *Serandîb*, ſed & in *Gjuvadîb*, † & alibi. *Butta* autem eſt *Idolum* appellativé: & *Butta* ſic præcipit, i. e. *Idolum* ſic præcipit.

Iſtæ tamen Idololatricæ Gentes non planè ignorant *Deum*, quippe qui ab eis linguâ *Indicâ* agnoſcitur كردگار *Kertâr*, *Factor* omnium rerum, & سرجنهار *Sergjanhâr*, *Creator* Mundi. Sic etiam ab Idololatricis *Chinenſibus Deus* vocatur *Tien Chù*, i. e. *Cæli Dominus*, & *Shangh Ti*, i. e. *Supremus Magiſter*, ſeu *Imperator* univerſi. Attamen ſemper colunt *Fe*, & *Pu-ça*, &c. credentes rerum inferiorum Gubernationem his eſſe commiſſam. Quin & in quibuſdam *Chinenſium* Templis Idololatricis viſuntur procerrima Idola tria, diverſæ altitudinis gradualis, ſimul ſtantia, quæ putantur ex veteris ibidem *Chriſtianiſmi* reliquiis Sacroſanctam Trinitatem repræſentare.

Qualis & quàm multiplex fuerit Canaanitarum Idololatria, (quæ etiam nimis vicinos Judæos infecit,) omnibus ex parte notum eſt. Placet heic ſubjicere ex Libro *Jalkut* [fol. 61, col. 4,] ea quæ ibi notantur ad *Jer.* VII. 31, qualis fuerit cultus *Molechi*, ſeu *Martis*, de quo ſequente modo narratur: *Etſi fuerint omnes Domus Idololatricæ in ipsâ urbe Jeruſalem, ea tamen Molechi fuit extra urbem, in loco ſeparato. Quomodo Molech erat factus? Imago erat* [*ærea* inquit R. Salomon ad *Jer.* VII. 31,] *habens faciem Vituli, manus expanſas, inſtar hominis manus aperientis ut ab alio aliquid acciperet, intrinſecus excavata. Septem ipſi extructa fuêre Sacella, ſeu Tabernacula, ante quæ Imago iſta fuerat collocata. Avem, ſeu Pullum columbinum offerens, primum Sacellum ingrediebatur: Ovem aut Agnum, ſecundum: Arietem, tertium: Vitulum, quartum: Juvencum, quintum: Bovem, ſextum: qui denique Filium proprium offerret, ſeptimum ingrediebatur Sacellum. Hic Molechum oſculabatur; juxta illud, Sacrificatores hominum, Vitulum oſculantur*, Hoſ. XIII. 2. *Filius ponebatur ante Molechum, qui igne ſuppoſito ſuccendebatur, donec ignitus fieret inſtar lucis. Tunc Sacrificuli acceptum infantem candentibus Idoli manibus indebant: ac ne parens ejulatum ac clamorem pueri audiret, tympana pulſabant dicta* תפים tuppim, *unde & locus dictus eſt* תפת *Tophet*, ut ſuprà pag. 29, ex *Plu-*

† Vid. Append. No. V.

tarcho

tarcho notavimus. Aliquando traducebant Filios *per Ignem*, quod à priori diverſum.

Molech (ut videtur) habens VII Tabernacula extra illa collocabatur, cùm idem individuum in ſingulis collocari non poſſet. Sed quæ habebant unum tantùm Tabernaculum, ſeu Sacellum, collocabantur intra illud tanquam in *Tuguriolo*. Sic memoratur Tabernaculum Dei veſtri כיון *C'hiûn*, qui كيوان *Keivân*, i. e. *Saturnus:* qui in Verſione Græcâ (quaſi evanidâ parte literæ כ, legendo ריון *Revan*,) per *Mem* Epentheticum legitur Ῥέμφαν.

Dictus Sabaiſmus non tantùm per Orientem, ſed & per Occidentem obtinuiſſe conſtat, cùm veteres Gentes Europææ, (ſc. *Teutones*, *Germani*, *Sueci*, *Gothi*, *Dani*, &c.) Planetas etiam coluerint, Statuas eis erigendo, uti teſtantur, tam Antiquitatis Monumenta omnia, quàm *Dies Septimanæ*, ad hodiernum uſque diem, à Planetarum *Regentiâ horariâ* denominati; qui mos ab *Ægyptiis* deſumptus. Hujus rei meminit *Dion Caſſius*, & ex eo *Xiphilinus* in *Epit. Dionis Gr. Lat.* p. 142: *Ab Ægyptiis profectum eſt ut Dies ſecundùm* VII *Planetas nominentur.* — *Planetarum ordo ſecundum Ægyptios, eſt Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna. Secundum hunc ordinem ſi Horas Diei Noctiſque recenſueris, reperies primam Diei* ἐπιώσης, *Soli tribui. Rurſus in eiſdem* XXIV *Horis ſupradictâ ratione perges, Lunæ primam Horam Diei tertii aſſignando.* Hæc eſt vera ratio cur Dierum denominatio non ſequatur dictum Planetarum ordinem, qui ſemper interrumpi videtur, & unus Planeta ſemper intermitti, cùm à Die Solis ad diem Lunæ & deinde ad diem Martis tranſiliatur. Sed quia fortè non omnibus in promptu ſit hoc intelligere, ſequente exemplo illuſtrabitur. Præmittendum verò eſt, quòd quando auditur *hora ſeptima*, mox debemus dicere, *Eſt jam hora octava*, ſcil. (contra quàm vulgò creditur & reputatur,) intelligi debet *octava hora inchoata*; nam ſeptimâ jam completâ & finitâ, tunc incipit octava; quæ etiam completa & finita erit quamprimùm ex Horologio audita fuerit Hora nona: nam ſonante Horologio, tunc ſemper finitur Hora quæ eodem momento ſonatur. Et ſonatâ Nonâ, poſt ſemihorium, tum dicimus, *Eſt jam media decima:* ſc. jam elapſa eſt Horæ nonæ dimidium, & reſtat aliud *Dimidium horæ uſque ad Decimam:* non autem tunc erat *Dimidium Horæ poſt Decimam*, ut vulgò creditur & à *noſtratibus* vulgò perperam intelligitur. His præmiſſis, & rectè ſtatuto Horarum in communi ſermone Initio & Fine, ponemus Exemplum, quòd ſcil. *die Saturni* horâ octavâ *Saturnus* ſupponatur in inferiora influere, quæ itaque

itaque ab *Aſtrologis* vocatur *Hora Saturni:* & percenſitis VII Planetis, (unâ horâ ſingulis attributâ,) *Hora Saturni* erit rurſus *tertia poſt meridiem*; & rurſus *decima veſpertina:* & deinde *tertia nocturna*; & rurſus *decima matutina:* & ſic deinceps numerando, poſt ſingulas *ſeptenas* horas, ejus vices redeunt. Dum autem ſecundum hunc cenſum numeramus, Solis vices veniunt ſequentis diei *horâ octavâ matutinâ*, qui ideò dicitur *Dies Solis*. Et, ſi pergimus hoc modo numerare, *tertii* diei horâ *octavâ* venient vices *Lunæ*, qui itaque dies vocatur *Dies Lunæ*. Et eâdem ratione reliquorum Planetarum nomina Diebus ſibi propriis impoſita fuêre: quia nempe talis Planeta cenſetur peculiarem influxum emittere & omnia regere ſui diei horâ aſſignatâ, ſive ſextâ, ſive ſeptimâ, ſive potius octavâ: & ſic quâvis octavâ deinceps horâ. Et ſecundum hunc ritum *Aſtrologi* in Quæſtionibus horariis ſemper dicunt, Hæc eſt Hora *Saturni*, vel *Jovis*, *Martis*, aut cujuſvis tandem Planetæ; quorum vices (percenſitis τοῖς VII) octavâ deinde horâ redeunt, idque per totum *Septimanæ*, *Menſis*, & *Anni* circuitum: & ſic deinceps in æternum. Supradicta de *Horarum* initio & fine, ſunt ad diſtinguendum inter computationem *vulgarem* & computationem *Aſtrologorum*. Vulgò enim putamus, quòd quando ex Horologio audita eſt aliqua *Hora*, ea tunc inchoatur: ex. gr. auditâ primâ, putamus eſſe initium horæ primæ, quæ durare cenſetur donec audiatur ſecunda: & ſic deinceps. Uſus autem apud *Aſtrologos* eſt planè contrarius, ſc. ut auditâ aliquâ horâ, ea tum cenſeatur finita: nam ex Horologio *auditâ primâ*, tunc reputant finiri horam primam, & eodem momento tunc ſtatim inchoari horam ſecundam. Et poſteà *auditâ ſecundâ*, tunc eam finiri, & eodem momento inchoari *horam tertiam*. Et ſic deinceps.

Hujus Capitis ſubjectum hoc modo ita breviter ſtrinximus & parciùs tractavimus, cùm præter ſcopum erat de Gentilium Religione accuratiùs & prolixiùs agere. Infinitum eſſet reliquam eorum Idololatriam perſequi, quod integrum Librum poſtularet: ideóque ſupерſedendum duxi.

CAP.

Cap. VI.

De Perſarum cuſtodiâ Aquæ, ſimul & Ignis.

PERSÆ erant quatuor Elementorum Cuſtodes & Curatores: unde à Græcis & aliis perperam vocantur *Cultores Elementorum*, qui erant tantùm *Excultores*. Cùm enim Elementa eſſent prima omnium rerum Semina, illa in honore habebant, &, eo nomine, in primitivâ ſuâ puritate conſervare ſtudebant. Hoc modo Aërem ita honorabant ut à fœtoribus (quantum eſſet poſſibile) immunem ſervarent: & propter officioſam illam dignationem & reverentiam, *Herodotus*, ſuo more, eos repræſentat, quaſi *Aërem* habuiſſent Deum, *totum* (inquit) *Cæli gyrum, Jovem exiſtimantes*. Et ut Terram ſervarent puram, mortuos ſuos non humabant, ſed Avibus & Feris vorandos & in eorum viſceribus ſepeliendos relinquebant, ut hoc modo ſiſteretur fœtor; ut de his ſuprà diximus. Omnia itaque Elementa ſervare pura, erat magnæ Pietatis Opus, & tam in hoc Mundo quàm in altero meritorium: nam maximè addicti erant puritati, omnem immunditiem fugientes & procul arcentes. Præcipuam autem curam impendebant in Ignem & Aquam, utpote quæ eſſent contaminationi maximè obnoxia. Græci iſtam curam & civilem reverentiam vocant *Adorationem*, & multa falſa eis imputant. Sic *Procopius lib.* II, cap. 24, dicit *in Ardabiganis eſſe* Μέγα πυρεῖον —— ὃ σέβονται Πέρσαι θεῶν μάλιστα. Ibi *Ignem inextinctum foventes Magi, cùm alia Sacra procurant ſtudiosè, tum* μαντείῳ ἐς τῶν πραγμάτων τὰ μέγιστα χρῶνται, i. e. *in gravioris momenti rebus ut Oraculum conſulunt*. Sic etiam *Agathias*, ait, *Quòd ignem* τῶν ἐσομένων πέρι ἀναπυνθάνονται, *de futuris rebus ſciſcitabantur*: ſed fides ſit penes autores, cùm tale quid aliunde non conſtet. Et apud *Herodotum* dicitur libatum fuiſſe mari; *Xerxes in Græciam trajecturus, ex aureâ phialâ libavit mari: & poſteà Phialam projecit in mare, unà cum Acinace Perſico*. Hoc fortè inter *Herodoti* mendacia numerandum, quaſi telo acuto violentiam faceret ſacro Elemento. *Herodotus* etiam p. 477, narrat de *Xerxis* exercitu quid fecerunt apud *Strymonem* fluvium, *cui Magi mactatis Equis candidis litavêre, aliis etiam quamplurimis medicamentis in fluvium jactis*. At

Diog.

Diog. Laërtius refert, *Qui res Magorum ſcripſerunt, Herodotum refellunt: nec enim Xerxem tela in Solem jeciſſe, nec compedes in mari demiſiſſe; quorum utrumque Magi Deum eſſe arbitrantur.* Miror quid mali *Herodoto* fecerit *Xerxes!* Dolendum quòd antiquiſſimus Scriptor addictus fuerit mendaciis! *Plutarchus* integrum Libellum contra ejus mendacia ſcripſit in uno genere: quem ſi de omni genere ſcripſerat, in craſſum Tomum excreviſſet. *Joh. Chryſoſt.* Tomo I, p. 67, eodem modo errat de Perſis, Θεὸς παρὰ τοῖς Πέρσαις νομίζετο τὸ Πῦρ, ᾧ τιμῶσιν αὐτὸ μετὰ πολλῆς θεραπείας οἱ βάρβαροι οἱ τὴν χώραν ἐκείνην οἰκοῦντες ἕπι καὶ νῦν. *Suidas*, οἱ Πέρσαι τὸ Πῦρ ὡς Θεὸν ἐσέβοντο. *Strabo* ait, τῷ πυρὶ καὶ τῷ ὕδατι θύσι. Et *Socrates* ait, *Reges* ἐν οἰκῷ τινι τὸ διηνεκὲς πῦρ προσκυνεῖν. Hæc omnia, & ejuſmodi alia apud Autores extantia, monſtrant, talem fuiſſe exterorum omnium vulgò receptam opinionem; quam tamen ego audacter & peremptoriè aſſero fuiſſe vulgarem errorem. Et (quod potius ad præced. cap. pertinuerat,) *Juſtinus* ait quòd *Solem eſſe unum Deum Perſæ credunt.* Et *Strabo* XI, Θεὸν δὲ ἥλιον μόνον ἡγοῦνται, τούτῳ δὲ ἱπποθυσίαν. Bone Deus, quanta ſunt hæc mendacia! Quæ tamen non licuiſſet detegere, niſi Perſarum res meliore autoritate noviſſemus. Hæc itaque ſunt impoſſibilia & abſurda: nam *qui verè Deum toto corde & animo colunt, non poſſunt quidvis aliud colere cultu divino: ſed Perſæ verè colunt Deum, ideóque non poteſt eſſe verum quòd colant quidvis aliud cultu divino.* Irregulare quidem erat in *Xerxe* defodere vivos apud *novem vias Edonorum*, (ſi verum fuerit,) cùm hoc modo Terra inquinaretur. Nec licitum erat eo modo Aquam inquinare, ut *Tacitus* in *Annalibus* Lib. VI, de *Tiridate Armenorum* Rege refert; *Tiridatem* cùm videret *Vitellium* cum copiis ad alteram *Euphratis* ripam conſiſtentem, *placando Amni Equum adornaſſe*, proſperi tranſgreſſûs cauſâ. Hoc inquam non erat probabile, cùm ejuſdem *Tiridatis* cautela ab inquinatione Aquæ pateat ex eo quod notat *Plinius* lib. XXX. 11, *Tiridates Magus, ad Neronem veniens, navigare noluit, quia expuere in maria, aliiſque mortalium neceſſitatibus violare naturam eam, fas non putavit.* Ideóque prædicta illa erant falſa, cùm contraria de eodem homine non poſſunt eſſe ſimul vera. Aliàs autem Reges ex plenitudine potentiæ aliquando fecerunt res extraordinarias & violentas, quæ orthodoxo *Magiſmo* non annumerandæ, ut cremando *Amaſis* cadaver, cujus alibi mentionem fecimus. Is autem qui Aquam aut Ignem ſponte inquinabat, putabatur morte dignus in hoc Mundo, & æterno ſupplicio in altero: & quicunque Oſſa cadaveroſa in aquam injeciſſet, certò damnatus credebatur. Magi itaque ubicunque fuerint,

omnibus

omnibus ſibi vicinis aquis invigilabant, aſſignatis Cuſtodibus, quorum erat ei unicæ rei operam dare. Eademque Veſtalibus non tantùm Ignis, ſed & Camœnarum Fontis & omnis Aquæ cuſtodia demandata fuit: non autem ut eâ aſpergeretur Veſtæ Templum, ut exiſtimat *Lipſius*, ſed quia omnem ſibi vicinam aquam tueri debebant. Hujus rei exemplum eſt id quod in amœniſſimæ urbis *Samarcànd* deſcriptione refert *Jacutus*, Geographus Arabs, *Quòd ad rivum* [Sogd] *qui mediam urbem perfluit, tam hyeme quàm æſtate pernoctant Magi, eundem Rivum cuſtodientes; ad quos ideò, piæ donationis jure, frugum ripalium pars annuatim pertinet in perpetuum.* Nam cùm Deus nullâ artificiali Imagine repræſentari poſſet, de eis refertur, quòd putent Aquam & Ignem in puritate ſervata, eſſe ſolas Dei Imagines in terris. Sic ex *Dinone Clemens Alex. in Protreptico* ait, Τὰς Πέρσας, καὶ τὰς Μήδας, καὶ τὰς Μάγας, θύειν ἐν ὑπαίθρῳ τότας ὁ Δίνων λέγει, Θεῶν Αγάλματα μόνα τὸ Πῦρ καὶ τὸ Ὕδωρ νομίζοντας.

Imò Perſæ exiſtimant peculiari Angelo demandatum eſſe tueri Aquas, cui nomen eſt *Ardiſûr*, ſeu *Arduiſûr*, cui etiam peculiaris *Niyâiſh*, ſeu *Laudatio*, præſcripta eſt, ut legimus in eorum Libris,



Laudatio tùs Ardiſûr, gratiâ Maris, & Fluminum, & Puteorum, & Fontium,

Laudando eum pro tali tuitione, & precando ut in eâ pergat, Deo gratias agendo pro talium uſu & utilitate, & pro beneficiis quæ ab hiſce Elementis accedunt hominibus. Is itaque Aquis præeſt: & quòd ſit Angelus, conſtat ex nuptiali Formâ, ubi inter Benedictiones Nuptiales quas Sacerdos apprecatur nuptis, (ut ſc. unus Angelus det eis talem Benedictionem, & alius Angelus aliam Benedictionem,) inter iſtas inquam Benedictiones Angelorum quibus hominum cuſtodia demandata eſt, additur & ſequens apprecatio quæ heic ſubjicitur,



Rivos aquarum Arduiſûr det, ſcil. hiſce matrimonio junctis.

Et quidem pro fideli Aquæ & Ignis cuſtodiâ, promittitur magna remuneratio: ſic enim in Libro *Erdavirâph-nâma* narratur, uti in Capite de *Statu Paradiſiacorum* p. 232, 233, legitur, quòd quando *Erdavirâph*, Perſarum Legiſlator ultimus, à Gabriele à loco ad locum in Paradiſo deductus eſt, in uno loco vidit Populum felicem vultu ad inſtar Lunæ & Solis, amictum tamen alio colore, ita ut tale quid in toto Mundo nunquam auditum aut viſum fuerat: iſti multis aliis etiam Felicitatis ſignis ſplendebant. Cúmque quæreret, Quales hi

eſſent? Gabriel ei reſpondit, Iſtos eſſe eos qui Eleemoſynas erogaſſent, & ex Meritis ſtamen, atque ex Religione ſubtegmen fecerant: qui,



In hoc Mundo cùm Aquam & Ignem benè curaſſent, Ideò pro mercede jam in Paradiſo ſunt.

Et ibidem p. 236, Aquam & Ignem curare, poſcitur etiam à Fœminis, quibus promittitur Paradiſus, *ſi benè cuſtodierint Aquam & Ignem à fœdatione & malignitate, & à cadaveroſis ac ſordibus fœtentibus.* De cuſtodiâ *Ignis Martis,* conſulatur Liber *Sad-der*, Cap. 43 & 93. Cùm itaque quarundam rerum innata Puritas, & aliarum rerum Purificatio Legalis, ſint Deo & Hominibus grata & ubique præcepta; hæc duo Elementa (quæ, ratione puritatis, Deum quodammodo repræſentare exiſtimantur,) ut Puritatis Emblemata atque Inſtrumenta, meritò præ omnibus rebus inferioribus ubique Gentium foventur & æſtimantur. Nam ut alia multa ex Lege Moſaicâ auditu acceperant, ſic & hoc, quòd ſcil. interna Purificatio, per Legalem, ſeu Symbolicam & externam, corporis lotionem ſignificaretur: hoc enim in omnibus Perſarum Ritibus ſolenniter faciendum præſcribitur; & quotidie, in *Manus lavando* & *Cingulum induendo* ſunt Preces peculiares & cæremoniæ ſolennes, uti ferè in omnibus ſuis rebus habent Perſæ veteres. Ut autem Perſæ in æternum liberentur à falſâ illâ imputatione colendi Ignem, velim ut Lector adeat ſupra citata Capita 43 & 93 inter Præcepta Zoroaſtris (quæ ſunt Canones Eccleſiæ Magorum,) in Libro *Sad-der*, ubi tantùm præcipitur *cura* & *cuſtodia* Ignis, & Deum orare juxta eum: nulla autem Ignis adoratio ibi præcipitur.

Quamvis autem Fœminis apud Perſas præceptum fuerit benè cuſtodire Ignem & Aquam, id ſubintelligendum eſt de cuſtodiâ privatâ in ſuis ædibus: non enim legimus aliquid de Sacerdotiſſis, niſi in ſupradicto hæretico cultu Veneris, qui ad verum Magiſmum non pertinebat. Ad omnes autem homines apud Romanos pertinebant ſupradicta Præcepta, & eorundem Beneficia, de quibus participare credebantur Veſtales, de quibus jam proximè agendum.

CAP.

Cap. VII.

De Veſtâ Romanorum & Græcorum.

POſtquam (ut ſupradictum) juſſu Divino in Templo Hieroſolymitano inſtitutus eſſet Altaris Ignis perpetuus, & quotidie offerretur עולת תמיד *Sacrificium juge*, eò quòd quotidie & perpetuò ab aliquibus peccaretur; ad hujus imitationem etiam Gentes Æternum Ignem fovendum curabant, novum huncce Religioſum Ritum veteri ſuo Sabaiſmo, ſeu Solis & Planetarum ac Elementorum cultui, ſuperàddentes; exiſtimando melius eſſe Religione ſuâ abundare, potiùs quàm in aliquâ ejus parte deficere: ſic enim erat eorum mos, nova quævis amplecti, eáque veteribus accumulare; donec tandem egregiam & inexplicabilem Rituum farraginem conſarcinâſſent. Præcipua enim quæ Deus pro ſuo cultu inſtituerat, per Ethnicorum ignorantiam, & imperfectam de illis rebus cognitionem & incertam traditionem, in uſum ſuperſtitioſum pertracta ſunt. Sic erant *Urim* & *Thummim*, pro quibus *Arabes* habuerunt تمثيمة *Temîma*, ſeu Τέλεσμα, ſcil. eâdem vocis vi pollente nomine. Et *Phylacteriorum* vice venerunt *Arabum* تعويذ *Ta'wîd*, *Præſervativa*, ſeu *Averruncа*, & حمايل *Hamâil*, *Appenſoria*, ſeu *Amuleta*. Quædam *Teleſmata* videntur à Deo permiſſa: qualia erant *Aurei Hæmorrhoïdes*, atque *Serpens æneus*, qui ab ipſis etiam Iſraelitis in abuſum pertractus & pro Idolo tandem habitus; qui igitur à piis & orthodoxis poſteà per contemptum dictus eſt נחשתן *Nehûſhtan*, *æneum quiddam*; ideóque rejectus & abolitus eſt.

Judæi quidem olim, pro Sacrificio jugi in Templo Ignem in Altari alebant perpetuum: & ne fortè Ignis extingueretur, Lampadem habebant in Templo, uti & hodie in Synagogis ſuis ſervant Lampades, quarum ſaltem una die noctéque ſemper ardet: & publicarum Precum tempore, ejuſmodi plurimæ, vel ſaltem accenſæ Candelæ, per totum Synagogæ circuitum in ſummo muro appenſæ & lucentes cernuntur. Cumque Judaica Religio per Orbem percrebreſceret, evidentibus miraculis confirmata, & Dei præſentiâ ejúſque familiari colloquio concomitata, & Divina Lex è terrebundis tenebris & Igne cum tonitruis in conſpectu Gentium tradita in cacumine Montis *Sinai* in Arabiâ, & Iſraelitæ per *Mare rubrum* ſummo miraculo traducti; hæc inquam

omnia (cum perpetuis Victoriis, & Aquâ è petrâ elicitâ, & ductu Nubis & Ignis Iſraelitas præeunte,) juſtiſſimam admirationem in omnibus totius Orbis Gentibus genuerunt, imitationemq; pepererunt. Hinc ſparſis rumoribus & perlatis nuntiis factum, ut celebres evaderent Judæorum Ritus, inter quos Cuſtodia Ignis; unde non tantùm *Orientales*, ſed & *Græci* ac *Romani* illuſtriorem hanc *Judaicæ* Religionis particulam ſibi adſciverunt. Et, ut omnes alii fecerunt, ſic etiam quòd *Numa* ſuum *Ignem Sacrum* ejúſque varium miniſterium à malè intellectâ *Lege Moſaicâ* deſumpſerit, nobiſcum ſentit *Tertullianus* in Libro de *Præſcr. Hæret.* p. 247, his verbis; *Cæterùm ſi Numæ Pompilii Superſtitiones revolvamus, ſi Sacerdotalia Officia, Inſignia, & Privilegia; ſi Sacrificia, Miniſteria, & Inſtrumenta, & Vaſa ipſorum Sacrificiorum, ac Piaculorum & Votorum curioſitates conſideremus, nonne manifeſtè Diabolus moroſitatem illam Judaicæ Legis imitatus eſt?* Nempe, ut in Altari Judaico Ignis ſemper die noctéque ardere debuit, ſic fecit *Numa*, adhibitis omnibus Ritibus & Miniſteriis *Moſaicis*.

Numæ autem *Igni Sacro* à *Latinis* impoſitum eſt nomen *Veſta*; quod quidem factum eſt à *Græco* Ἑστία, mutatâ Aſpiratione in *V*, ut in Ἑσπέρα *Veſpera*, & in multis ejuſmodi aliis. Et quidem Ἑστία videtur circa tempora *Moſis* in Linguam *Græcam* adſcita vox, cùm *Homeri* ætate eſſet vulgò ab omnibus recepta. Nam hoc non erat aliquod vulgare Ignis nomen, nec origine *Græcum*; ſed exoticum. Ut enim ſuum Ignem Sacrum ab extra petiverunt, ſic etiam unà & nomen: nam Ἑστία eſt *Hebræo-Chaldaicum* אשתא *Eſta*, i. e. *Ignis:* adeò ut *Veſtæ* ſacrificare, ſit *Igni* ſacrificare. Cúmque Ἑστία planè ſit ab *Eſta*, videretur non tam per Spiritum aſperum quàm per lenem legendum. Et ab eâdem origine, in eundem uſum, *Zoroaſtres* captavit ſuum ܐܫܬܐ *Eſta*, quo primariò *Ignis*, deinde *Liber* Ignis cuſtodiam docens notari ſolet: & hoc apud *Perſas* ſæpè mutatur in ܐܘܫܬܐ *Veſta*, & ܐܘܫܬܐ *Aveſtâ*, ut ſuo loco magis diſtinctè docebitur. *Procop. lib.* I. cap. XXIV, de Perſarum Igne loquens, addit, Τοῦτ' ἐστὶ τὸ Πῦρ, ὅπερ Ἑστίαν ἐκάλεν τε καὶ ἐσέβοντο ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις Ρωμαῖοι, *Hic eſt ille Ignis quem Romani Veſtam vocabant, & ſuperioribus temporibus venerabantur.*

Romæ quidem, *ſeptingentis* ante *Chriſtum* annis, *Veſtam* inſtituit *Numa Sennacherîbo* coævus, circa initium Monarchiæ *Aſſyriorum*. Et ſanè longè ante *Numæ* tempus *Græci* habuerunt ſuum Πῦρ ἄσβεστον, quod primò à Virginibus, &, cùm ſubinde vitiarentur, à Vetulis ultra nubendi ætatem provectis, die noctéque fovendum erat *Delphis* & *Athenis* alibi: &, ſi fortè extingueretur, non à communi culinari

Igne

Igne accendendum erat, ſed à radiis Solaribus, aut alio curioſo modo renovandum.

Non licebat eis jurare niſi per *Veſtam* ſuam; atque Perſæ ſolenniter jurantes, id faciebant coram Igne. *Veſtæ Ædes* in vetuſtis Nummis Romanis cernuntur *rotundæ*. Secundùm *Feſtum*, *Penus* vocabatur locus intimus in *Æde Veſtæ*, tegetibus ſeptus, qui certis diebus circa *Veſtalia* aperiebatur. Ii dies religioſi habiti. Et quidem *Veſtæ* Templum de die patuit omnibus, & maſculis interdiu ingredi licebat; noctu autem non item, nam ibi pernoctare nefas fuit omni maſculo. Nec ulli unquam *Viro* hujus Templi Penetralia adire licuit, ſed ſolis *Virginibus Veſtalibus*, quæ Secreta Domûs celare tenebantur: cùm ibi ſervaretur Romani Imperii *Pignus*, quod à Doctioribus creditur *Palladium*, (ſeu parva *Pallas* IV cubitos longa,) quod nulli niſi Veſtalibus videre licuit; ut hac ratione religioſiùs ſervaretur dicti Pignoris Veneratio: cùm nimia familiaritas contemptum peperiſſet, ſed ignota veneramur ſciendi aviditate allecti. Nam in *Veſtæ* Templo *Simulachrum* erat *nullum* ab hominibus colendum, ſed tantùm *altior* quidam *Focus*, (ut in *Perſarum Pyréis* hodiè cernitur,) ſeu Ara in quâ *Veſtæ* ſacrificabant, dicente *Pauſaniâ*. Nec opus erat Simulachro, cùm Ignis eſſet ſola Dei Imago. Nec *Veſtæ* propriè ſic dictæ *ulla* erat *Effigies:* quid ergò vult D. *Dempſterus* neſcio, dum dicat Romanos ferè ſingulis Domibus habuiſſe ad fores *Veſtæ effigiem*; quæ tamen (ni fallor) non erat *Veſta*, ſed *Hecate*. Niſi fortè id velit quod affert *Cæl. Rhodiginus* p. 562, ſcil. *Veſtam* quibuſdam haberi *Terræ Animam*, aliis *Terram*, quam veluti Mulierem fingebant Tympanum geſtantem, quoniam Ventos in ſe contineret.

Frequentia videntur fuiſſe Sacrificia; eáque non tantùm interdiu, ſed & noctu: nam *Seneca* in Lib. I. de *Providentiâ*, memorat *Sacras Veſtales noctibus excitari ſolitas ad facienda Sacra, dum aliis profanis ſomno indulgere licebat*. Virgo autem ſacrificatura habebat Tempora redimita Vittâ, ſeu Tæniâ laneâ, de quâ videri poſſunt plura in *Lipſii Tract.* de *Veſtâ* & *Veſtalibus*, cap. XII. Capiti quoque impoſitam habebat & ab eo dependentem promiſſiorem Stolam albam, prætextam, quadrangulam oblongam, quæ Fibulâ comprehendebatur: & in manu *Suffibulum* tenebat, dicente *Feſto*. Stolæ autem, ſeu Togæ (ſi ita appellare liceat) Lacinia erat in humerum rejecta, ne ſacrificantem impediret. *Suffibulum* à quibuſdam perperam accipitur pro Veſtalium dictâ Stolâ, ſeu Pallâ, ab humeris retrorſum dependente & anteriùs ſub gutture confibulato. Sic Lexicographi. Sed ut à *Thure* fit *Thuribulum*,

ribulum, ſic dicendum eſt quòd à *Suffitu*, ſeu *Suffiendo*, fit *Suffibulum*. Et hoc ſenſu accipitur ab iis qui de Nummis ſcribunt, qui Veſtalem deſcribunt cum *Suffibulo*, ſeu *Paterâ libatoriâ*, hoc modo exponendo quid ſibi velint per *Suffibulum*.

Virgines Veſtales erant primò *Quatuor*, deinde *Sex*; non autem XX, ut quidam volunt, ſed ex *Viginti ſelectæ*. Hæ, quia ſacerrimæ habitæ, malâ morte mulctandæ erant, ſi impoſitam Caſtitatis Legem tranſgrediebantur: tunc enim *vivæ* in terrâ *defoſſæ ſunt* & ſuffocatæ. De his *A. Gellius lib.* I, Cap. XII, ex *Labeone Antiſtio* docet qualis eſſe debeat Veſtalis Virgo, ſcil. *Minorem quam annos VI, majorem quàm annos X natam negaverunt capi fas eſſe. Item, quæ non ſit patrima & matrima. Item, quæ linguâ debili ſenſúve aurium deminuta, aliave quæ corporis labe inſignita ſit. Item, quæ ipſa, aut cujus pater emancipatus ſit: etiam, ſi vivo patre, in avi poteſtate ſit: item, cujus parentes alter ambóve ſervitutem ſervierunt, aut in negotiis ſordidis deverſantur. Sed eam, cujus ſoror ad id Sacerdotium lecta ſit, excuſationem mereri ajunt: item, cujus pater Flamen, aut Augur, aut XV vir S. F. aut qui VII vir Epulonum, aut Salius eſt. Sponſæ quoque Pontificis, & Tibicinis Sacrorum filiæ vacatio à Sacerdotio iſto tribui ſolet. Prætereà Capito Atejus ſcriptum reliquit, Neque ejus legendam filiam qui domicilium in Italiâ non haberet, & excuſandam ejus qui liberos trîs haberet. Virgo autem Veſtalis, quæ ſimul eſt capta atque in atrium Veſtæ deducta & Pontificibus tradita, eo ſtatim tempore, ſine emancipatione, ac ſine capitis minutione, è patris poteſtate exit, & jus teſtamenti faciundi adipiſcitur. De more autem ritúque capiundæ Virginis litteræ quidem antiquiores non exſtant, niſi quæ capta prima eſt, à Numâ Rege eſſe captam. Sed Papiam Legem invenimus,—quâ cavetur ut, Pontificis Maximi arbitratu, Virgines è populo viginti legantur; ſortitioque in concione ex eo numero fiat; & cujus Virginis ducta erat, ut eam Pontifex Maximus capiat, eaque Veſtæ fiat. Sed ea ſortitio ex Lege Papiâ non neceſſaria nunc videri ſolet: nam, ſi quis honeſto loco natus adeat Pont. Max. atque offerat ad Sacerdotium filiam ſuam, cujus duntaxat, ſalvis religionum obſervationibus, ratio haberi poſſit, gratiâ Papiæ Legis per Senatum fit. Capi autem Virgo propterea dici videtur, quia Pontificis Maximi manu prehenſa, ab eo parente (in cujus poteſtate eſt,) veluti bello capta abducitur. In libro primo Fabii Pictoris, quæ verba Pontificem Maximum dicere oporteat, ſcriptum eſt. Ea verba hæc ſunt:*

SACER-

TAB. IV.

MBurg. delin. et sc.

Vestales ministrantes.

Vestalis cū temone et globi effundens libationem.

Vestalis manu tenens simpullum.

Vestæ templum

Vestalis armata, manu tenens Palladium.

Admodum Reverendo in Christo Patri, IOHANNI div. perm. Episcopo Ossorienſi, haſce Veſtalium Icones ex vet. nummis deſumptas, Gratitudinis ergô lubens meritóq; D.D.D. Autor T. H.

SACERDOTEM VESTALEM QVAE SACRA FACIAT
QVAE IOVS [Jovis] SIET
SACERDOTEM VESTALEM FACERE
PRO POPOLO ROMANO QUIRITIBVSQUE
VTEI QVAE OPTVMA LEGE FOVIT, [fuit,]
ITA TE AMATA CAPIO.

In *Com. Labeonis* quæ ad XII Tabb. compoſuit, ita ſcriptum eſt, *Virgo Veſtalis neque hêres eſt cuiquam inteſtato, neque inteſtatæ quiſquam: ſed bona ejus in publicum redigi ajunt:* id quo jure fiat, quæritur? *Amata*, inter capiendum, à *Pont. Max.* appellatur, quoniam quæ prima capta eſt, hoc fuiſſe nomine traditum eſt.

Aliquando offerebant Holocauſta, quæ à ſeniore Virgine ſacrificari debebant, ut canit *Ovidius* in IV *Faſtorum*,

Igne cremat Vitulos quæ natu maxima Virgo eſt.

Vitulos cremandi Ritum nondum vidimus in Nummis. Sed frequentioris uſûs erat Libatio. Et quidem hujus rei Ritus viſitur in *Galbæ* Nummo, ubi eſt *Temo* & *Globus*, & perſona aliqua in Arâ ſacrificans. Globus fortè vult, *Veſtam* aliquando *Terram* ſignificare.

Tricennale tempus, quo miniſtrare tenebantur Veſtales, partim diſcendo, partim docendo, & partim exercendo inſumebant, nempe Decennium in ſingulis. Harum ſenior dicebatur *Maxima*, ut ſuprà *Ovidius* habet. Et quævis Virgo, cùm primò à Pontifice caperetur, (nam quaſi vi arripi ſolebat, parentibus interim per præmia & aliter contranitentibus,) ab eo compellari ſolebat *Amata*, ut ſuprà ex *Gellio* habes: at ea quæ, ſuâ vice, ad ſacrificandum accincta, dicebatur *Armata*, autore *Feſto*. Ideóque eæ, in antiquis Nummis *ſtolatæ* ſtantes coram Arâ, *alterâ manu* tenent *Haſtam*, *alterâ* vel *Suffibulum*, vel *Pateram libatoriam*. Aliquando (ſc. ſummo imminente periculo Reip. ſeu Imperii ruinam minitante,) alterâ manu tenebatur *Palladium*, quod ſcil. in eodem Templo ſervatum, à nemine alio, ne quidem ab Imperatore hoc impetrante, viſendum. Aliis temporibus (nam varii erant Ritus,)

Veſtales

Veſtales cernuntur *dextrâ Simpullum*, aliquando *Tympanum*, & *ſiniſtrâ Tædam*, ſeu Facem ardentem gerentes, quia de nocte etiam Sacra facienda erant: atque *Camænarum* Fonti (qui dicente *Plutarcho* Veſtæ ſacer,) tam interdiu quàm noctu invigilabant ejúſque curam gerebant, quod ſine accensâ face vix fieri potuit. Nam ut de Perſis ſuprà memoratum, Ignis & Aquæ cura erat tam in hoc Mundo quàm in altero meritoria, ſic etiam apud Romanos (dicente *Suidâ*) Veſtalibus Ignis & Aquæ cura demandata eſt. Præcipua itaque Veſtalium cura erat Sacrificia ritè peragere, Aquam ab omni immunditiâ immunem ſervare, & Ignem die noctéque alere, ne extingueretur: nam grave erat & terribile Imperio omen, ſi ſacer Ignis fortè extinctus eſſet. Quòd ſi Virginum culpâ factum accideret, illa Virgo cujus vices erant Ignem curare, à Pontifice flagro admonebatur; privatim tamen, & interpoſito Velo, pudicitiæ & modeſtiæ ſervandæ ergò. Et tamen ſemel quotannis Sacrum Ignem extingui libenter ſinebant, exeunte & finito veteri Anno; ut cum felici omine novus accenderetur, ineunte novo Anno, inchoato à menſe Martio, qui (ut ſuprà notatum) Igni ſacer, utpote qui ab igneâ Martis Stellâ denominatus eſt. Eorum itaque Annus tunc à *Martio* Menſe inchoabatur: & (dicente *Macrobio*) *Primâ die Menſis Martii Ignem novum in Veſtæ Aris ſolebant accendere*; *ut incipiente Anno, cura denuò ſervandi novati Ignis inciperet.* Hoc indigitâſſe videtur *Ovidius* in Libro *Faſtorum*,

Adde, quòd arcanâ fieri novus Ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

An novi Anni gratiâ hoc fecerint Perſæ, non dicitur: ſed idem facere ſolebant Perſæ in honorem Regum, (hoc eſt, in morte veteris & inauguratione novi,) ut Ignis ſacer aliquam cum eis ſympathiam habere videretur; nempe, ut defuncto & extincto Rege, ſacrum Ignem ſimul emori & ſponte extingui ſinebant, eundem rurſus, in novi Regis honorem, de novo accendentes; quaſi inſinuarent ab illis Regibus pependiſſe quicquid erat Sacrum, utpote cum eis ultrò moriens, & poſteà cum alio Rege reviviſcens.

Quando verò apud Romanos Ignis de novo accendendus eſſet, (ut dicit *Feſtus*) *mos erat felicis materiæ Tabulam ſeu Aſſerem terebrare, donec exiliret Ignis, quem cribro excipiens Virgo ad Ædem Veſtæ ferebat.* Sic etiam *Simplicius* in *Ariſtotelem*, Απὸ ξύλων δὲ πῦρ ἐκβάλλεσι, &c. *Ignem ex Lignis excutiunt, alterum Lignorum tanquam Terebram in altero circumvertentes.* De hoc ritu apud Perſas & alios Orientales poſteà

ſteà differemus. *Plutarchus* refert, *Si apud Græcos Sacer Ignis extinctus, non à communi Igne rurſus accendebant; ſed ex ipſo Sole, (ei oppoſitis Scaphiis, ſeu Vaſculis metallicis quæ cavata ſint æqualibus lateribus rectangulis trigonis, unde emicantes Radii in quoddam centrum coacti;) applicatum fomitem accendebant.* Hac nempe ratione putabant ſe Ignem cœleſtem accepiſſe. Idem hodie ſolemus facere cum concavis *Uſtoriis* metallicis; ſed rotundâ formâ, quæ melior. His dictis & quoque multis aliis modis (ſcil. CI) Ignem ſacrum de novo accendendum præſcribunt Perſæ, ut poſteà ſuo loco dicetur. At ubi ad continuandum Ignem Ligna deſunt, oleo in Lampade Ignis inextinctus ſervatur, ut fit in minoribus Synagogis indotatis apud Perſas.

Macrobius Saturnalium Lib. I, cap. 16, innuit datum fuiſſe *Sacrorum Regem Regulúmve* his verbis, *Ad Regem Sacrificulum, ſeu Regem Sacrorum, Virgines Veſtales certâ die ibant, & dicebant, Vigiláſne Rex? Vigila. Porphyrius* de *Abſtinentiâ lib.* IV, fol. 82, inſinuat Puerum quendam ſacrificare ſolere: *Sicut enim in Myſteriis ὁ ἀφ' Ἑσίας λεγόμενος παῖς qui à Veſtâ dicitur Puer, exquiſitè omnia quæ mandata fuerint agendo pro omnibus qui initiantur, Numen placat; ita in Gentibus & Civitatibus idem faciunt Sacerdotes, dum pro omnibus ſacrificant*, &c. *Alexander ab Alex.* Lib. III, cap. 12, dicit quòd Veſtæ, non *Vino*, ſed de *Numicio* flumine, libabatur: idque colligit ex *Virgilii* Verſu,

Hæc fontis ſtagna Numici. ——

Sed videatur quòd Vino etiam libabatur, cùm *Juvenalis* canat,

Cum farre & vino Janum Veſtámque rogabat.

De Veſtæ Ritibus copiosè differit D. *Dempſterus* ad *Roſinum. VI dies Martii (qui eſt pridie Non.) ſacer Veſtæ erat, Thus in Focis adolendo.* Et *Alexander ab Alex.* Lib. V, cap. 12, *Veſtæ ſiquando Veſtales Virgines ſacra libarent, vel rem divinam facerent, eo cultu ornatúque, ut erant, & vittatæ peragebant. Album tamem* (ut ſuprà) *prætereà veſtimentum quod Suffibulum vocabatur, oblongum & prætextum & quadrangulum in capite ſumebant, fibulâque ſubnectebant. Tum captâ Molâ & Sale tuſo ac in ollam fictilem miſſo, mox in Aquam injecto, ſacra faciebant: calicibúſque fictilibus, quas Culullos dicebant, Veſtæ & Diis libabant.* Et idem *Dempſterus* p. 262, Veſtalium Aræ adſtantium & miniſtrantium Iconiſmum exhibet, additque, *Item, V Idus Junii feriæ erant Veſtæ, ſeu* (ut *Varro* ait) *Veſtalis dies, ut Virgines Veſtales Veſtæ ſacrificarent. Hoc die, Convivia paſſim ante Focos agitabantur, cibi*

etiam ad Virgines à civibus mittebantur Deæ Veſtæ libandi; & Aſini floribus coronati, atque è pane veluti Monilia quædam gerentes circumducebantur per urbem. Molæ item Sertis & Floribus ornabantur, & quieſcebant. [Differt *Mola aſinaria* à *ſalſâ Molâ* ſupradictâ.] De hoc *Ovid.* VI *Faſtorum,*

Ecce coronatis panis dependet Aſellis,
Et velant ſcabras florida Serta Molas.

Harum Cæremoniarum ac Rituum cauſas *Ovidius* explicat, viz. quòd olim nullus Molarum uſus fuerit: ſed Farra ſolummodo in Furnis Veſtæ, hoc eſt, Ignis beneficio, torreri conſueverit; indeque mos ſervatus fuerit ut hoc die & Foci & Deus Focorum (quæ Veſta eſt) à Piſtoribus colerentur: & Aſini, qui ſcil. primis temporibus, Veſtæ beneficio, immunes à circumagendis Molis eſſent, cùm nullus earum Romæ uſus eſſet, vacarent & feriarentur. Sic ille. Cur autem iidem Aſini floribus coronati Panes ex collo dependentes geſtare ſolerent, hanc rationem affert, quia ſcil. Aſini *Sileni* clamore, Veſta è Somnis excitata, inſidias & libidinem *Priapi* effugiſſet. Sic *Ovid.* VI *Faſt.* verſu 309,

Venit in hos annos aliquid de more vetuſto,
Fert miſſos Veſtæ pura patella cibos.

Veſtales nudis pedibus ad Veſtæ Templum ibant, quia (dicente *Ovidio)* eâ parte lacunæ eſſent, ut ſicco pede Templum Veſtæ adiri non potuerit; quod poſteà, in vetuſtatis memoriam, quamvis ſiccatis jam lacunis, continuatum eſt.

Quomodo Veſtæ obtulerint Molam, conſule *Gyraldum Tom.* I, p. 224. Et ibidem vide plura de Veſtâ p. 524. At apud *Alex. ab Alexandro* Lib. V. cap. 12. totum eſt de Veſtâ, prolixè & benè: non tranſcribam, ſed Lectorem illuc remittam. Ab eo fortè ſuum de Veſtâ Tractatum mutuaverit *Lipſius*; qui etiam narrat *Ægyptios* & *Afros* eundem morem ſervandi Ignem Sacrum habuiſſe. Has opiniones foverunt Philoſophi, de quibus *Clem. Alex.* p. 42, 43, *Parmenides Eleates introduxit deos Ignem & Terram. Ex his, alterum ſolum Deum exiſtimârunt, Ignem, Hippaſus Metapontinus & Epheſius Heraclitus.* — *Heraclitus & ejus Sectatores Ignem, tanquam ortûs rerum Principium, colebant, qui Ignis illis dictus eſt* ΗΦΑΙΣΤΟΣ, *Vulcanus. Perſarum etiam Magi Ignem coluerunt, & multi ex iis qui Aſiam incolunt: quin etiam Macedones, ut ait Diogenes in primo Perſicorum. Ne Sauromatas recenſeam,*

cenſeam, quos refert Nymphiodorus in Libro de Legibus Barbaricis, Ignem colere, aut Perſas & Medos & Magos?

In *Britanniâ* Minervæ Numen colebatur, in cujus Templo perpetui Ignes nunquam coaleſcere in favillos, ſed in ſaxeos globos verti ferebantur, ex *Solino* cap. 35, ſub finem. Et *Cambdenus* in *Britannia* p. 747, in Comitatu *Kildar*, meminit Sanctæ *Brigidæ* ante 1000 annos Sancti *Patricii* Diſcipulæ, *Cujus, inquit, miracula & Ignem inextinctum (tanquam in Veſtæ adytis penetralibus) à Virginibus ſacris aſſervatum, cinere nunquam excreſcente, Scriptores commemorârunt.*

Veſtam quoque coluiſſe *Scythas* ſeu *Sarmatas* tradit *Herodotus* p. 275, 276, *Scythas colere Solem & Veſtam ante omnes: dein Jovem, Tellurem, Apollinem, Venerem cœleſtem, Martem, Herculem, & Neptunum. Sed Simulachra & Aras, & Delubra non facienda putabant, præterquam Marti. Eorum linguâ Veſta dicebatur Tabiti; Jupiter, Papæus; Tellus, Apia; Apollo, Oetoſyrus; Neptunus, Thamimaſades. Martis Templum fiebat Sarmentorum faſcibus, ſub quibus erat ferreus Acinacis, qui Martis ſimulachrum, cui annuas Hoſtias immolabant; & plùs huic Acinaci quàm cæteris diis.* Hoc fit *Acinaci*, quia per Gladium ſuum vivunt & alios devincunt. De *Scythis* quoque *Mongolis* ſeu *Mogolo-Tataris* ultra *Imaum* talia tradit *Joh. de Plano Carpini*, qui circa CCCCL ab hinc annis apud eos fuit: *Solem & Lumina & Ignem venerantur & adorant, & Aquam & Terram, eis Ciborum & Potûs primitias offerentes, idque potiſſimùm manè antequam comedant & bibant: nam de cultu Dei nullam Legem obſervant.* —— *Utuntur Incantationibus*, &c. *Et cùm ipſis à dæmonibus reſpondetur, credunt quòd Deus ipſis loquitur; quem Deum vocant Ytoga, ſed* Comani *eum* Cham *appellant.* —— *Nam reverà colunt ſtatuam Gingiz-chân, & cogunt alios eandem adorare, vel ſe erga eam flectere. Habent etiam Statuam in Curru ante Ordas ſuas, & alias Statuas è Filtro ad utrumque latus januæ: & credunt has tueri pecora ſua.*

Apud *Feſtum* extat Barbarum nomen *Exfir*, quod exponitur *Genus ſuffitionis à Veſtalibus parari ſolitæ.* An ergò Artem *Chemicam* noverunt? Hoc enim videtur malè ſcriptum pro *Arabico* اكسير *Exsîr*, ſeu *Icsîr*, vulgò cum Articulo الاكسير *El Icsîr*, vel *Elixir*; quæ eſt *Quinteſſentia* Chemicis notiſſima, ſcil. purior & ſpiritualior pars ex craſſiore quâvis materiâ extracta per vim ignis, quæ in ignem injecta flammam auget eámque vehementiorem & exultantiorem reddit. Eſt itaque reverà *Extractio*, ſeu *Extractum.* Sed quoad primam notionem vocis اكسير *Icsîr*, eâ ſignificatur *Fractio*; q. d. quando ex aliquo

corpore IV Elementis compoſito (uti eſt corpus naturale quodvis,) extrahitur aliquod *Quintum* ex eis omnibus conflatum, id itaque *Quinta-eſſentia* vocatur: hæc fit, ea IV Elementaria corpora penetrando & quaſi frangendo, quæ itaque perfracta relinquuntur, dum per ea perrumpitur extrahendo tale *Elixir*. Et eadem videtur ejuſdem vocis vis apud *Mathematicos*, ubi in dimenſionibus Terræ, Diametri ejus Dimenſio, ſeu quantitas, per cubitos ſeu pedes numerata, in Libris *Arabicis* vocari ſolet اكسير الارض *Icsîr terræ*, q.d. per medium ejus *perruptio*, ut talis ejuſdem menſura eliciatur.

CAP. VIII.

De Veſtâ Perſarum, ſeu de Ignis cuſtodiâ apud Sacerdotes Magos. De antiquis Pyreis ante Zoroaſtrem. Et Manugjahri Regis Oratio pia, &c.

SI vox استا *Eſta*, ſeu وستا *Veſta*, originaliter ſignificat *Ignem*, hi (ſi opus ſit) vocari poſſunt *Igniarii Sacerdotes*, ſeu *Veſtales Viri*, qui erant uxorati: nam tam his quàm omnibus aliis juſſum eſt nubere, quia procreatio Liberorum qui futuri ſint *Fideles*, meritorium eſt in hac vitâ & in alterâ. Iſti autem qui ab aliis vocantur *Sacerdotes Ignis*, meliùs merentur vocari *Sacerdotes Dei*, (uti reverà erant,) quamvis circa Ignem & ejuſdem cuſtodiam verſati, uti erant Judæorum Sacerdotes, quorum erat Altaris Ignem perpetuò alere & inexſtinctum ſervare. Atqui nec horum nec illorum totum negotium erat circa Ignem, ſed & Preces publicè recitare & alia Officia Sacerdotalia & Eccleſiaſtica quotidiè præſtare, ut alibi in ſuo loco docebitur, ubi miniſtrandi modus monſtrabitur. Quia verò, unà cum cultu Dei Omnipotentis, nimis officioſi erant circa Miniſterium Ignis, *pyroduliam* quandam erga eum exercendo & præſtando, *Græci* & *Mohammedani* (ut alibi innuimus,) hæc videntes & ignorantes quòd reverà colebant Deum, perperam imaginati ſunt totam eorum Religionem conſiſtere in ſolâ illâ *pyroduliâ*, ſeu civili cultu Ignis, eoſque circa eam ſolam verſari, non dubitantes ergò eos abſolutè *Atèſh-perèſt* ſeu *Ignicolas* nuncupare, cum aliis opprobrii nominibus, quæ poſthac ſuo loco recitantur. Iſti nunquam peccata ſua confitentur niſi Deo, nec eorum remiſſionem petunt niſi ab illo: ſed tamen amant hæc facere *coram Re Sacrâ*, ſcil. *coram* Igne, aut Sole, tanquam *coram* teſte. Nam

ut

ut Judæi in Templo confitebantur Deo peccata ſua, dum Ignis ſacer arderet juxta eos, ſic Perſæ Deo confitentur peccata ſua, Igne ſacro ardente juxta illos. Et ut Judæi tenebantur tam alia Miniſteria facere quàm Ignem ſacrum die nocteque alere, ſic & Perſæ. Hi ergò non ſunt magis Sacerdotes Ignis quàm erant Sacerdotes Judaici: cùm utriuſque munus eſſet tam Ignem quàm alia Miniſteria curare, eiſque ſuis vicibus attendere & excubias agere. Si itaque alicui libet eſſe malitioſum, poteſt Judæorum Hierarchiam vocare *Sacerdotium Ignis*, & eorum Sacerdotes *Laniones* nominare.

Apud Perſas itaque *Cuſtodia Ignis* ejuſdem originis ac antiquitatis eſt cum Romanorum *Veſta*, ſumpto illuſtri exemplo à Templi Hieroſolymitani Altari in quo *Ignis perpetuus* ardebat. Cùm enim Græci & Romani ab illis temporibus Sacrum Ignem ſervaverint, vix crediderim Perſas in hac re fuiſſe ultimos. Et quidem non eſt dubitandum quin Perſæ per *plurima* ſecula *Veſtam* ſeu *Ignem* ſervaverint, antequam *Zoroaſtres* ſuas in Religione peculiares Reformationes *Guſhtaſpi* commendaret & obtruderet, ſuadendo ut adhuc plura *Pyréa* extruerentur. Suprà diximus veram Perſarum Religionem fuiſſe & adhuc eſſe *veri Dei* cultum ejuſque *ſolius* adorationem divinam; in quem uſum, ex eorum ſententiâ, non opus fuit Templorum, ut *Strabo* & *Herodotus* & *Cicero* aliique affirmant: eo itaque nomine Templa abhorrebant, quia Dei Majeſtas nimia erat ut intra anguſtos parietes comprehendi poſſet. *Græcorum* itaque Templa Idololatrica vaſtabat & ſubvertebat *Xerxes*, ut alibi diximus. Nec pro civilibus cæremoniis Mithræ præſtandis, opus erat Templorum, quippe quæ meliùs ἐν ὑπαίθρῳ *ſub dio* præſtari potuêre. At pro cuſtodiâ Ignis, à quo tempore eum ſervaverint, Templa (Judæorum exemplo) fuerunt ſemper neceſſaria; cùm ſine ejuſmodi Domiciliis, Ignis inextinctus ſervari non potuit. Ideóque, quæ tantùm pauca erant, multiplicari juſſit *Zoroaſtres*, in ſuâ reformatione. Unde conſtat, quòd ſupradicti autores negantes Templa fuiſſe Perſis, intelligendi ſunt cum dictâ limitatione; cùm id, abſolutè dictum, planè non fuerit verum.

Ex quo itaque Perſæ ſervaverunt Ignem perennem, ex eo etiam neceſſe fuit eos pariter habuiſſe aliquot *Pyréa* in quibus talis Ignis ſervaretur. Non autem neceſſe fuit ut ubique habuerint *multa Pyréa*, cùm eiſdem temporibus in *Græciâ* habuerint tantùm *pauca*, & in *Româ* tantùm *unum* in generale bonum totius Gentis, ubi pro populo univerſo litabatur. Et quidem quòd tantùm pauca *Pyréa* tunc habuerint Perſæ (præterquam quòd rationi conſentaneum ſit,)

colli-

colligimus ex eorum Hiſtoriis, in quibus narratur *Guſhtaſpem*, Zoroaſtris inſtigatione, multiplicâſſe Pyréa, eáque ubique extruxiſſe; unde eorum anteà paucitas arguitur. Suam itaque Ignis cuſtodiam habuerunt ante Zoroaſtrem: is enim non apparuit ante tempora *Hyſtaſpis*: eos autem dictam Ignis cuſtodiam habuiſſe ſub *Medorum* Monarchiâ ſatis liquet. Nam de *Hûſhangh*, Medorum Rege tantùm non antiquiſſimo, refert *Tábari*, هوشنگ — مغان گفتند كي آتش پرستى بود واز ما بود وجهودان گفتند كي بر دين ما بود *Hûſhangh*---*Magi dixerunt quòd fuit Ignicola & ex nobis fuit: & Judæi dixerunt quòd de Religione noſtrâ fuit.* Is nempe Deum adoravit, & Ignem honoravit: & cùm tam Magi quàm Judæi ſic etiam facerent, & ambo talem etiam Ignem in reſpectivis ſuis Oratoriis tunc ſervarent, utræque Gentes, propter Ignis cuſtodiam, hunc pientiſſimum Regem de ſuâ Religione fuiſſe voluerunt, de eo poſteà contendentes & altercantes. Sed notandum eſt, quòd *Tábari Mohammedanus* perperam repræſentat Perſas vocantes ſeipſos *Ignicolas:* quòd nunquam faciunt: ſed hoc eſt Improperium, ſeu dedecoris nomen, à *Mohammedanis* impoſitum, & à Perſis inter ſeipſos non uſurpatur. Et idem in ſequentibus ex *Tábari* citationibus obſervandum. Is enim de antiquo *Medorum* Rege *Aphiridûn* narrat, آفريدون — ومغان گويند كي وي آتش پرستى بود *Aphiridûn* — *Magi ajunt quòd ille fuit Ignicola.* Hiſtoricus *Emir-chond* dicit hunc Religioſum Regem aſſumpſiſſe ſibi Eccleſiaſticum Titulum موبد *Mûbad*, ſeu *Præſulis.* Et poſteà de tempore Regis *Manûgjahr* idem *Tabari* dicit, ايشان آتش پرستى بودند *Et ii tunc Ignicolæ fuerunt.* Atque (ut de aliis intermediis Regibus taceatur,) certum eſt *Cambyſis* temporibus Ignem æſtimatum fuiſſe ſacrum, cùm *Herodotus* taxet eum feciſſe id quod (ſecundùm Perſarum Religionem) non erat Sanctum, comburendo *Amaſis* Regis Ægypti cadaver, quippe quo Ignis pollueretur, ut antea notavimus. De *Cyro* etiam conſtat, eum magnum aliquod opus ſuſcepturum, adiiſſe Eccleſiam, ubi Deo cultum & Igni cæremonias faciebat: non quaſi ſolum Ignem eo in caſu adiiſſet, ſed quia mos erat ut, primo ingreſſu in Eccleſiam, uſitatam reverentiam exhiberent Igni, & deinde Deum orarent, ut alibi fuſiùs docuimus. Sic *Xenophon* (ſi ei fides,) πρῶτον Ἑστίᾳ ἔθυσεν: ubi ἔθυσεν, non *Sacrificavit*, ſed quaſvis cæremonias feciſſe ſignificat. Et quamvis eſſet Dei Templum, tamen vocabatur *Pyreum*, ſeu *Ædes Ignis*, (quòd Ignis in eo aleretur ut in Templo Judaico,) quod non habebatur malum Epithetum: & quo zelo, *Cyrus* Deum adoraturus ad

Pyréum

Pyréum ſeu Templum venerit, narrat *Phirdauſi*, Libri *Shahnâmæ* Autor, his Verſibus,

بیامد خروشان بآتشکده *Venit exultabundus ad Ædes Ignis,*

بگسترده بر موبدان سیم وزر *Circumfundens ſuper Præſules Argentum & Aurum,*

بر آتش پراگنده چند گهر *Et in ipſum Ignem aliquot Uniones ſpargens.*

Hoc modo deduximus Ignis cuſtodiam ab initio Monarchiæ *Medorum* ad *Hyſtaſpem*. His quoque pleniorem fidem facit *Shahriſtâni Arabs*, ſaltem à tempore Regis *Phridûn* & *Gjemſhîd*, واما بيوت النيران للمجوس فاول بيت بنا افريدون بيت بطوس وآخر بمدينة بخارا هو برديسون و اتخذ بهمن بيت بسجستان يدعي كركر اولهم بيت في نواحي بخارا يدعي قبان ان وبيت نار سمي كوسية بين فارس واصفهان بناه كيخسرو وآخر بقومس سمي حرير وبيت نار يسمي كنكدز بناه سياوش في مشرق الصين وآخر بارجان من فارس اتخذه ارجان جد يشتاسف وهذه البيوت كانت قبل زراشت ثم جدد زراشت بيت نار بنيشابور وآخر بفسا وامر يشتاسف ان يطلب دارا كان يعظمها جمشيد فوجدها بمدينة خوارزم فنقلها الي دارابجرد وسمي آذر خره والمجوس يعظمونها اكثر من غيرها وكيخسرو لما خرج الي غزو آفراسياب عظمها وسجد لها ويقال ان اذوشيروان هو الذي نقلها الي الكارمان فتركوا بعضها وحملوا بعضها الي فسا وفي بلاد الروم علي باب قسطنطينية بيت نار اتخذه شابور بن اردشير فلم يزل كذلك الي ايام المهدي وبيت نار باسفينيا علي قرب مدينة السلم لبوران بنت كسري وكذلك بالهند و الصين بيوت نيران و اما اليوفانيون فكان لهم ثلثة ابيات ليست فيها دار ونكرناها *Fuerunt*

Magis aliquot Pyréa, quorum primum erat illud quod Aphridûn extruxit in Tûs: & aliud erat in urbe Bochâra, dictum Bérdeſûn. Prætereà Behman erexit in Sigjiſtân Pyréum dictum Ghérgher [ſeu *Ghárgher.*] *Ex primis eorum fuit in Bochâra Pyréum dictum Kobâdân: erátque inter Phârs & Iſpahân Pyréum dictum Causîya, quod extruxit Kei-Chosrav: & aliud in Kûmus dictum Harîr. Erat quoque Pyréum dictum Ghanghdiz,*

diz, ad orienten Chinæ extructum per Siyâuſh: & aliud in Argjân Perſidis, quod extruxit Argjân Avus Hyſtaſpis. Hæc Pyréa fuerunt ante Zerduſht. Tum poſteà novum fecit Zerdùſht Pyreum in Neiſhâbur, & aliud in Pheſâ. Et Hyſtaſp juſſit ut exquireretur Ignis quem veneratus fuerat Gjemſhîd, quem invenientes in Chorzem, tranſtulerunt ad Darâbgjerd, & [iſte] *nominatus eſt Adur-chúra. Hunc præ cæteris venerantur Magi: cúmque Kei-Chôſrav exiret ad belligerandum cum Aferâſiyâb, eundem veneratus eſt coluitque. Dicitur autem Anuſhirravân fuiſſe qui eundem portavit in Caramaniam, ubi partem ejus reliquerunt, & aliam partem portârunt ad Pheſâ. Porrò in regione Græcorum eſt Pyréum quod ad Conſtantinopoleos portam erexit Shâbur filius Ardeſhîr, quod non deſiit uſque ad tempus Al Mahdi. Erátque in Eſphinîya propè Bagdâd Pyréum quod extruxit Bûrân* [l. Tûrân] *filia Coſrois. Et ſic in Indiâ & Chinâ erant Pyrèa. Erántque Græcorum tria Pyréa, quorum alibi meminimus: in eis autem non erat Ignis.* Plura Pyrea vide ſuprà p. 103.

In iſto *Shariſtánii* Paragrapho malè ſcripto, quærendum annon *Beràſun* perperam ſic ſcriptum fuerit pro خون سور *Chûdſûz?* & annon *Causîya* (in alio Exemplari كودسة *Cûniſa*,) ſit pro كسرية *Kiſrîya?* nam autores *Arabes* ſubinde ſolent errare in rebus *Perſicis*, uti & dictus *Shariſtáni* etiam alibi facit peſſimé. An *Kûmus* ſit pro *Kûm?* Et quid ſit *Harîr? Ghangh-diz* eſt *fictitius* locus, de quo infrà diximus. In altero Exemplari pro *Ghergher*, eſt كوكو *Cûcû*; utrumque malé. In uno Exemplari *Arabico* ſcriptum eſt انر خوا *Azur-chuwa*, in alio انر حون, quod cum optimâ ratione puto reſcribendum آنر خره *Azur-chura*, ut feci: nam hunc Ignem in *Caramaniâ* præ cæteris uſque hodiè venerantur Magi: ejúſque huc tranſlatio mira fuit. Pro *Eſphinîya*, in alio Exemplari legitur *Eſphilîya*, utrumque malé.

De *veteribus* Perſis fatendum eſt, quòd quamvis Deum Omnipotentem eumque ſolum divino cultu colant, omnia ejus Attributa agnoſcentes, eos tamen habere inveteratas quaſdam ſuperſtitiones præſtandi nimias cæremonias Elementis & Planetis. Unde *Epiphanius*, quaſi illorum miſertus, ait, Παρὰ Πέρσαις Μαγουσαῖοι καλούμενοι, οἱ εἰδωλα μὲν βδελυτ]όμενοι, εἰδώλοις τε προσκυνοῦντες, Πυρὶ, καὶ Σελήνῃ, καὶ Ηλίῳ. Sed illi interim, in hac parte cæcutientes, in his pergunt, non putantes aliquid mali eſſe in eis, quia ex animo verum Deum religiosè colunt: & ægrè ferunt ut propter externas quaſdam cæremonias, quas putant innocuas, habeantur *Ignicolæ* & *Idololatræ*. Hi itaque ineluctabili fato ab omnibus reputabuntur meri Idololatræ, quia exteri, talia videntes, exiſti-

exiſtimant totam eorum Religionem in illis viſibilibus cæremoniis conſiſtere, propter externam ſpeciem, dum internam animi intentionem non vident. Unde miſera eſt, in hac parte, hujus Gentis ſors, quòd reputentur Idololatræ, cùm ſint ſolius Dei Adoratores, nihil magis quàm Idololatriam odio habentes: dum totus Mundus, in eorum Religione deceptus, putet eos eſſe cultores Creaturarum, propter aliquas nugas quas illis tantùm civiliter præſtant. Unde eſt quòd fere nihil aliud de eis prædicetur, quaſi talia eſſent in eorum Religione ſummum & principale, cùm reverà ſint tantum irreptitia, veriori & antiquiori eorum Religioni orthodoxæ ſuperaddita, & cum proceſſu temporis interpolata: dum interim vera & principalis eorum Religionis *Teſſera*, maximè notatu digna, ſit *eorum à diluvianis temporibus de Deo orthodoxia, ejúſque ſolius Adoratio divina, dum Ignis & aliorum cultus* (ut planè aſſerunt) *ſit tantùm civilis, nec ea unquam vocent Deos: nullas neceſſitatum petitiones eis exhibendo, nec preces illis fundendo, ſed meras civiles laudationes eis præſtando, pro beneficiis quæ, Dei ductu, Mundo impertiuntur.* Vera autem eorum de Deo orthodoxia ab aliis prorſus ignoratur & tacetur, & nil niſi Idololatria & Ethniciſmus de eis interim prædicatur; propter aliarum Gentium de eorum Ritibus & Opinionibus Ignorationem, & cultûs eorum ſimilitudinem cum Idololatriâ. Et hoc prò pœnâ lucrati ſunt Perſæ, Religionem ſuam tam ſtudiosè celando: cùm Religionem & Linguam in quâ ſcribitur, peregrinis revelare ſit vetitum. Cùm itaque (ut diximus) id quod in eorum Religione *minimum* eſt, ubique Gentium circumferatur & celebretur ac propaletur, id verò quod reverà *maximum* eſt, prorſus omittatur & ignoretur; nos ſuſcepimus piam iſtam vero Deo devotam Gentem à tali vituperio vindicare, ut totus Mundus de eis in poſterum ſentiat meliora. Si enim comperîſſem Perſas *Solem* aut *Ignem* vocaſſe *Deos*, aut petitiones eis feciſſe, noluiſſem eos vindicare.

Omnia itaque quæ fiunt Igni, vel per Ignem, in eorum Eccleſiis, ſunt tantùm Apparatus ad mox ſequentem Dei cultum, in cujus gloriâ omnia deſinunt. Qualem autem erga Ignem reſpectum habent, teſtatur D. *Sanſon in Hodierno ſtatu Perſiæ*, qui de hiſce rebus collocutus eſt cum eorum Sacerdotibus, qui reſponderunt, *ſe tantùm credere Ignem eſſe omnimodo reſpectu dignum, cùm ſit omnium Elementorum puriſſimum.* Sed nunquam præcipitur eum پرستیدن *colere:* agnoſcunt enim eſſe merum Elementum, Dei Creaturam. Sic etiam teſtatur infra citatus *Am. Marcellinus, Quòd coram Igne, Magi mitrati, conſtru-*

entes lignis Ignem, preces accinunt invocato nomine Dei; ſcil. recitato nomine Dei: nam nihil ſine Dei nomine aggrediuntur, & quicquid faciunt, ad Dei gloriam fit. An hi ergò ſunt *Ignicolæ?* Abſit! Quales autem fuerint, ex ſequentibus meliùs conſtabit; ubi non tantùm Dei cultus ab eis affectatur, ſed & erga eundem cultum & Dei gloriam zelus monſtratur.

Supracitatus itaque *Tábari*, antiquus *Hiſtoricus Perſa*, de ſupradicto *Medorum* Rege penè antiquiſſimo refert, هوشنگ — پادشاهي كي زمين بگرفت وخلق را بخداي تعالي خواند *Hûſhangh — fuit Rex qui totam terram poſſedit, & populos ad Deum Excelſum vocavit:* ſcil. *Aſſyrios* & *Chaldæos*, qui ſub *præcedentibus* Monarchis fuerant Idololatræ, ſub ſuâ Monarchiâ *Medicâ* coëgit ad cognitionem & cultum veri Dei. Ab eodem *Tábari* & *Perſarum* Hiſtoricis omnibus, huic Regi tribuitur de Deo Liber hodiè extans, cui Tit. جاويدان خرد *Gjâvidân Chràd*, i. e. *Æterna Sapientia*; qui quidem Liber eſt omnibus Scriptis *Zoroaſtrianis* multò antiquior. Ab Ethniciſmo itaque procul fuit Autor, ut & *antiquiſſimi Medi* omnes. Idem *Tábari* in Vitâ Regis *Manûgjahr* narrat, quòd (quando, rupto cum Perſis fœdere, *Turcæ* fluvium *Gjeihun* trajecerunt Perſiam invaſuri,) convocatis Regni ſui Magnatibus & Proceribus, hæc verba ad eos fecit *Manugjahr* Rex, ايزد سبحانه وتعالي اين ملك مرا داد تا من اورا شكر وسپاس داري كنم ومملكت نگه دارم ورعيت را بنيكو دارم وداد كنم اندر ميان خلق تا خدا عز و جل اين ملك مرا افزون كند پس اگر ناسپاس كنم و شكر نكنم اين ملك از من باز ستاند ومرا بدان جهان عقوبت كند واين سبحانه وتعالي مرا از اهل ملكان آفريد وملك من داد ومن اين ملك را ضايع خواهم كردن &c. *Deus Sanctiſſimus & Excelſus hoc Regnum mihi dedit, ut ego Laudes & Gratiarum actionem ei haberem, & Regnum cuſtodirem, & Subjectos in bono ſtatu conſervarem, & inter populum exercerem juſtitiam; ut, hac ratione, Deus Optimus Maximus hoc Regnum mihi augeat. Nam ſi ingratitudinis reus non reponerem ei Gratias, is hoc Regnum mihi adempturus ſit, meque in altero Mundo affecturus tormentis. Cùm itaque Deus Sanctus & Excelſus me ex Regum ſtirpe creavit, & Regnum mihi dedit, ego hoc Regnum non amittam*, &c. Ex horum verborum tenore quivis ejus Fidem & in Deo Fiduciam facilè elicere poterit. Deinde idem Rex addidit,

addidit, *quòd ſi cras illum convenirent, prolixiore Oratione ſe illos excepturum, eúmque fuſiùs perorantem audirent.* Quod & fecit: nam craſtinâ luce coram omnibus habuit valdè prolixam Orationem, ſeu ad Nobiles & Milites Hortationem illam, quâ dictus Perſarum Rex exercitum ſuum excepit, quo tempore *Orientales Scythæ* (quos *Turcas* appellat) è territoriis ſuis eruperunt Perſiam invaſuri. Ex dictâ Oratione excerpſimus hæc pauca ſequentia: منوچهر بر تخت مملکت بنشست وتاج بر سر نهاد وموبذ موبذان را بر کرسي زرين برابر تخت بنشاند واو مهتر موبذان بود و مهتر همه عالميان آن زمانه — خطبه کرد وايشان را پند داد و بابتداء خطبه ايزد سبحانه و تعالي سپاس داري کرد پس گفت اي مردمان اين چنين خالق کي شما همه ببينيد بدين بسياري اين همه را يکي خالق آفريدگارست وبر کسان نعمت از ويست واين خلق را او آفريد واورا بايد پرستيد وبنعمت او سپاس داري کردن وخويشتن بقضاي او دادن وهر چه بودني چاره نيست که نباشد و هيچ چيز ضعيفتر از مخلوق نيست واگر اين مخلوق چيزي بجويد نيابد وهيچ قوي تر از خالق نيست زيراکه هر گهي که اين مخلوق را بجويد بدست آرد و بدست او اندرست پس از همه خلق خالق قوي ترست — واين تعالي مارا از بزرگي خويش اين فضل داد و ما اورا سپاس داريم واز وي آن خواهيم که مارا براه راست بدارد ودل ما بر يقين نگاه دارد و ما بدانيم که اين همه از ويست و مارا باز گشت بدو *Manûgjahr ſuper Solium Regni ſedit, & Coronam capiti impoſuit, & Præſulem Præſulum in Cathedrâ aureâ è regione Solii collocavit. Is erat præcipuus Præſulum & præcipuus omnium Doctorum ejuſdem temporis. — Deinde Orationem habuit, eiſque conſilium dedit. Et in initio Orationis ſuæ, Deo Sanctiſſimo & Excelſo gratiarum actionem fecit: & deinde dixit, O viri, iſtius populi, quos tantâ multitudine videtis, unus eſt Creator & Conditor, & hominibus impertita Beneficia ſunt ab eo; ideóque ei oportet ſervire, & pro Beneficiis ejus gratias agere, & noſmetipſos illius determinationi permittere. Quicquid enim exiſtit, non poteſt non eſſe: & nihil debilius eſt Creaturâ: nam ſi iſta Creatura aliquid quærit, non invenit. Atque nihil fortius eſt Creatore: nam ſi is quovis tempore iſtam Creaturam quærit,*

rit, mox in manu ſuâ habet, & in manibus ejus eſt, i. e. in Poteſtate ejus. *Ideóque omni Creaturâ fortior eſt Creator.* Deinde poſt alia multa, ſubjungit ſequentia, *Et Deus, ex magnificentiâ ſuâ, hunc favorem exhibuit nobis, & nos ei gratias habemus: & ab eo hoc petimus, ut nos in viâ rectâ contineat, & cor noſtrum in veritate cuſtodiat. Nam nos ſcimus, quòd totum hoc* [ſcil. Turcarum Invaſio] *eſt ab eo, & nobis ad eum eſt Reditus.*

Ex hâcce dictæ Orationis particulâ poſſumus hominis Fidem & orthodoxam erga Deum Religionem agnoſcere: nulla enim mentio illius temporis Mithræ, ſed ſolius Dei, in quo ſuam confidentiam ponit, ad ſolum Deum confugit convolatque, & ad eum ſuas Preces dirigit. Quamvis itaque illis temporibus uſitatas Cæremonias & Reverentiam perſolverent Mithræ, conſtat tamen eos illum non coluiſſe, cùm neceſſitatis tempore ad illum non confugerent nec invocarent, nec in eo, ſed in ſolo Deo confiderent. Impoſterum itaque abſit Cenſura quæ injuſtè taxat eos de divino aliquo cultu exhibito Mithræ aut Igni: nam iſti veteres Perſæ non loquebantur ut tales Mithriaci. Et inter alia hujuſmodi Teſtimonia quæ de aliis *Perſarum* & *Medorum* Regibus inveniri poſſunt, accipe hoc de *Lohrâſp*, ex *Ahmed Ibn Jûſuph* Hiſtorico Arabe, لما كان يوم المهرجان تنسم لهراسب سرير الملك واعتصب بتاج السلطنة فحمد الله و اثني عليه ثم قال ايها الحاضرون استعشروا الخوف من الله عز و جل المنزه القاهر الذي اجري البحار ونصب الجبال و رفع السما وجعلنا في الارض ذات الطول والعرض كنمال دارجة علي كرة في مقعر الفلك *Quando fuit dies Mihragjân*, [ſeu Æquinoctium autumnale,] *Lohrâſp inauguratus in Solio Regni, & redimitus coronâ imperii, laudavit Deum & gratias egit ei: & mox dixit, O qui præſentes eſtis, concipite animo timorem Dei Glorioſiſſimi & Sanctiſſimi & Omnipotentis, qui curſum dedit Maribus, & firmiter ſtatuit Montes, & elevavit Cœlum, & conſtituit nos ſuper Terrâ longitudine & latitudine prædità ſicut Formicas reptantes ſuper Tumulo-formicario in hac Sede Orbium*, ſcil. in Terrâ quæ eſt Centrum Orbium cœleſtium.

Iſte *Turcarum*, ſeu *Orientalium Scytharum* Rex, qui (ſec. *Tábari*) dicto modo *Perſiam* & *Mediam* invaſit & eandem occupavit, fuit آفراسياب *Apherâſiâb*, qui (ſec. *Emir-Chond*) poſtquam Perſiam poſſederat XII annos, à Perſis tandem profligatus & exactus eſt. Is fuit filius τῶ پسنگ *Puſhàngh*, ex *Tûri* familiâ, *Aphridûni* nepos. At *Emir-*

Emir-chond ponit ſupradictam Perſiæ Invaſionem non fuiſſe tempore *Manûgjâhri*, ſed tempore τοῦ نودر *Nûdar* immediatè ſuccedentis Regis, nepotis *Aphridûni*, qui circa VII annos regnavit: nam *Apherâſiâb* audiens *Nûdar* eſſe Gubernationi ineptum, eam captavit occaſionem obruendi illum.

His, quæ de Medicorum & Perſicorum Regibus dicta ſunt, addatur id quòd ex S. *Scripturâ* conſtat, ſcil. *Darium Medum* planè cognoviſſe & agnoviſſe verum Deum, eúmque coluiſſe, uti colligitur ex ejus verbis in Libro *Danielis* & ad *Danielem*, *Deus tuus, quem colis, te liberabit:* & poſteà, *O Daniel, ſerve Dei viventis!* in contrarium Numinum mutorum quæ colebant Gentes. Prætereà ad ſummum Magiſtratum extulit *Danielem* Dei ſervum, & juſſit ut omnes colerent Deum *Danielis*. Iſte ergò Rex, durante tempore regni ſui, quod fuit breve, probabiliter deſtruxit *Babyloniæ* Idola, & ad veri Dei fidem vocavit *Chaldæos* anteà ſubditos *Belteſhâſſari*, cui ſucceſſit.

Et ſi hinc deſcendimus ad *Cyrum* & *Hyſtaſpem*, planè inveniemus eos verum Deum agnoſcentes & colentes. Et longè poſthac, ſuo tempore, *Porphyrius* docuit, Magos eſſe ſolos qui Numen colerent, ut poſteà ex ejus verbis infrà adductis monſtrabitur, uti etiam ex *Laertio* monſtratum fuit: Deum enim verum colebant, quod circumpoſitæ nationes non faciebant.

Deinde iſtam Diſquiſitionem deducendo ad tempora Perſarum regis *Ardeſhir Babecân*, de quo ſupra; & ad tempora *Anuſhirravân* qui *Juſtiniano* Imperatori coævus, inveniemus apud *Symeonem Sethum* in Prolegomenis *Sapientiæ Indorum*, *Perzoëm*, dicti Regis Archiatrum, confitentem veram Religionem, orthodoxam de Deo & Reſurrectione & futuro ſtatu fidem. Iſte پرزویه *Perzûya*, is erat qui pro ſuo Rege ex *Indiâ* attulit dictum Sapientiæ Librum, (in quo Perſonæ ſunt *Culîle* & *Dimne*, ſeu Στεφανίτης & Ιχνηλάτης, viz. Indorum *Rex* & *Veſtigiator* qui *Philoſophus*,) eúmque Perſicè vertit: quo opere æternam apud Perſas laudem meruit, & à Rege voluit ut بزرجمهور *Buzurgjúmhur*, (ibi dictus Περτζετζέμχαρ,) præcipuus Conſiliarius & Secretarius, Regis juſſu, totam *Perzois* Vitam ab infantiâ ad adultiorem ætatem deſcriberet, quod & fecit. Hæc videri poſſunt etiam in Libro انوار سهيلي *Anwâar Soheili*, i. e. *Flores Soheilæi*.

Atquë ut veterum Medorum & Perſarum Fidei veritas ex antiquorum Scriptis elucet, ſic & eadem ad hodiernum uſque Diem continuata (nam ſuæ Religionis & Rituum ſunt valdè tenaces,) apud eorum Sobolem retinetur, ubicunque ſint; uti teſtatur D. *Tavernier* de

Cara-

Caramania, & D. *Sanſon* de *Iſpahân Perſidis:* & idem ex veterum Perſarum Converſatione in *Indiâ* teſtatur D. *Ovington* in *Itinerario Surattenſi*, *Agnoſcunt & adorant unicum Deum ſupremum, qui (ut eſt omnium rerum Principium,) primum cujuſque Menſis Diem ſolenni cultûs ipſius celebrationi dedicant*, &c. Scil. cùm is eſt omnium rerum Principium, ergò Menſis Principium ei dedicant & ab eo denominant. Et D. *Mandelſlo* in *Itinerario Indico* refert; *Veteres Perſæ credunt unum tantùm Deum, qui univerſi Mundi Conditor & Conſervator, in omnibus rebus ſolus & immediatè agens. Credunt tamen eum habere multos Servos Angelos, præſertim Septem, qui res Mundanas obſervant eique renuntiant. Ignem quoque multùm æſtimant, quia repræſentat Deum.* Ogilvius in *Perſiâ* p. 46, *Orant ter quovis die, mane, meridie, & veſperi, & credunt in unum tantùm Deum, omnium rerum conditorem, inviſibilem & omnipotentem: ideóque* Mohammedani *injuſtè eis tribuerunt nomen* Gavrorum, *ſeu Idololatrarum.* Et poſt teſtimonia affirmativa, quòd reverà colunt Deum; addam teſtimonium negativum, quòd non colunt Ignem cultu aliquo divino, ſed tantùm civili: idque ab amico qui, ex colloquio cum Perſarum Sacerdotibus in Indiâ, ſcripto mihi retulit eorum rationem honorandi Ignem non ut Deum, ſed ut Dei Creaturam glorioſam: ſcil. *quia Zoroaſtres in cœlum raptus, non vidit Deum, ſed audivit eum colloquentem è medio Ignis; quem itaque tanquam Dei virtutem accepit, & in terram ſecum portans, eundem honorandum præſcripſit. Ideóque primo ingreſſu in Pyreum, dum omnes ad X pedum diſtantiam circumſtant Ignem, Sacerdos præfatur, Quòd quia Ignis Sacer à Zoroaſtre acceptus fuit à Deo tanquam Virtus & excellentia ejus, & quia miraculis confirmatâ Lege cautum eſt ut iſte Ignis honoretur, ideò debent eundem tanquam Divinitatis particulam venerari; & ſic Solem & Lunam & omnes res Ignem referentes; veniam etiam precantes ſi fortè talem Ignem inopinato inquinaverint.*

Si hæc non ſufficiunt ad monſtrandum hujus populi orthodoxam de Deo opinionem, & piam atque devotam in eo ſolo intemeratam Fidem, in hujus Operis ſequelâ adducuntur ejuſmodi plura, tam *aliunde*, quàm ex eorum Authentico Libro *Sad-der*, ubi orthodoxa Religio antiqua exhibetur, & ad hodiernam diem continuata præſcribitur ſequenda. Ideóque non obſtante, quòd eorum orthodoxa Religio antiqua, aliquot Additionibus & ſuperſtitioſis nugis interpolata fuerit, non tamen eſt deleta, quin ab initio primam illam rectam de Deo ſententiam teneant adhuc inconcuſſam & intemeratam, ut ex quotidianâ eorum praxi ſatis liquet, & omnibus eorum res & Religionem

rectè

rectè perſpicientibus notum eſt. Cùm itaque cultu divino unicè colant verum Deum ſolum, ejúſque Unitatem aſſerant, & præter eum nihil habeant quod vocent Deum, (ut ſuprà innuimus,) certè indignè factum eſt à Græcis & aliis in Religionis eorum *minùs* principalem partem inſiſtendo, polytheiſmum illis impingendo, & alias præter Deum res, Perſarum Deos vocando; & interim omittendo Religionis eorum *magis* principalem & præcipuam partem, ſcil. quòd Deus excelſus ſit unicus eorum Deus, & quòd ille ſolus ſit qui divinâ adoratione ab eis adoretur. De illorum Pietate erga Deum, vide plura ubi de Magis Chriſti Viſitatoribus agitur, & poſteà in Capite ubi Perſarum Fides orthodoxa docetur & explicatur.

CAP. IX.

Perſarum primitiva Principia duo, unum æternum, alterum creatum: cum utriuſque Nominibus. Hæc Zoroaſtres vocavit Lucem & Tenebras. Opiniones de Deo. Creatio Mundi in VI Temporibus, quorum nomina & deſcriptiones in medium adducuntur. Solennis eorundem obſervatio ſtrictè injuncta Perſis, in memoriam operum Dei.

VEterum Perſarum Fides orthodoxa primitiva, quæ poſteà in *Abrahami* doctrinâ atque in *Moſaicæ* Hiſtoriæ veritate confirmata, poſuit Unicum Boni Principium *æternum*, quod fuit *Deus*, eorum linguâ dictus يزن *Yezàd*, ſeu ايزن *Izàd*, vel *Izid*, (vulgò *Izud*,) ſive aliàs يزدان *Yezdân*. Hæc fiunt à Verbo يشتن *Yeſhten* (in Futuro يزن *Yezàd*,) *ſupplicare*, *intercedere*, q. d. *Supplicandus:* & Futurum nominaſcens migrat in *Nomen* Dei. Aliud ejus nomen eſt اورمزد *Ormùzd*, ſeu هرمز *Hormùz*, vel هرمزدا *Hormízda:* & junctim cum recentiore nomine, هرمزدا خدا *Hormízda Chodâ, ô ſumme Deus!* Hinc apud Græcos Scriptores Ωρομάσδης. Hocque nomen *Hormùz*, ſeu *Ormùzd*, aliquando ad *Jovem* planetam transfertur. Apud vetuſtiſſimos Hebræos *Deus* erat אלוה *Elóah*, i. e. *qui colitur*, ſæpè in plurali אלהים *Elohîm*, honoris causâ, ut & alia quædam Dei nomina in Ling. *Heb.* Hinc *Chald.* אלה *Elâh*, *Syr.* ܐܠܗܐ *Alóho*, *Arab.* الاه *Iláh* (cum Articulo الله *Allâh,*) ab الاه *Alaha*, *coluit*, *adoravit*.

Deinde poſuerunt aliud Mali Principium *creatum*, quod fuit آهاريمن *Ahâriman*, ſeu اهرمن *Ahreman*, ſive اهريمن *Ahrîman*, & metri causâ اهريمنان *Ahrimanân:* unde fit apud Græcos Perſicarum rerum Scriptores

tores Αρειμάνιος. Hoc nomen conflatum eſt ex اهار *Ahâr* & ريمن *Rîman*, quæ ſunt Synonyma quibus ſignificatur *Spurcus*, *fœdus*, *pollutus*; & hiſce geminatis, *valdè pollutus*, ſeu *ſpurciſſimus*. Quin & cum aliâ vocali, ريمن *Raiman*, ſeu *Reiman*, eſt *Deceptor*, *fraudator*, quod genuinum Diaboli Attributum. Dictum *Diaboli* nomen in eorum *Libris* antiquis, deteſtationis causâ, plerumque ſcribitur everſum, hoc modo, ʃʋɹɔɐɯ *uvuuɹɔɐɯ*, quod illis peculiare; ſummum, hac ratione, faſtidium & dedignationem atque à Diabolo averſationem oſtendentes, utpote qui ſit peſſimus humani generis hoſtis. Apud moderniores is vocatur ديو *Dîv*.

Talia etiam ſunt duo Boni & Mali Principia apud *Peruvianos*: unde conſtat eos non fuiſſe ita prorſus à reliquo humano genere disjunctos, quin habuerint notitiam Hiſtoriæ Creationis. Apud veteres Græcos nullum extat *Diaboli* nomen, nec de eo aliqua mala Notio, ut Spurci aut Nequam: ſed *Pluto* habitus eſt Inferorum Gubernator ſatis honorabilis, qui ſicut Lictor præeſt Pœnis irrogandis. Δαίμων *Genius* erat indifferens, ſive Ευδαίμων, ſive Κακοδαίμων. In vetuſtiſſimâ Linguâ *Hebræâ* is nominatus fuit שטן *Sâtân* Σατανᾶς, *Adverſarius*, unde *Syrorum* ܣܛܢܐ *Sotóno*, & *Arabum* شيطان *Sheitân*. At *Arabum* ابليس *Iblîs* per aphæreſin factum eſt à veterum Chriſtianorum Epitheto ejuſdem Διάβολος *Calumniator*, *accuſator*, qui quotidie accuſat pios coram Deo. Hinc nomen *Diable* & Divel. Hæc autem de eo Notio deſumpta eſt ab Heb. *Sâtân*, unde etiam veteribus *Judæis* & *Syris* dictus fuit ܒܥܠܕܒܘܒ *Beeldebóbo*, ſeu *Beeldevóvo*, i. e. *Dominus inimicitiæ*, *Inimicus*: hinc in *Novo Teſt.* Βεελζεβούβ. Ab hoc autem longè diverſus fuit in *Vet. Teſt.* Βεελζεβούβ Ekronitarum *Dominus muſcarum*; de quo in antecedentibus diximus. Cum ſuperioribus coincidit *veterum Anglorum* Epithetum the foul fiende, i. e. *ſpurciſſimus ille adverſarius* ſeu *inimicus*, qui in Novo Teſt. *Impurus* ſeu *immundus ſpiritus* vocatur. Ita ut omnes ubique Gentes (exceptis veteribus Græcis,) de Diabolo eandem opinionem retinuerunt. Varia Dei Nomina & Attributa in penè ſeq. cap. habebis.

Ejus autem quod ad Perſas ſpectat ſummam habeto ex *Ibn Shahna*, Arabe Mohammedano, in Libro *de Primis & Poſtremis*, qui refert,

امة الفرس — وله ملة قديمة يقال لعلمايها الكيومرثية اثبتوا الها
قديما و يسموه يزدان يعنون به الله والها مخلوقا من الظلمة
ويسموه اهرمن يعنون ابليس يعظمون النور حتي يعبدوا النار
ويحترزن

ويحترزون من الظلمة و لا برحوا كذلك حتي ظهر زردشت الذي
ادعي النبوة فقالوا بالباري واذه خالق النور والظلمة واذه واحد لا
شريك له وان الخير والشر والصلاح والفساد انما حصل من امتزاج النور
والظلمة و لو لم يمتزجا لما كان وجود العالم ولا يزالا يمتزجا
الي ان يختص الخير الي عالمه والشر الي عالمه — وهذا دين المجوس

Quoad Perſarum Gentem —— ei eſt Religio pervetuſta: & in eâ Docti vocantur Keiomarſii. Iſti ſtatuunt aliquem Deum æternum, quem vocant Yezdân, eo deſignantes τὸν ΘΕΟΝ: *& alium deum creatum ex Tenebris, quem nominant Ahreman, deſignantes Diabolum. Magnifaciunt Lucem, eò uſque dum colant Ignem: & cavent ſibi à Tenebris. Nec deſtiterunt ſic facere, donec prodiit Zerduſht jactans prophetiam. Aſſerunt itaque Deum Creatorem, quòd ſcil. creavit Lucem & Tenebras: eúmque eſſe Unicum, nec habere Socium. Et quòd Bonum & Malum, & Probitas & Improbitas conquiſita ſunt ex mixtione Lucis & Tenebrarum: &, quòd ſi hæc duo non fuiſſent mixta, non extitiſſet Mundus: &, quòd hæc duo hoc modo mixta non deſinent, donec Bonum approprietur Mundo ſuo, & Malum Mundo ſuo*; [i. e. utrumque horum tandem concedet ad Mundum ſibi proprium, ſcil. in fine Mundi.] —— *Et hanc eſſe Religionem Magorum.* Hæc habebis poſteà ex aliis autoribus confirmata & pluribus tradita.

Quia verò quædam eorum quæ aliquando de Deo dicuntur, ejus naturæ non ſatis competere cenſeantur, Libri *Pharh. Gj.* Autor, magis accuratè diſtinguendo, exponit quòd *Yezdân*, Dei nomen, aliàs accipiatur pro ملك رهنماي نيكيها *Angelo Ductore*, ſeu *Directore, ad res bonas*; & *Ahreman* eſſe شيطان رهنماي بديها *Diabolum directorem ad res malas*; *idque* (inquit) *ſecundùm opinionem* المجوس الثنوية *Magorum Dualiſtarum, apud quos horum prior habetur* فاعل الخير *Agens Bonum, poſterior* فاعل الشر *Agens Malum: hocque* (infit) *eſt,* والله منزه من العمل الخير والشر *quia Deus ipſe exemptus eſt ab agendo vel Bonum vel Malum.* Vult nempe quòd Deus ſit in Abſtracto, Bonitas ipſa, & puriſſima Eſſentia, ab omni vel Boni vel Mali impreſſione ac paſſione prorſus exempta & immunis. Qui enim cautè & philoſophicè loquuntur, benè perpendentes quid dicunt, prædicant Deum eſſe بيچون وبيچند *Sine qualitate & ſine quantitate*, &c. et quando inter loquendum dicunt آن بيچون *Ille qui qualitatum expers*, intelligitur *Deus.*

Dualiſtas meliore ſenſu accipit laudatus Autor: nam aliàs *Dualiſtæ* Diaboli cöæternitatem aſſerunt. Sunt enim ex *Indo-Perſis* & Dualiſtis *Manichæis* aliiſque Hæreticis (ut quidam ſunt in omni Religione) qui opinantur Diabolum à ſeipſo proceſſiſſe, ut loquuntur, i. e. æternum fuiſſe, & malos Angelos ſibi creâſſe: ſed eſt Hæretica opinio, eáque ignorantium quorundam hominum qui peculiariter vocantur الثنوية *Thanavîa*, i. e. *Dualiſtæ*, ſeu اصحاب الاثنين *Domini duorum*, ſcil. *Aſſertores* ſeu *Autores duorum principiorum*; *qui* (inquit Shahriſtâni,) *Lucem & Tenebras*, ſeu *Deum & Diabolum, ſtatuunt duo Principia coæterna, in contrarium Magorum, qui Lucem æternam, & Tenebras creatas ponunt.* Iſti tales fuerunt, qui *Oromazen* & *Areimanium duos eſſe Deos aſſerebant*, ut *Plutarchus* lib. *de Iſide & Oſir.* De præcipuis autem Magorum & Perſicæ Religionis opinionibus fuſiùs dicetur in ſuo loco. Interim in genere (ait *Shahriſtâni) In Magorum Religione ſunt Sectæ LXX, in eâ Judæorum LXXI, in eâ Chriſtianorum LXXII, in eâ Muſlimorum* ſeu *Mohammedanorum LXXIII.*

Loco ejus quod nos *Hexaëmeron* vocamus, veteres Perſæ credunt Deum creâſſe Mundum in ſex گاهان *Ghâhân*, ſeu *Temporibus:* quæ etiam in *Ph. Gj.* vocantur ἑξάχρονον ششگاه, reſpiciendo ad شش روز *ſex dies quæ in* کتب سماوي *Libris cæleſtibus*, ſeu *Bibliis Sacris, memorantur: idque faciunt* از قراري که در زند مسطورست *ex Regulâ quæ in Libro Zend exarata eſt*; viz. putantes, in tam grandi Opere, *Diem* eſſe pro *Collectione Dierum.* Hanc quidem doctrinam hauſerunt à *Zerduſht*, ut dicit Libri *Pharhàngh Gihânghîri* Autor. Idem quoque affirmat *Shâh-Cholgi*, وايشان نقل ميكنند از زردشت که خداي تعالي عالمرا بشش گاه بيافريد *A Zerdùſht habuerunt traditionem, quòd Deus Excelſus creavit Mundum in ſex Temporibus.* Horum VI Temporum feſtivalis obſervatio rigidè injungebatur. Nam in Libro *Sad-der*, ab *Eſpintamân* (i. e. à *Zerduſht,*) mandatum eſt, ut quiſque obſervet خو گهنبار *Conſuetudinem* ſeu *ritum Ghahanbâr:* &, ſi unus non poterat, ut duo aut tres aut quatuor junctim id facerent. Sunt ex eis qui putant hæcce VI Tempora fuiſſe antiquiora Zoroaſtre: nam in eodem Libro *Sad-der*, cap. 94, traditur, Deum de hiſce Temporibus primò monuiſſe Perſarum veterem Regem جمشيد *Gjemſhîd*, qui poſtquam, ope Angeli *Béhman*, profligaverat famelicum aliquem & eſurientem Diabolum, qui ſub humanâ ſpecie ejus Culinam inſatiabilis frequentabat, is inde horum temporum obſervationem indixit: &, quòd tandem

dem *Zerdusht* eorundem ulteriorem obſervationem renovavit & confirmavit. Hoc autem fortè fabuloſum ſit: videtur enim quòd *Zerdùsht* ea primus inſtituit, & Perſis obſervanda injunxit.

Hæcce VI Tempora apud *Olug-Begum* vocantur كهنبارها, quod D. *Gravius* in Verſione ſuâ non ſatis rectè legit *Kahenbarha*, neſciendo quid nominis eſſet. Apud D. *Golium*, in Notis ad *Alferganium*, *Arabicè* ſcribitur جاهنبار *Gjâhanbâr*, pro گاهنبار, quod D. *Golius* perperam intelligens, quaſi eſſet *Kuhunbâr*, exponit *Antiqua Periodus*, ſenſu quidem ſat commodo, ſed non vero: nam veram nominis vim non percepit, propter defectum trium punctorum ſupra literam Perſicam *Ghâph*; quod tamen colligere debuerat *Golius* ex Arabicâ ſcriptione per literam *Gjîm*, quæ ſemper reſpondet Perſicæ *Ghâph*. Dictum autem Nomen *Shâh-Cholgi* rectè ſcribit گاهنبارها *Ghâhanbâr-hâ*, i. e. *Temporum vices*, contractè (ut ſolent) pro گاهان بارها *Ghâhân-bârhâ*: nam *Ghâh* eſt *tempus*, & *Bâr* eſt *vicis*, quibus utriſque additur terminatio pluralis. Aliquando legitur گاه بارها *Ghâh-bârhâ*. Omne autem in hoc nomine legendo & intelligendo dubium tollit Liber *Sadder*, ubi veteribus characteribus id ſcribitur



Ghâhanbârhâ; nam *antiquæ* Perſarum *literæ* non ſunt ſono ambiguæ. De hiſce VI Temporibus vide plura in *Perſico* Commentario ad *Tabulas Ilchanicas* inter Codices *Huntingtonianos*. Sed notandum eſt, quòd quamvis *Ghâh (tempus)* in hoc dicto Nomine contineatur, de hiſce tamen *Temporibus* loquendo, quaſi pleonaſticè, eandem voculam rurſus præponunt: ex. gr. de primo *Tempore* loquendo, dicunt, گاه گاهنبار نخستین *Ghâh tũ Ghâhanbâr primi*: & ſic de reliquis. Aliàs aliquando id efferunt, eandem vocem *Ghâh* ſingulorum *Temporum* nominibus poſtponendo, ut in Libro *Sad-der* legitur پیتیشهم گاه *Pîtîſhahim-Ghâh*.

De dictorum Temporum Nominibus Nominumque Ordine, & de Dierum Numero in genere, & de Creationis Ordine, inter omnes eorum Autores convenit: ſed de Temporum ſitu, ſcil. quo menſe ac die & quâ parte Anni incipiunt, non item. Hinc, quâ Anni parte ſecundùm illarum ſententiam inchoata fuerit Creatio, incertum relinquitur. Id autem quod nobis videtur, in ſequentibus dicetur. *Perſæ* quidem omnes Annum inchoabant à Menſe *Martio*, qui ſec. recentiores, in *Epochâ Gjelalæâ*, eſt *Phervardîn*; ſecundum antiquiores (exceptâ Anni vagatione,) erat *Adur*. In Libro *Sad-der*, & in Autoris

Angjou Libro *Pharhangh Gjîhânghîri*, Temporum Nomina hoc ſeq. ordine veniunt.

I. Primum Tempus eſt مەیدیوزرم *Mid-yûzeram*, continens XLV dies, quibus creati ſunt Cœli.

II. Secundum in *Ph. Gj.* eſt مەیدیوشم *Mid-yûſham*, in *Sad-der* مەیدیوشهم *Mid-yûſhaham*, LX dierum, quibus creatæ ſunt Aquæ.

III. Tertium in *Ph. Gj.* پیتیشهیم *Pîtîſhahîm*, in *Sad-der* eſt پیتیشهم گاه *Pîtîſhahim-Ghâh*, LXXV dierum, quibus creata eſt Terra

IV. Quartum in *Ph. Gj.* ایاسرم *Iyáſeram*, in *Sad-der* eſt ایاذرم *Iyáſeram* eodem ſono, (ſeu ایاشهرم *Iyáſhehram*, ut in alio Exemplari,) XXX dierum, quibus creatæ ſunt Arbores.

V. Quintum tempus eſt مەیدیارم *Midiyârîm*, LXXX dierum, quibus creatæ ſunt Creaturæ omnes.

VI. Sextum tempus eſt هەمسپیتەمیدم *Hameſpîtamîdîm*, LXXV dierum, quibus creatus eſt Homo.

Libri *Ph. Gj.* Autor addit, Tempore V^to^ creatas fuiſſe Beſtias & Aves CCLXXXII سردە *Serda*, ſeu *generum*; quæ, ſi bifariàm diviſæ, Beſtiarum genera erant CLXXII, Avium CX. Sic ille: & fides ſit penes Autorem. Dicti autem dies, in unâ ſummâ numerati, ſunt CCCLXV, quibus unus integer Annus, ſeu totum Creationis Tempus, abſolvitur.

Dictorum VI Temporum Initia ſequuntur ſec. Perſicos Autores; qui tamen de eis diſcrepant, à ſe invicem & à veritate diſſentientes, nec analogam dierum partitionem inſtituentes; quaſi non poſſent computare. Utcunque ea ſecundùm illos exhibebo: & poſteà id quod rectius erit, ſtatuere conabor. Dabo ea, *Primò* prout D. *Golius* habuit, ex Tabulis کوشان گیلی *Kouſhân Ghilæi*. II, ex Tabulis univerſalibus نوشیاء حکیم *Nouſhiyâi Hakîm*, (qui fortè idem ſit cum præcedente,) prout citatur in Libro *Ph. Gj.* III, ex ipſo Libro *Ph. Gj.* Autore *Ibn Phacreddîn Angjou Indo-Perſâ* Mohammedano, qui prætendit ſequi Menſium Ordinem antiquam, ſed reverà ſequitur Ordinem recentiorem. Sed cùm horum Temporum obſervatio fuerit Inſtitutum *Zoroaſtris*, vel fortè antiquioris *Gjemſhîd*, proculdubiò illa ſec.

Menſes

Menſes veteres accipienda ſunt, prout mox in ſequentibus rectiùs ſtatuetur. IV, ex Libro *Sad-der* ſec. uſum *Indo-Perſarum Magorum*. Sed in his computandum eſt ſecundùm Menſes *Perſicos* qui omnes ſunt *æquales*, conſtantes *Tricenis* diebus, non autem ſecundum Menſes *Latinos*, qui ſunt *inæquales*. Quando numerant XXXI, intellige primum Appendicum. Si autem *Kouſhân* & *Nouſhiâi* ſunt idem Autor, eſt tamen differentis Exemplaris diverſa lectio, quâ in parte aliquid lucramur.

I, *Sad-der*	11	*Ardibehiſht* ſeu *Aprilis* Gjelalæi.	IV, *Sad-der*	26	*Mihr* ſeu *Septembris* Gjelalæi.
Angjou	15		*Angjou*	26	
Kouſhân	25		*Kouſhân*	15	
Nouſhiyâi	26		*Nouſhiyâi*	15	
II, *Sad-der*	11	*Tîr* ſeu *Junii* Gjelalæi.	V, *Sad-der*	16	*Dey* ſeu *Decembris* Gjelalæi.
Angjou	16		*Angjou*	16	
Kouſhân	25		*Kouſhân*	11	
Nouſhiyâi	26		*Nouſhiyâi*	11	
III, *Sad-der*	26	*Shahrîvar* ſeu *Auguſti* Gjelalæi.	VI, *Sad-der*	31	*Iſphendârmaz* ſeu *Februarii* Gjelalæi, vel (ut dicti Autores exprimunt,) primo Appendicum, quando veniunt in fine Menſis *Iſphendârmaz*.
Angjou	26		*Angjou*	31	
Kouſhân	16		*Kouſhân*	31	
Nouſhiyâi	16		*Nouſhiyâi*	31	

Sex Temporum Initia ſecundùm Menſium Ordinem antiquum: I, ex *Shâh-Cholgji* Tabulis *Perſicis*. II, ex *Naſſireddîni* Tabulis *Ilchanicis*, prout citantur in Libro *Ph. Gj.* III, ex *Olugh-Beighi* Tabulis *Perſicis*.

I, *Shâh-Ch.*	11	*Dey* antiqui ſeu *Aprilis*.	IV, *Shâh-Ch.*	26	*Chordâd* ſeu *Septembris*.
Naſſired.	15		*Naſſired.*	26	
Olugh. B.	11		*Olugh B.*	26	
II. *Shah-Ch.*	11	*Iſphendârmaz* ſeu *Junii*.	V, *Shâh-Ch.*	26	*Shahrîvar* ſeu *Decembris*.
Naſſired.	11		*Naſſired.*	26	
Olugh. B.	11		*Olugh B.*	16	
III, *Shâh-Ch.*	26	*Ardibehiſht* ſeu *Aprilis*.	VI, *Shâh-Ch.*	31	*Abân* ſeu *Februarii*, ſc. primo Appendicum, quando veniunt in fine Menſis *Abân*.
Naſſired.	26		*Naſſired.*	31	
Olugh B.	26		*Olugh B.*	31	

Ab his omnibus diſcordat *D. Lord*, (vel Sacerdos qui ejus informator,) diverſo ordine ea recenſens; prout apud eum videre eſt. Et ſanè ex omnibus dictis horum Temporum Indicibus, ſeu Catalogis, conſtat Temporum Initia eſſe confuſa, & omnes Autores Perſicos de eis ſtatuendis inter ſe diſcrepare: ita enim Initia ſtatuunt, ut non interponatur

natur ſat dierum diſtantia, prout ea ſingulis Creationis Actibus ab illis annumerari ſolent. Quamvis verò de Diebus Initialibus diſcrepetur, inter omnes tamen convenit de Menſibus & de Dierum Numero, & de Initio VI^ti Temporis, quòd ſcil. fuerit die *Ahnavàd*, ſeu primo Appendicum in fine Anni tam antiqui quàm recentioris. Adeò ut tam apud antiquos quàm apud recentiores, ultimi Creationis Feſti *Quindium*, ſeu *Pentaëmerum*, coinciderit cum Feſti Appendicum *Quindio* poſteriori. Nam Appendicum Feſtum totum conſtat integro *Decendio*, ſeu *Decaëmero*, quod incipit XXVI^to die menſis ultimi.

At ſi volumus eorum παροράματα caſtigare & emendare, & Creationis Feſta & Tempora rectiùs conſtituere ſecundùm Dierum Numerum & Situm ſingulis aſſignatum, oportet notare, Feſti ultimi Initium eſſe certum, ſine ullâ inter eos diſcrepantiâ; unde ejuſdem ductu, de reliquis ſtatuere licebit, ſequente modo ſecundùm menſium Ordinem antiquum.

I, Creatio Cœlorum XLV diebus, incipiens ab XI *Behman*, durabat ad XXV *Iſphendârmaz*, utrinque incluſivé.

II, Creatio Aquæ LX diebus, à XXVI *Iſphendârmaz* ad XXV *Ardibehiſht*, utrinque incluſivé.

III, Creatio Terræ LXXV diebus, à XXVI *Ardibehiſht* ad X *Mordâd*, utrinque incluſivé.

IV, Creatio Arborum & Plantarum XXX diebus, ab XI *Mordâd* ad X *Shahrîvar*, utrinque incluſivé.

V, Creatio Creaturarum ſeu Animalium LXXX diebus, ab XI *Shahrîvar* ad XXX *Abân*, utrinque incluſivé.

VI, Creatio Hominis LXXV diebus, à primo Appendicum ad X *Behman*, utrinque incluſivé. In toto, integer Annus, ſeu CCCLXV dies.

Adeò ut ſecundùm illos (quantum colligere liceat,) Creatio videtur inchoata in Æſtate circa menſem Majum; & vertente Anno, eodem tempore finita & completa: adeò ut, tandem condito Adamo, omnes terræ productiones in æſtivalis perfectionis ſtatu adulto tunc fuerint.

Alia autem quædam *Temporum* Nomina, à ſuperioribus diverſa, leguntur in Libro *Zend*, peculiaribus adaptatis Precibus: ſunt verò



Ghâh Hâvani.
Ghâh Rapîtuan.
Ghâh Uzîran.
Ghâh Iviſrûtrim.
Ghâh Uſhahan.

Sextum

Sextum ibi non occurrit. Igitur poſt Fidem in uno vero & æterno Deo, quam anteà tenuerant, ſemper retinendam, hoc fuit *Zerduſhti*, ſeu *Zoroaſtris* Præceptum proximum, ut pro ſingulis dictis *Temporibus* celebrarentur, quâvis vice, *quinque Dies Feſtivales*, cum Epulis & lætitiâ, ut in *Sad-der* præſcriptum. Quapropter, etiam hodie, *veteres Perſæ* & eorum *Magi*, ex inſtituto *Zoroaſtris*, in ſingulis Creationis Feſtis celebrant V Dies, & quovis iſtiuſmodi *Pentaëmero*, ſeu *Quindio*, laudant Deum pro iis quæ illâ Temporum vice condidit & creavit, & ad omnia pii animi Officia, quæ Operibus illis reſpondeant, homines adhortantur.

Singulorum itaque *ſex* Temporum Feſtivitas durat per V tantùm Dies: ſed nihilominus cujuſvis Temporis Opus in eo conditum, per plurimos Dies (ut dictum) inter faciendum duraſſe credunt. *Zoroaſtres* ergò, Perſarum propheta, tam ex *Bibliis Hebraicis*, quàm ex Judæorum ore in Perſiâ, accipiens Creationis Hiſtoriam, eam torſit & ſuo modo interpretatus eſt, exponendo *Sex* ibi dictos *Dies* fuiſſe *Sex Tempora*, quorum ſingula multis diebus conſtabant, & quorum omnium *Sylloge* unum integrum Annum conſtitueret; nolens arbitrari tam grande Opus, quale fuit Mundi Creatio, ita præcipitanter VI dierum ſpatio acceleratum fuiſſe; ideóque longiora tempora ad hoc aſſignavit, abſque neceſſitate: cùm Deus omnipotentiâ ſuâ non tantùm VI *diebus*, ſed illorum dierum VI *momentis*, totius Univerſi Fabricam miraculosè abſolvere valeret.

Zoroaſtre itaque in illâ opinione præeunte, Perſæ etiam *hodie* adhuc credunt Deum, in rerum Creatione, multorum dierum Tempora inſumpſiſſe, quod fuit merum Somnium & Zoroaſtris delirium, minuens ejus omnipotentiam, qui per *æternum Verbum* fecit Mundum, omnia VI momentis creans, eundemque potentiſſimo ſuo Mandato ſuſtentans, ut in Pſalmo, *Mandavit, & firma ſteterunt*. Imò Deus (ſi ſapientiæ ejus Divinæ ſic viſum fuerat,) uno momento, per unum verbum كُن *Cùn*, ſeu باش *Bâſh*, *eſto*, totum Mundum & omnia in eo condidiſſe potuerit. Ille autem ἀνθρωποπαθῶς opus ſuum diviſit in VI dies, & tunc quievit *Septimo*, ut exemplo eſſet hominibus, quos diem Septimum ſanctificare voluit, & id ſtrictè præcepit, & ſeveram pœnam in delinquentes irrogandam curavit.

CAP.

Cap. X.

De humani generis origine. De Diluvio, & de aliis quibuſdam rebus antiquis. De fictitiis Paradiſis terreſtribus. De Moſe & Salomone. Perſarum Religio in multis convenit cum Judaicâ, & magnâ ex parte ab eâ deſumpta fuit.

QUoad humani generis originem in Mundi Creatione, veterum Perſarum orthodoxi credunt (prout in S. *Bibliis* traditum) آدم وحوا *Adamum & Evam* omnium hominum *Protoparentes* fuiſſe. At ſecundùm eorum alios, primus Vir ejúſque Vira fuerunt مىشه ومىشانه *Míſha & Miſhâna*, ut legitur apud *Ibn Phacreddîn Angjou* Perſam in Libro *Pharhàngh Gihânghîiri*, & apud *Shahriſtâni* Arabem in Libro de Religionibus Orientis. In Perſicorum Regum catalogo *Conſtantinopolitano*, hi minùs rectè vocantur مستى و مستانه *Méſti & Meſtâna*. Sunt ex *Magis* qui ſtatuunt مهلى ومهليان *Múhli & Muhliyân*, ut Perſicè tradit *Ibn Sâid Gjurgjâni* in Libro *Maſâlik Mamâlik*, quem ſubinde, brevitatis causâ, cito ſub nomine *Maſm.* Ibidem memoratur, dari aliquos ex Hæreticis Magorum (ut & *Indorum*) qui ajunt *eandem fuiſſe originem Hominum & Brutorum.* Contra illos verò iſte Autor arguens objicit, *Si ſic fuerat, tum in horum utrorumque formis & coloribus non fuiſſet differentia.* Sed fortè alio ſenſu dictam originis identitatem intellexerint illi Magi. A quibuſdam *Indorum* & *Perſarum*, Rex cui nomen كيومرث *Kejomáras* ex eorum ἀνιστορησία & Chronologiæ ignoratione) perperam habitus eſt *Adamus primus:* ab aliis eorum habitus eſt آدم الثانى *Adamus ſecundus*, qui apud Orientales erat *Noah*, propter humani generis reſtitutionem & renovationem à Deo factam per illum. Hinc eſt quòd dictus *Kejomáras* apud *Emirchond* Perſicè (ut alibi notavimus) vocatur گلشاه *Ghilſhâh*, i. e. *Rex terræ* totius: & in ſupradicto Catalogo, ejus nomen perperam ſcriptum eſt جلتا من الملوك *Gjiltâ qui ex Regibus fuit*, ſcribæ errore, pro quo reſcribendum eſt *Arabicâ* illâ formâ جلشاه *Gjilſhâh.* Et propter hanc malè fundatam opinionem, dictus Rex in Perſico Libro *Mu'gjizât* vocatur پدر اول *Pater primus*, ſeu hominum *Protoparens*; nempe poſt Diluvium primus hominum Propagator, ſeu Sator, à quo Perſarum aliqui ſe derivari geſtiunt,

geſtiunt, quaſi is fuerit *Noah*. Alii autem ex eis, aliter ſtatuunt. Ut itaque iſta eorum fabula retexatur, ſciendum eſt, quòd dictus *Kejomáras* fuit ex primis Dynaſtiæ *Medicæ* Regibus, qui Regnum ſuum ex *Aſſyriorum* manibus ereptum & eis ademptum reſtituit *Medis*. Unde, quia is fuit Imperii & Religionis Reſtitutor, ab illis prædicatur quaſi totius Humani generis Reſtitutor, (vel ſaltem eum ſic figuratè repræſentare amant,) quia Orbi Medico & Perſico talis & tam inſignis Reſtitutionis Autor fuit, idque à tempore apud eos immemoriali. Ab aliquibus Perſarum, Adami *Uxor* vocatur بلده *Belda*, ut in dicto Libro *Ph. Gj.* Et Adami filia nominata eſt اقليميا *Iclimia*, ut in Libro *Pharhàngh Surûri*.

Veterum Perſarum Orthodoxi credunt طوفان *Diluvium*, idque fuiſſe *univerſale*, & totam terram occupâſſe. Sed ut varias habent Sectas & Opiniones, de omnibus hiſce rebus, à tam remotâ antiquitate petitis, inter ſe ſubinde diſſentiunt & in *fabulationem* excurrunt. Nam, referente *Ibn Shahna* Arabe, in Libro *de primis & poſtremis*, dantur *aliqui ex Magis qui negant Diluvium, uti* (inquit) *& Indi & Chinenſes & aliæ quædam Gentes Orientales. Alii* (inquit) *ex Magis agnoſcunt Diluvium: ſed ajunt illud non fuiſſe univerſale, nec tranſiviſſe ultra* عقبة حلوان *jugum montis prope Hulvân*; quæ eſt inter Aſſyriæ & Perſiæ confinia urbs. Ex Zoroaſtris autem ſententiâ ajunt, quòd non fuiſſet Diluvium, nec Mundus ſubmerſus, niſi propter iniquitatem & diabolica præſtigia nequiſſimi hominis ملكوس *Malcûs*; & quòd poſtmodum, tempore *Sâm filii Nerimân*, oppreſſio & tribulatio ſuper Mundum non veniſſet, niſi propter impium hominem سـرورگ *Sarûregh*.

An per nomen *Malcûs* intelligant *Cain*, vel ex ejus familiâ *Lamech*, determinare non audeo: uti nec an per *Sarûregh* intelligant *Sarugh*, qui *Ibn Shahnæ* dicitur سرور *Sarûr*, quem primum Idololatriæ invectorem ſtatuunt aliqui ex Orientalibus. In Libro *Pharh. Sur.* memoratur كوه جليل *Mons illuſtris*, ubi tunc habitavit *Noah*, cùm ex eo erumperet aqua Diluvii: & ibidem زاله كوفه *Zâla-Cûpha* dicitur fuiſſe nomen Vetulæ ex cujus تنور *Furno* aqua Diluvii primò erupit. Sed iſte *furnus* eſt ex Perſarum nugis quæ vix recenſione dignæ.

Quid de veteribus quibuſdam rebus ſenſerint Perſæ, & quænam eis Nomina impoſuerint, noviſſe juvat. *Hieroſolymorum* urbs ab eis olim nuncupata eſt خانهٔ ضحاک تازي *Domus Dehâk Arabis*, ſcil. habitatio illius qui Δηιόκης, origine *Arabs*, poſteà factus *Medorum* Rex

tempore *Menaſſis* regis Judæ, quando Judæi deportarentur à *Sennacherib*, cujus filius *Eſarhaddon* mox regnavit. Quòd *Deioces* Arabs Hieroſolymis vixerit, non eſt impoſſibile: nam abſente Judæorum potentiâ, quivis potuerit ibi habitare. Aliàs autem, à veteribus Perſis ea urbs aliter vocata fuit گنگدز هوخت *Ghangh-diz Houcht*, i. e. *Paradiſus Judæorum*. Eam vocarunt *Judæorum Paradiſum*, ſeu *Elyſium*, quia Judæi videbantur jactare de eo loco tanquam de Paradiſo, cùm *Ezra* & Captivi Judæi docerent *Cyrum* & *Artaxerxem* & Perſas omnes quàm glorioſus & quoque ſacer eſſet ille locus, & prædicarent multa de *Deo Iſraelis* qui habitabat *Hieroſolymis*, ut *Ezr.* VII. 15. Unde Perſæ videntes eum eſſe felicitatis terreſtris locum quem magni faciebant Judæi, haud immeritò eorum *Paradiſum* vocarunt, ei accommodantes ſuum nomen *Ghangh-diz*. Judæorum autem nomen variè profertur in Oriente: à Turcis ſcribitur جهود *Gjehûd*, & ſonatur *Gjifût*: Arabibus rectiùs يهود *Jehûd*, & abbreviatè هود *Hûd*; unde Perſis paulò productiùs هوخد *Houchd*, ſeu, facilioris ſoni causâ, هوخت *Houcht*. Quid Perſæ ſeriò & reverà ſentiunt de Paradiſo cœleſti, alibi ſuo loco dicetur. Sed hocce Paradiſi nomen, quo dignati ſunt Judæorum *Solyma*, eſt ex fictitiis Paradiſis, Perſarum & aliorum Orientalium *Mythologiæ* annumerandis. Nam cùm *Horti Eden* verus locus à veteribus Gentibus ignoraretur, mente revolvebant & exquirebant quænam Beatitudinis loca terreſtria alicubi imaginari liceret, aut in Mundo habitabili reperiri poſſent. Et horum Locorum unus Perſicè vocatur گنگ *Ghangh*, ſeu بهشتی گنگ *Behiſhti Ghangh*, i. e. *Paradiſus Gangis*, vel aliàs گنگدز *Ghangh-diz*, i. e. verbatim *Gangis caſtellum*. Sed ſine notione *Caſtelli*, abſolutè ut locus felicitatis terreſtris conſideratur. Hic locus ſupponitur urbs ubi منزل پریان *Manſio Spirituum*, & معبد, ſeu پرستشگاه *Adoratorium*, ſive *Templum* dictum قندهار *Candahâr*. Iſte locus quibuſdam audit *Arîm*, at in Arabum Libris ارین *Arîn*, & قبة الارض *Kubbato'lArd*, ſeu *Vertex terræ* ſummus, ad orientem *Kataiæ*, ſeu *Chinæ* ſitus. De ſitu autem hujus Loci fictitii mox accuratiùs dicetur. At pro گنگدز *Ghàngh-diz*, in *Olugh-Beighi*, & *Naſſireddîni* Tabulis Geographicis, ex Scribæ ignorantiâ malè legitur کنکدره: unde D. *Joh. Gravius*, olim Aſtronomiæ Profeſſor Oxonienſis, in ſuâ Verſione perperam legit *Cancadora*, ut in Notis ad *Itinera Mundi* fuſiùs docuimus.

Alius

Alius *Felicitatis* locus (vel fortè idem locus ſub alio nomine) vocatur جمگرد *Gjamghèrd*, ſeu *Gjemhèrd*, in Libro *Sad-der* memoratus. *Abulpheda* in *Geographiâ* ſuâ *Arabicâ*, & ex eo *Spâhi-zâda* in Lexico Geographico, hoc nomen perperam ſcribit جمگوت *Gjamghût*, & ait Perſicè legi جمگود *Gjamghûd*, utrumque malè, Scribæ errore in litera *Waw* pro *Re*, cùm autor intenderit ut legeretur جمگرت *Gjamghèrt* ſeu جمگرد *Gjamghérd*. Et quidem in Tabellâ Urbium in *AlMageſto Arabico Pocockiano*, in ipſo Æquatore in extremo oriente collocantur tres Urbes (vel ſaltem loca vulgò ſuppoſita,) quæ ſunt قبة اردين *Kúba Arîn*, & تازه *Tâzè*, & جمگرد *Gjamghèrd*; quæ (ut de *Chimæris* dicere ſolent Arabes,) موجود الاسم معدوم الجسم *extant nomine*, *ſed non re*. Hæc loca ſupponuntur exactè ſub ipſo Æquatore, عديمة العرض *Latitudine deſtituta* ſeu *privata*. Eſt autem *Gjam*, ſeu *Gjem*, ex nominibus *Solis*, & ſubinde etiam *Lunæ*: adeò ut *Gjamgherd*, ex vi vocis, ſit *Solis Lunæve Civitas*: commodiſſimum ſanè loci Paradiſiaci nomen! Vel *Gjem* eſt *Salomonis*, ſeu *Gjemſhîdi* nomen, (ſi libet interpretari,) *Salomonis*, aut *Gjemſhidi Civitas*.

Talis etiam *imaginarius* Felicitatis locus dicitur ايران ويج *Irân-vîgj*, itidem in *Libro Sad-der* memoratus, qui videatur haberi, ſeu fingi, alicubi intra limites Perſidis quæ vocatur *Irân*. Fortè ſit دماوند كوه *Mons Dumâvand* prope ejuſdem nominis urbem;[1] vel alias, aliquis Locus ſub Æquatore, cum *Irân-vîgj* ſit *Irân beata*, ſeu *beatitudinis*. Sed prædicta loca videntur eſſe nominalia tantùm, quæ Orientalium *Eutopiæ*, ſeu potiùs *Atopiæ* (utpote quæ nullibi terrarum reverà inveniuntur,) annumeranda.

Ejuſmodi Beatitudinis locus etiam ab *Indis* fingitur in regione كشمير *Keſhmîr* circa caput *Gangis*; unde fortè *Ghangh* pro generali cujuſvis loci Paradiſiaci nomine habitum, adeò ut alter ſupradictus Paradiſus (quamvis diverſo ſitu ſub Æquatore fictus,) inde ſuum mutuaverit nomen *Ghàngh-dìz*, q. d. alter Paradiſus *Gangeticus*: aliàs enim hoc nomen minùs aptum, cùm deſignet locum in medio maris plus quàm MMM milliaribus â *Gange* diſtantem. Non itaque à convenientiâ ſeu identitate Sitûs, ſed à paritate felicitatis deſumpta videtur denominatio. Cùm enim *Indorum* in *Keſhmîr* Paradiſus terreſtris ſit ad *Gangem*, conſectarium videtur quòd à paritate amœnitatis, eodem nomine gaviſus fuerit *Ghanghdiz*, quamvis diverſiſſimo ſitu

1 De quo loco infrà in Vitâ Guſhtaſpis.

procul à Gange positus. In *Indiâ* enim *australi* calor est intensus & intemperatus; unde respectu hujus, alter locus qui *borealior*, sit magis temperatus ubi detur *refrigerium* & à caloribus *Indiæ* remissio, ut ex differentiâ climatis amœnitas Paradisiaca exurgat. Hæc itaque fabula de loco in *Keshmîr* ortum habuerit tam à felicitate climatis, quàm quòd ibi oriatur *Ganges*, quem *Indi* beatissimum & sanctissimum æstimant.

Cur autem *Ghàngh-dìz*, & *Gjamghèrd*, & *Kúbba Arîn*, &c. habita fuerint loca Paradisiaca, dicendum restat. Hoc enim non fortuitò factum, sed *mathematicè* consideratum & benè perpensum. Talia enim loca nullibi terrarum dantur: sed sunt loca *mathematicè* suppositа ad orientem *Chinæ* in medio maris, ubi in orientali extremitate Globi datur maximorum Circulorum (scil. *Zodiaci* & *Æquatoris)* Intersectio exactè ad CLXXX *Longitudinis* gradum, Globum hac ratione æqualiter dividendo. Nam ab alterâ dictorum Circulorum intersectione, in occidentali Globi extremitate, (unde sumimus *Longitudinis* initium,) ad hanc extremitatem Orientalem sunt CLXXX gradus, ut dictum. Unde *Indorum Astronomi*, qui orientali extremitati propiores, Longitudinis initium sumentes ab *Arîn*, talem Longitudinem in contrarium nostrî ducebant versus Occidentem, eandem terminantes ad gradum CLXXX in *Insulis fortunatis* ubi nos incipimus. Hæc itaque loca, quæ primò ad usum mathematicum accommodata, cùm essent exactè sub ipso *Æquatore* ejúsve Intersectione sita, necessariò fuerint amœna, ideóque habita ad instar Paradisorum terrestrium, quorum felicitas in aëris temperie & clementiâ consistebat. Hæc itaque loca sunt nil nisi *fictitii Paradisi* in *locis suppositiis*, nullum aliud felicitatis fundamentum habentia nisi in situ illo, præsumendo quòd quivis locus perpetuo Æquinoctio temperatus deberet esse peramœnus, & eo solo sensu ut Paradisus habendus. Inde enim factum est ut Μακαρίων Νῆσοι, seu *Insulæ fortunatæ* (ubi Græcorum *Elysium)* in occidente, habitæ fuerint pro Beatorum sede, propter situm suum in Æquinoctio perpetuo, omni aliâ ratione cessante, & absque alio felicitatis prætextu, aut argumento ullo, nullâ caloris aut frigoris sævitie læsa aut turbata, prout decebat Paradisum. Iste autem Paradisus occidentalis, seu *Elysium*, à Persis vocatur درانگ *Derânegh*, ut in Libro *Ph. Gj.* describitur. Adeò ut hæc duo, in utrâque Mundi extremitate, loca Paradisiaca, non ex rudioris vulgi designatione orta sint, sed à veritate mathematicâ, quoad situm, pendeant. Et ut *Indi* à dictorum Circulorum Intersectione orientali Longitudines suas sumebant, sic in reliquâ Orbis parte, tam

in

in *Europâ*, quàm in *Aſiâ*, ab oppoſitâ Interſectione occidentali omnes (ſive *Regionum* in *terris*, ſive *Stellarum* in *cælis*) accurato calculo Longitudines ſumunt; ſcil. ducto initio ab illo loco quem circa tempora *Hipparchi* & *Chaldæorum* occupabant primæ ſtellæ *Arietis*, jam è *Dodecatemorio* ſuo ferè egreſſæ. Adeò ut, duplici de cauſâ (*Aſtronomorum* monitu ductúque) per totum Orbem inſignia & notabilia fuerint duo illa dictarum *Interſectionum Puncta*, ſcil. propter uſum mathematicum Longitudinum, tam *terreſtrium*, quàm *cæleſtium*, inde tanquam à locis fixis ſumendarum, & propter imaginariam talium locorum felicitatem & amœnitatem Paradiſiacam, vulgò creditam, & aliàs nullibi terrarum inveniendam. Cùm enim veteres Gentes, ex *Moſaicâ* hiſtoriâ, de Paradiſo & aliis rebus monerentur, talium rumor totum terrarum Orbem pervaſit; non autem potuerunt ad ſatisfactionem ſuam, niſi mathematicè, locum ejus quærere & inveſtigare. Cùm verò dicta Hiſtoria nullam Paradiſi cœleſtis, nec Vitæ æternæ mentionem faciat, (quæ veterum Perſarum Fides docet,) oportet ut illa ſua Principia altiùs petierint, à Prædicatoribus juſtitiæ, *Noah* ejúſque filiis edocti. Et inde eſt, quòd ſacra linea Judaica eaſdem notiones ſemper retinuerit, quamvis Lex poſteà data (exceptâ Dei Unitate) de rebus agendis potiùs quâm credendis magis ſolicita, non videtur *Vitæ æternæ* & *Reſurrectionis* diſertam mentionem feciſſe, quantumvis hæc omnia, perpetuâ traditione & indubitatâ fide, ab initio ad hæc uſque tempora, ab Orthodoxis & Fidelibus ſemper crederentur. Adeò ut, tam Perſæ, quàm ſacra linea Judaica, primam orthodoxiam ſuam ab eodem fonte hauſerunt, & inde primi Paradiſi terreſtris priorem monitionem acceperunt, cujus tamen (ut & Creationis) magis particularem notitiam à Lege poſtliminiò traditâ habuerunt.

Ut itaque Perſæ Paradiſi terreſtris poſteriorem notionem & notitiam habuerunt à Lege, ſic & ſanctiſſimi Viri Dei, *Moſis*, atque aliarum rerum & perſonarum notitiam ab eodem fonte hauſerunt. *Moſes* enim, qui per totum Orbem ſuo tempore celeberrimus & famigeratiſſimus, (Arabibus dictus كليم الله *Interlocutor Dei*, vel ſimpliciter *Calîm*, *Interlocutor*,) apud *vetuſtiſſimos Perſas* habet nomen in quo continetur ejus deſcriptio, سرخ شبان باهودار *Rufus Paſtor baculum tenens*: nam Paſtoratum egit apud *Jethronem* cum *Pedo*, ſeu *Baculo* paſtorali, & virgâ, ſeu Bacillo manuali, apud Ægyptios famoſus fuit. Dictum *Moſis* Epithetum ex remotiſſimâ antiquitate petitum eſt.

Atque

Atque Doctiſſimus *Huetius* in *Demonſt. Evang.* ex *Artapano* tradit *Moſen fuiſſe procerum & rufum*, &c. Et quidem hæc videtur recepta opinio etiam apud *Arabes:* nam *Rod. Ximenez* in *Hiſt. Sarac.* Cap. V, explicando *Mohammedis* Viſiones, narrat illum prætendentem ſe, quaſi in Hieruſalem cœleſtem raptum, ibi *vidiſſe Abrahamum & Moſen & Jeſum: & Abraham* (inquit) *ſimilis erat mihi: Moſes rubeus & criſpus: Jeſus Mariæ filius erat flavus capillis; nec longus, nec parvus, ſed diſpoſitione & ſaturâ mediâ coaptatus. Et videbatur aqua ab ejus capite proſilire, ſed aqua non erat ibi. Poſtcà in ſextum cœlum evectus, inveni ibi hominem rubeum & procerum, qui erat Moſes.* Nempe, Gloriolæ *Chriſti* caput ambientes, erant ſicut radiationes aquarum ex Sacro ejus Capite emanantium, ut voluit inſinuare *Mohammed.*

Cúmque *Salomon* per totum Orbem eſſet famoſus, apud veteres Perſas etiam non fuit inauditus, à quibus ergò vocatus eſt جم *Gjèm*, quo aliàs nomine vetuſtus quidam Perſarum Rex (quaſi ſapientiâ ei par) deſignari ſolebat. Nempe quoties nomen *Gjèm* cum *melle*, *myrto*, *dæmone*, *genio*, *vento*, *feris*, *avibus*, aut ejuſmodi aliis memoratur, eo ſignificatur *Salomon:* at quoties hoc nomen memoratur cum جام *Gjâm*, ſeu *Poculo*, tum eo intelligitur Rex جمشيد *Gjemſhîd:* de cujus *Poculo* & mirâ ejuſdem Inſcriptione alibi agetur, ſi Deus vitam & vires ſuppeditaverit.

De Perſarum Opinionibus primitivis, nolo heic aliquid dicere, quia de eis plura ex *Shahriſtánio* inferiùs adducuntur, & deinde poſteà, ubi de extremi *Judicii Ponte* agitur. In genere autem innuam, quòd ex *Lege Moſaicâ* eis plurima ſuggeſſit eorum Propheta *Zerduſht*, quem in illâ Lege ſatis verſatum fuiſſe conſtat; idque tam ex dictis de primâ Creatione, & Diluvio, & Abrahamo, & Altaris Igne perpetuo, &c. quàm quòd, ut *Malchiſédek* Decimas ſolvebat Abrahamo, ſic & hi ſolvebant Sacerdotibus ſuis: & deinde, quòd inſtar Judæorum, habent Summum Sacerdotem, & frequentes Lotiones, & Beſtias mundas ac immundas, & præcipiunt fugam pollutionis à contactu mortuorum, & de omni puritate curioſi ſunt, & ad evitandum omnem contaminationem internam & externam cauti; & quòd Ignem alienum (quâ in parte peccabant *Nadab* & *Abihu*,) Deo offerre nolunt. Quin & iſte populus hodie frequenter in ore habent *Braham* & *Nebbi Mûſa*, & *Jûſuph*, aliáque Vet. Teſt. nomina. Prætereà ex quotidianâ Judæorum cum Perſis converſatione, illi cum his communicabant omnes res; adeò ut *Artaxerxes* (ſeu *Darius Hyſtaſpes)* ſuum dederit فرمان *Pherman* ſeu *Mandatum*, ut anteà fecerat *Cyrus*, pro reſtau-

reſtauratione Templi, & reſtitutione Vaſorum; & pecuniam ſuppeditavit pro emendis Sacrificiis, &c. ut de his affatim legitur in Libris *Ezræ* & *Nehemiæ*. Adeò ut non ſit mirum, ſi omnes Judæorum conſuetudines innotuerint Perſis, qui multas ex eis ſibi retinuerunt: unde magna eſt in utriuſque gentis Religione convenientia.

CAP. XI.

Dei Nomina & Attributa apud veteres Perſas uſitata, ſecundum Catalogum quem ex Oriente accepi.




Vanîs.
Anúſhek.
Phérſhek.
Pérvah.
Hádaha.
Chavâpher.
Ab-gjagji.
Satûha.
Rachûha.
Varûn.
Bahab-phe-rîphtah.
Adûy, quaſi Aduûy.
Câm-rad.
Phermân-câm.
âyîchten, ſeu âyi-îchten.
Aphermûſh, ſeu Aphramûſh.
Hamâravâ.
Shanûiyâ.
Atereſh.
Abîſh.
Aſpbrázadam.
Ham-tchîn.
Hamiyâph.
âderû.
Ghirâ.
âgjam.
Gjamavâ.
Saphanâ.
Nâſhâ.
Pervarâ.
Aiyânah.
âyîn-âyenah.
ân-âyenah.
Charûſhi-tám.
Mînu-tám.
Vâſnâ.
Harvîſtûn.
Hû-ſipâs.
Har-bîmîd.
Har-nîk-phá-rah.
Kerdaghâr.
Avachſhidâr.
Bîſhternâ.


Ham-tchûn.
Ghil-namghèr.
Chorahmánd.
Gherâgher.
Mihirbân.
Gherâgher-gher.
Bachshâyendah.
Aghrâgher.
Bachshâishgher.
Aghrâgher-gher.
Dâdâr.
Angjamân.
Acmân.
Achuân.
Minu-sitahghèr.
âmusht-hushyâr.
Sitàh-Minughèr.
Gjensâyîsak.
Minu-nabá.
Riyûmand.
âdur-Bâdgher.
Bûchtâr.
âdur-namghèr.
Aſtamandân-aſhû.
Bâd-âdurgher.
Hiyâr.
Bâd-namghèr.
Phaſhûtanâ.
Bâd-ghaibghèr.
Padmâni.
Bâd-ghirûtam.
Tchihir, ſeu Tchîr.
âdurghîr.
Pirûzghèr.
Gherghèr.
Aberîn-Cubuntuân.
Ghilgher.
Aberîn-naruvtuân.
Ghildergher.
Veſpân.
Ghilvâdgher.
Veſpâr.


Dâd-âpherîd.


Dâd-dîh.

Shîder, seu


Shîzer, sive *Shîzîr.*

Mânâ.


Terghbâr.


Eîr-u-bâr.


Kerdaghâr, i. e. *Conditor rerum.*


Ghaibdân, i. e. *Occulta ſciens.*

Notandum eſt, quòd apud vulgum pronum eſt *a* tenuis ſonum mutare in *u*, & pro *Yezàd* dicere *Yezùd*, ſeu *Izud:* pro *Sîzad*, *Sîzud:* pro *Zend* & *Pâzend*, *Zùnd* & *Pâzund*: pro *Iſphèndârmaz*, *Iſphendârmuz*, ſeu *Iſphendârmod:* pro *Zendaveſtâ*, *Zundavaſtaw*. Et ſic in multis aliis, non autem in omnibus.

Inſuper ſciendum eſt, quòd Dei vocabulum *Yezàd* aliquando tribuitur Angelis, (ut ſuprà dictum,) quia Deus aliquid loquens aut faciens, id facit per Angelos, qui Dei vice fungentes, ipſius vocabulo honorantur; ut & ſæpè (ſi non ſemper) fit in Vet. Teſt. ubi Angelus haud ſemel vocatur Deus, & ejus loco honoratur; ut tam alibi, quàm in caſu *Manoæ*, qui dicit ſe vidiſſe Angelum, & tamen metuit ſe moriturum, quia viderat Deum. Vide ſuprà p. 161, &c. Et vide infrà ubi de *Angelis Dierum* agitur. Aliiſque Gubernatoribus aliquando tribuitur alterum Dei nomen *Chodâ*, ut in voce كدخدا pro خداوند, quo aliàs vocatur *Oeconomus*, qui à Turcis peſſimè ſonatur *Kiáhja*.

CAP. XII.

Nomina & Epitheta Angelorum ex ſententiâ veterum Perſarum, præter Angelos Menſium & Dierum poſthac memoratos.


Vanànd Yezád. 1


Hûm Yezád. 2


Berzi-yezád. 3


Niriûſhangh Yezád. 4


Râgh-dſt.


Dahmân-Yezád.


Haphtûrangh-yezád. 5


Agharîras.


Ghûbarû.


Chuſhâſpad.

Mihr-yezád. 6


Hârût, & 7


Mârût.


Phurûkhinda. 8

Bâd-rân.

 *Bâd-rân.* 9

 *Beſhter.* 10

Revân-bâchſh. 11

Gherûtamân. 12

1 Vulgus ſonat *Vunnund-Izùd:* is (quaſi ſit *Pluto*) cenſetur præeſſe VII Gehennis, ubi omnibus aſſignat pœnas peccatis proportionatas. Is Diaboli furorem & malitiam reſtringit, ne aliàs tyrannidem exerceret in damnatos, peccaminoſas eorum animas ultra præſcriptum modum cruciando. 2 Is eſt dominus maris, vel, ſecundum *Mandelſlo,* præeſt generationi hominum & omnium rerum productioni. 3 Is, ſecundum Indo-Perſas, eſt famulus ☉ *Hom-Izùd,* ut vulgò ſonant. 4 Secundum illos, is eſt famulus ☉ *Sorûſh.* 5 Iſte à ſtellis denominatus: nam هفتورنگ *Haptûrangh,* ſeu *Septentrio,* eſt duplex, major & minor, ſc. tam Angeli quàm Conſtellationis nomen, *Septem-Triones* tam majores quàm minores notans, de quibus vide Notas noſtras ad *Olug-Begum* in Conſtellationibus Urſæ majoris & minoris. 6 De hoc Angelo ejuſque officio, vide Lib. *Sad-der* cap. 28. 7 *Hârût* & *Mârût* ſunt duo Angeli qui pro exemplo rebelles facti ſunt, & in regione Babel ſuſpenſi pedibus ſurſum & capitibus deorſum. 8 Is eſt Angelus: an in genere? vel, quidam Angelus? 9 i.e. *Ventum-pellens* Angelus, qui Ventum in motionem ciet, & è loco ſuo educit. 10 Is eſt Angelus *Michâel,* qui victum & ſuſtentationem hominibus præbet, & alimentum eis ſuppeditat. In *Ph. Sur.* بشتر *Beſhter,* & minus rectè تشتر *Teſhter,* abſolutè exponitur *Michâel-Angelus.* 11 i.e. *Animarum dator,* in oppoſitum Azraëlis qui Animarum ablator eaſque aufert, utpote qui ſit *Mortis dator,* de quo vide Notas noſtras ad *Relig. Turc.* Porrò *Revân-bâchſh* exponitur, Angelus in cujus manu eſt Scientia, Arabicè aliquando dictus روح القدس *Spiritus Sanctus,* quo nomine aliquando *Gabrielem* intelligunt Commentatores *Coranici.* Aliàs apud *Gilolenſes, Sorûſh* eſt *Gabriel:* & ſic in *Ph. Sur.* At in *Sherphnâma,* eſt *Angelus nuntii lator.* 12 Is eſt Angelus qui humanorum operum Approbator aut Reprobator.

CAP. XIII.

Diaboli Nomina & Epitheta apud veteres Perſas, ſecundum Catalogum quem accepi ex Oriente.

 *Ahâriman.* 1

 *Hûrmâs.*

 *âſhmûgh.* *

 *Ghegjeſta-ghanâmînu.* 2

Churvi-druchſh, vulgò *Chúravi drokſhe.*

Dúrgj-akkman.

 *Dùrgj-terû-mat.* 3

 *Dùrgj zemiſtân-sizad.*

 *Avâchſh-sizad.*

 *Aſpûgjaghèr.* 4

 Sâſtâ.



1 Is est *Beelzebub*, seu summus Diabolus. * *Ashmûgh* est Diabolus, cujus est officium delationem & mendacia & lites inter homines excitare. 2 Is ab *Indo-Persis* reputatur immediatus *Arimanii* servus. 3 Hujus & trium præcedentium est Bella & Tumultus excitare, & Discordias inter homines serere. *Arabes* memorant زلنبور *Zelenbûr*, qui est unus è V filiis Diaboli, qui serunt discordias inter conjuges. 4 Secundum *Indo-Persas*, hujus & duorum præcedentium est curare frigus & ventos & nivem & pluviam, ita ut damnum inferant ad perdendum ea quæ Deus in hominum usum creavit. 5 Huic cum tribus præcedentibus commissum est corrumpere metalla, eaque rubigine afficere & corrodere, ac exedendo vitiare. 6 Hujus & præcedentis est frequentare Scholas ubi instituuntur pueri, quos conatur pervertere, & à doctrinâ & omni literaturâ avertere, & ad omnia vitia pellicere & seducere. 7 Hujus & duorum præcedentium est illicitas cupiditates ingerere, aliorum res ad nos non spectantes concupiscere, & ad peccata allicere; qualia sunt illiciti congressus, rapinæ, cædes, &c. 8 In *Pharh. Sur.* פתיארה *Petyârah* exponitur *calamitas*, *afflictio*, & *res hominibus exosa*; unde est Diaboli epithetum, quasi *Exosum* aut *Invisum* dixeris. Et ejusmodi etiam significata habere alia ista Epitheta censeantur. 9 Hujus & duorum præcedentium est corrumpere fructus arborum, & fruges terræ, & quicquid à Deo in hominum alimentum paratum est: hæc autem omnia, quantum Deus patitur, & non aliàs. 10 Iste reputatur ملك الموت *Angelus Mortis*, quod tamen aliàs boni Angeli officium. 11 Hujus est pacti violationem & alias res malas suggerere. 12 Hujus est inter orandum tentationes injicere. Talis erat אשמודאי *Asmodæus*, (ab ازمودن *Azmûden, tentare,*) qui *Tob.* VIII. 3, à Raphaële ablegatus in extremas (i. e. Occidentales) partes Ægypti, ibique ligatus, ne rursus interficeret Saræ Raguelis filiæ maritos, quorum VII occiderat. Persæ in Indiâ hujusmodi officia hisce Diabolis assignant, ab illis enim talia habuimus. An alii cum eis in hac parte conveniant, disquirendum.

CAP.

CAP. XIV.

De Veterum Perſarum Anno & Epochis variis.

ANtiquiſſimorum *Perſo-Medorum Epocha* (initio Monarchiæ *Medicæ* vel ante eam) haud obſcurè colligitur fuiſſe inſtituta ab *Initio Veris*, à menſe *Martio*, propriè & primariò eis dicto ,ōʃ *Adur*, ſeu *Azur:* nam in aliis ſubſequentibus Epochis impropriè cum aliis Menſibus coincidere relinquitur illud Nomen. Et quidem huic initio quadrat notus Anni finis & in eo Appendices, qui etiam in ſequente Epochâ *Gjemſhidæâ* (quæ uſque ad *Yezdegherd* duravit) pervenerunt ad finem Menſis *Abân*, ubi continuati ſunt; poſt quem (ſeu initio *Adur*) ſequebatur *Neurûz Magorum*, ſeu initium Anni apud *Magos vetuſtiſſimos*, (cujus mentio in *Pharhangh Surûri*,) & *Equitatio imberbis*, quæ dicitur fuiſſe initio Hyemis & ineunte Vere. Sed frigus non videtur tunc planè exactum, ut conſtat ex Glacie in dictâ Equitatione adhiberi ſolitâ primo die *Adur*. Hoc etiam arguit dictæ Feſtivitatis antiquitatem, contra Perſarum aliquos qui recentem aſſerunt, aliis id negantibus. Cúmque vetuſtiſſimi Perſæ ſub *Aſſyriis* fuerint, (ſc. ex *Aſſyriorum* Exarchiis ſub *Sardanapalo* & ante eum,) haud parum juvat id quod D. *Golius* ex idoneis Autoribus Orientalibus obſervavit, nempe *Curdorum Anni caput olim incepiſſe ab Adar, ſeu Martio*. Nam cùm *Curdiſtania* olim *Aſſyriæ* pars fuerit, nullus dubito quin illi Menſes, quos *Curdorum Menſes* vocat, olim *Aſſyriorum* Menſes fuerint; qui etiam uſque hodiè *Syrorum* Menſibus tam nomine quàm ſitu reſpondent, exceptis trium nominibus: nam (inquit) loco *Eiyâr*, apud *Curdos* eſt *Gulân*, ſeu *Roſaceus*; & loco *Ab*, eſt *Dabâc*, ſeu *Æſtuoſus*; & loco *Eilûl*, eſt *Eilûn*, ſeu *Aridus*. Et quamvis *Sabæ* & *Chaldæi* & *Syri* hodiè Anni ſui Caput tranſtulerint ad initium Hyemis, apud eos antiquitùs non ita fuiſſe videtur, quippe apud quos, etiam hodiè, *Adar* adhuc Menſi *Martio* reſpondeat. Ideóque non dubitavimus antiquiſſimorum Menſium Perſicorum dicto ordine & ſitu Laterculum dare, prout initio Monarchiæ Medicæ in uſu fuerint.

Proxima huic Epocha *Gjemſhidæa*, quâ (conſentiente Orientalium omnium traditione) *Gjemſhîd* Medorum Monarcha ſextus Calendarium

rium reformavit; idque, ut conjicit D. *Golius*, ſub initio Intercalaris Menſium Periodi, cùm Sacra & Feſta annua ab iis Anni tempeſtatibus, quas reſpiciebant, tum longiùs prolapſa eſſent. Nam Perſæ eum Regem eo tempore vixiſſe aſſerunt, quod alterius Periodi initia antecedebat. Quamobrem ſi talis aliqua *Perſis* expleta fuit, ea iniverit poſt *Gjemſhidum*, ſicut eorum Sapientibus paſſim attribuitur. Sed (inquit) in *Gjemſhidi* Epochâ, ſeu Anno, non ſatis expreſſè docetur, an Æquabilitatem, an Menſium & Dierum nomina, an denique Intercalandi illum CXX annis modum ſpectare oporteat. Sic ille. Hæc Epocha (quatenùs ſcitur) duravit uſque ad *Yezdegherd*, filium *Shahriyâr*, Perſarum Regem ultimum, à cujus *Inthronizatione*, uſque hodiè, Annorum ſuorum Computum deducit veterum Perſarum Soboles, adhuc in Perſiâ & alibi ſuperſtes. In Epochâ *Gjemſhidææâ*, Anni forma videtur fuiſſe *duplex*, ſcil. *Civilis*, quam ante ſe conſtitutam invenerat *Gjemſhîd*; & *Eccleſiaſtica*, quam ipſe inſtituebat, facto CXX annis integri Menſis *Emboliſmo*, ut Feſta in priſtinas ſedes retraherentur. Aliàs enim, abſque iſto Emboliſmo, Annus Perſicus civilis fuit vagus, ſcil. ejus initium fuit vagum per totum Annum circuiens: & ejuſmodi Anni vagi integra Revolutio, ſeu ad idem initium Reſtitutio, abſolvebatur MCDLX annis.

Præter Anni Reformationem, dictus Rex *Gjemſhîd* populum ſuum *quadrupliciter* in certas Claſſes diſpeſcuit, & ad certa ſtudia & artificia eos aſſignavit: & res multas ingenioſas excogitavit, & egregias conſtitutiones fecit, & pro Unionibus inſtituit Urinatores, & alia multa invenit. Adeò ut, ope dæmonum, multa ſua feciſſe crederet vulgus, dum curioſa Artis Opera captum eorum ſuperarent. Quin & apud Perſas eſt mos loquendi, extraordinarios in quâvis arte homines vocare *Diabolos* in ſuo genere, dum aliquid pluſquàm humanum præſtare videntur; ut & noſtrates & aliæ nationes aliquando loquuntur. Præter hæc, *Tábari* refert eum fuiſſe بر دين ادريس النبي *de religione Idrîs prophetæ*, i. e. *Enochi*, qui in cœlum raptus, quia ambulaverat cum Deo in terris: & ſic iſte Rex Deum ſolum adoravit eique ſervivit. Et quidem *Gjemſhîd* Regem religioſiſſimum fuiſſe volunt Perſæ veteres: unde & in Libro *Sad-der* memoriæ proditum eſt, eum habuiſſe Revelationes divinas, & Angelos ei apparuiſſe, &c. Sed tandem apoſtatizavit: nam *Ahmed Ibn Jûſuph* Arabs de eo refert, *Gjemſhîd primò bonis moribus & virtuti ac induſtriæ deditus; at poſteà ab his deſcivit in ſuperbiam & inſolentiam ſuper Veziros ſuos; unde eum deſeruerunt Magnates ejus. Hocque reſciſcens Dahâc, eum perſecutus eſt & devicit:*

& devicit: & ponens eum inter دفتين *duos asseres, serrâ dissecuit.* Quomodocunque ergò se habuerit in initio, talia de eo narrant *Arabes* & *Persæ Mohammedani* omnes, (inter quos *Emir Chond,*) qui in eum impingunt, quòd, processu temporis, postquam diu regnaverat, degeneravit; & tandem evadens superbus & humanæ sortis nimium oblitus, divinos affectavit Honores: & à verâ Religione, in hac parte, exorbitando, suî Simulachra (ut Numina) per omnia regni sui loca dimisit, eáque colenda imperavit. Si hoc verum fuit, tum meritò passus est iniquitatis suæ supplicium divinitùs immissum, dum Regno suo & Vitâ simul exutus est. Nam (ut dictum) tandem bello petitus fuit ab *Arabiæ Felicis* Rege *Sheddâdo Aadi* filio, qui fratris sui *Ulvâni* filium *Dahâkum Arabem* (is erat Δηιόκης,) cum exercitu misit, qui, *Gjemshîdo* rege bello oppresso & occiso, Persarum regnum vi occupavit. Quâ morte mulctatus fuit *Gjemshîd*, cum supracitato *Ahmede* consentiens *Abulpheda* in Hist. Gentium notat, quòd *Bivarasp*, seu *Dahâc, eum assecutus est fugientem,* وبشره ابدنشار *illúmque serrâ dissecuit.* Hinc est quòd in Persicorum Regum serie inveniatur *Dehôc*, seu *Dahâk Arabs*, qui etiam scribitur *Zahâk*, *Zoâk*, &c. quem ut valdè iniquum & crudelem Tyrannum vituperat dictus *Emir Chond. Herodotus*, qui nunquam in *Veritatis Scholâ* educatus, omissâ hostilitatis mentione, narrat *Deiocem* in Persarum Vico pacificè degentem, prætendisse velum justitiæ & bonitatis, adeò ut à Persis sponte in Regem eligeretur: sed posteà tyrannidem suam & injustitiam prodidisse. Planè autem errâsse videtur *Rustemi* Epitomator, in voce *Phridûn,* فريدون اول پادشاهدر كه ضحاك قتل ايلدي *Phridûn est ille Rex quem interfecit Dahâk:* scil. vult insinuare *Dahâcum* interfecisse *Phrîdûnum Gjemshîdi* filium: quod non potuit esse, quia *Phridûn (Herodoto* dictus *Phraortes)* fuit *Dahâki* seu *Deiocis* Filius & Successor, non à parente occisus.

Epocham *Gjemshidæam* excepit *Yezdegherdæa*, quæ quodammodo censeri possit duplex; sc. *vetustissima* illa quæ initio Imperii ejus obtinuerat, quæ potiùs erat *Gjemshidæa*; & *nova*, quam de novo instituit *Yezdegherd filius Shahriyâr*, in veteris Religionis (ut videtur) damnum; quippe in quâ nova erant *Mensium* & *Dierum* Nomina, neglectis iis qui ab *Angelis* denominati fuerunt, à quibus pendebant Ritus & sacræ eorum Solennitates omnes. Dicta Epocha tunc nova, in Libro *Pharh. Gj.* toties memorata, ibi vocatur تاريخ ملكي يزدكردي *Epocha Melikæa Yezdegherdæa*, seu *Epocha Regia Yezdegherdæa.* Hujus

jus primus Menſis, ſeu Anni caput, fuit *Tcheſhn-ſáz*, i. e. *Feſti-factivus* dies. Hæc Epocha verè *Yezdegherdæa* (Europæis omnibus hactenùs inaudita) non potuit diu durare; cùm ille qui eam introduxit, tantùm XX annos regnavit. In hac erant *Menſes novi:* & in alterâ (quæ vulgò audit *Yezdegherdæa*, apud Autores celebris,) erant *Menſes veteres* hucuſque continuati, cujus Anni caput ſtatuitur *Phervardîn.* Sic *Chryſococca* in Canonibus *Perſicis*, Ετος Περσικὸν αρχόμενον ἀπὸ τῆς Μεσεμβρίας ἐν Νεομηνίᾳ τῷ παρὰ Πέρσαις Φαρβαρτῆ. Et alibi; ἡ ἀρχὴ τοῦ ἔτους τούτου ἡμέρα τρίτη· ἀρχὴ μηνῶν Φαρβαρδὶν, ὁπηνίκα ὁ Ιασδακέρδης εἰς τὸν θρόνον ἐκάθισεν. Omnium conſenſu, Regis *Yezdegherd* Inauguratio facta eſt XVI^to^ Junii die, qui in Anni vagi formâ incidit in initio menſis *Phervardîn:* eo itaque die Anni *Yezdegherdæi* Caput conſtituunt *Kouſhân Ghilæus* & *Shâh Cholgjius* in Tabulis ſuis Univerſalibus; ubi in Tabulâ quæ Epocharum Capita exhibet, in Epochâ *Yezdegherdææâ* Perſicâ æquè ac in Epochâ *Gjelalææâ* Caput, ſeu primus Menſis, eſt *Phervardîn.* Hocce Anni initium etiam ſpectare videtur *Cotboddîni* illud, ſcil. *Yezdegherd occiſum fuiſſe Periodi Embolimicæ anno* DCCCCLX, quod debuit fuiſſe menſe *Embolimico* octavo: cùm octies CXX faciant DCCCCLX. Et quidem numerando à *Phervardîn*, menſis octavus erit *Abân*, quem ritè ſequuntur *Appendices*, prout relicti fuerunt tempore *Yezdegherd.* Hoc anno erat *Abân* duplex, *Ordinarius*, & *Embolimicus* qui (cum appenſis *Epagomenis)* feſtivalis totus. Nam ſic fieri ſolet in *Embolimicis* menſibus omnibus.

Hujus Epochæ meminit *Alpherganius* p. 5, de Ægyptiacis Menſibus agens, *Olim horum Menſium Principia reſpondebant initiis Menſium Perſicorum; ita ut principium menſis Thoth idem eſſet cum initio menſis Dejma: & porrò menſis quivis alter cum altero: donec Anni Ægyptiaci finis conveniret cum fine menſis Adur: quod etiam obtinet in Tabulis ad illud Tempus conſtructis. At menſes Ægyptii hodiè aliter procedunt, intercalando quarto anno: quare eorum Menſes jam Perſicis diſſimiles, at cum Græcis atque Syriacis congruunt. Primus apud eos dies eſt* 29us *Auguſti.* Hic locus fortè ſeduxerit D. *Petavium*, qui in *Rationario Temporum* Lib. III, Cap. 15, ſupponit Anni Perſici initium incidiſſe in Principium Septembris, dicitque, *Quid in cauſâ Perſis fuerit cur in Calendas Septembris Epocham figerent, nemo, quod ſciam, cauſam exponit.* Ille ſcil. non ſatis perpendens veterem Annum tam *Perſicum* quàm *Ægyptiacum* non fuiſſe fixum, ſed vagum; ideóque ratiocinium ſuum putavit ſecundùm moderniorem annum *Ægyptiacum* fixum in Ærâ *Dioclefianâ*, quâ Anni primus menſis *Thoth* incipit XXIX *Auguſti*, ſeu initio *Septembris*,

Septembris, existimans eos dictum Anni sui initium tunc accepisse à *Macedonibus*, quod de *Alexandrinis* non diffitendum, sed de naturalibus *Ægyptiis* non item.

Ad supradictam *Alpherganii* collationem utriusque Anni, ratiocinatur D. Golius, *Tunc Persicam Mensis Intercalationem, aut non apud omnes Persas, aut non in omnibus rebus usitatam fuisse: aliàs concordare non possent Neomeniæ, eo modo quo declarat Alpherganius.* Dicta autem Mensis Intercalatio obtinuit in Persarum Ærâ *Ecclesiasticâ*, non autem in Ærâ *Civili* & *Astronomicâ*, quam voluit *Alpherganius*; in quâ, ut in eâ *Nabonassari* quam sequebantur *Ægyptii*, Anni Caput, sine ullâ restrictione, vagabatur per totum annum in perpetuum: & cùm esset tantùm CCCLXV dierum absque consideratione Fractionum, singulis IV annis uno die regrediebatur. Sed de diverso *Appendicum* in utroque Anno situ, non excusandus est *Alpherganius*; cùm *Persarum Appendices* erant post *Abân*, non autem post *Adur*, ut coinciderent cum *Appendicibus Ægyptiorum:* quod arguit ejus collationem esse imperfectam eâ in parte. D. *Golius* eum excusare conatur, dicendo eum forte haud tanti feciſſe tam parvam differentiam. *Alpherganii* autem collatio erat Annorum Civilium utriusque Gentis, qui (excepto illo Appendicum situ) satis concordabant. Et quidem rem pleniùs explicat D. *Golius* p. 47, *Ut verò ad demonstrandum Anni Ægyptiaci & Persici consensum redeamus, supponatur ex. gr. sub Yezdegherdici Imperii initium, Ægyptiis tunc adhuc in usu fuisse priscum Anni Civilis modum. Ex verbis Theonis Alexandrini suprà allatis, constat Anni vagi Ægyptiaci Revolutionem contigisse anno V^to Cæsaris Augusti, utriusque anni (Ægyptiaci & Alexandrini) Capite concurrente in eundem diem; qui haud alius fuerit quàm is qui totâ Ægypto Anni fixi Caput etiam hodiè existit, nempe XXIX Augusti. Ab hoc itaque die Neomenia Thoth anticipando retrogradi cœpit quadriennio quoque vertente diem unum. Quoniam autem (unà cum Epochâ Yezdegherdis) Neomenia Pherurdîn incidit in XVI Junii, necesse fuerit Neomeniam Dejma (annumeratis post Abân, vel Adur Epagomenis) incurrisse in XVIII Martii. Sunt autem à V^to Augusti ad Æram Yezdegherdicam Tetraërides CLXIV; quibus competunt totidem Dies quos Neomenia Thoth retröiverit, hoc est, à XXX Augusti ad XVIII Martii. Quare par concordantia superioribus quoque seculis fuerit, quibus uterque Annus & Ægyptiorum & Persarum eodem tenore fluxit.* Shâh Cholgji etiam dicit, *Veterem annum Persicum concordare cum eo Nabonassari qui in Al-Magesto usurpatur.* Ideóque rectè D. *Golius* pag. 31, ait, *Indubitatum esse, Astronomos tam Persicos quàm*

Ægyptios in rerum Cæleſtium Computo æquabilem Annum conſtanter uſurpâſſe: & probabile, illos quoque idem feciſſe in civili & populari uſu. Nempe Perſis (ut dictum eſt) fuit Annus duplex, Civilis & Eccleſiaſticus; in quorum hoc fieri ſolebat Intercalatio CXX annis, ut Feſta & Sacra quæ extra ſedes ſuas vagata fuerant, aliquando in priſtina ſua loca revocarentur: dum Annus Civilis & *Aſtronomicus*, ſine ullâ reſtrictione, vagaretur in perpetuum. Ideóque *Veterum Menſium* in *Gjelalæis* Calendariis ſitus, non erit uſui, niſi prolixiore Epilogiſmo Epochæ *Gjelalææ* adæquentur. Quoad Anni Ægyptii principium, D. *Wanſlebius*, qui in *Ægypto* cum *Coptitis* converſatus eſt, ait, *illos inchoare Annum ſuum VIII Septembris ſecundùm Stylum Gregorianum, quod eſt XXVIII Auguſti ſecundùm Calendarium Græcorum: & anno Gregoriano MDCLXXII, reſpondebat eorum annus Diocleſianus MCCCLXXXXVIII. Kas Kuriacus* in *Syro-Græcorum* Calendario, *Arabicè* conſcripto, ponit Coptorum *Thoth* in XXIX Auguſti, ibique figit نوروز القبط *Neurûz Coptorum*, ſcil. illorum Anni Caput non ſatis propriè ſic vocans vocabulo Perſico.[1] Et ſic *Syri* ſui Anni initio adhibent Nomen *Neirûz:* ex gr. ܡܫܗܪܙܘ ܒܢܒܛܝܐ ܡܝ ܕܢܝܪܘܙ *Muſârdi linguâ Nabathæâ eſt Effuſio aquæ in Neirûz.* Et mox, ܡܫܗܪܙܘ ܒܣܘܪܝܐ ܡܫܠ ܘܢܝܪܘܙ *Muſârdi in Aramæorum Proverbiis, eſt Neiruz:* ſcil. Anni initium ſeu Caput eo nomine ab eis vocatur. Apud *Shâh Cholgj* reperitur collationis Epocharum Tabula incipiens ab Anno *Hegjræ* DCCCI, die V menſis *Moharram*, qui reſpondet X^mo menſis *Dey* Anno DCCLXVII Epochæ Perſicæ *Yezdegherdicæ*, & XII^mo menſis *Eilûl* MDCCIX Epochæ Græcæ, & IV^to menſis *Mihr* Anni CCCXX Epochæ Gjelalææ: & congruunt cum D. *Gravii* Tabulis, niſi quòd in his ſit Epochæ Græcæ Annus MDCCX.

Circa *Quingentis* abhinc *annis* quando *Sheich Saadi* ſcripſit Librum *Guliſtân*, quàm immane tunc veteris Anni Menſes vagi differebant à *Gjelalæis* fixis, innuitur dicti Libri p. 23, ubi legitur, *Primus erat Ardibeſhiſhti Gjelaliani menſis dies*, ſcil. *Roſarum tempus.* Ad quem locum (pro alio Exemplo differentiæ inter Annum veterem & recentiorem) Commentator *Turcicus* inter *Laud.* hæc habet, اول وقت جلالشاهه منسوب اولان تاريخ قمرده اوزره اورنه ياز آينك اولي ايدي بو تاريخ تعيين ايلمي زيرا تاريخ شمسيه اورنه ياز آينك اولي اولمز بو قيدله فرس قديمك اردیبهشتدن اعتبار ايلر زيرا اول

1 *Coptitarum* Menſes videbis in Notis noſtris ad Hiſtoriam *Ægypti* Arabicè & Latinè à nobis (ut ſpero) edendam.

اعتبار

اعتبار ايله كُل زماني واقع اولمز *Illud tempus Regi Gjelâl relatum, ſecundùm Epocham Lunarem erat initium medii menſis Veris. Et quidem iſtam Epocham exprimebat* [Sheich Sa'di,] *quia ſecundùm Epocham Solarem tunc non erat initium medii menſis Veris. Ideóque hac reſtrictione cavet à Perſarum veterum Ardibehiſht, quia eâ ratione non erat Roſarum tempus.* Sed cur Epocha *Gjelalæa* ab iſto Commentatore reputetur *Lunaris*, equidem non video: nam planè *Solaris* eſt. Igitur pro قمرية *Lunari*, debuit potiùs dixiſſe جديد *Novam*, ſeu *Recentiorem:* & poſteà, pro شمسية *Solari*, potiùs dixiſſet قديم *Veterem*; quamvis utraque Epocha ſit *Solaris*. Rectiùs habet *Jaacob fil. Seid Ali* Commentator *Arabs* inter *Poc.* ad eundem Libri *Guliſtân* locum, اسم شهر معين من اردیبهشت وهو شهر اوسط من الشهور الربيعية علي التاريخ الجلالي واما في تاريخ الفرس القديم فلما لم يعتبر فيه الكبيسة لم يتعين بل يدور متقدما ومتاخرا *Ardibehiſht eſt nomen menſis certi ſeu fixi; eſt ſcil. menſis medius menſium vernorum, ſecundum Epocham Gjelalæam. At in Epochâ Perſarum veterum, cùm non habeatur ratio Emboliſmi, non eſt certus ſeu fixus; ſed vertitur, ſeu vagatur, antrorſum & retrorſum.* 189

Yezdegherdo autem in *Phergânam* abacto, & poſteà in prælio occiſo, (anno *Hegj.* XXXI, Chriſti DCLI,) in *Perſiâ* rerum potiti ſunt *Saraceni*, qui *Hegj-ræ* Epocham introduxerunt. Interim verò *Perſæ* veteribus Menſium & Dierum nominibus utebantur; ſed cum Intercalatione quâdam, quippe ad quam cogebant victores. Illorum enim tunc *Martius* incipiebat circa medium *Piſcium*, donec Calendarium reformaret Rex *Gjelâleddîn Melicſhâh*, qui Anni initium (facto XVIII dierum Emboliſmo, ut in ſequentibus monſtrabitur,) ad initium *Arietis* retrahebat, excogitatâ novâ Anni formâ quæ Solis motui quàm maximè reſponderet. Id autem non fecit primo ſuo anno, ſed (ut puto) poſtquam aliquot annos regnaverat; idque ſuaſu inſignis Aſtronomi *Omar Cheiyâm*,[a] cujus Propoſitionem de emendandâ Epochâ omnes ſtatim tanquam oraculum pronis auribus animiſque exceperunt. In hac Epochâ, quaternis quibuſque annis intercalabant, ut iſte annus eſſet dierum CCCLXVI. Et quòd anni pars reliqua minor eſſet *Quadrante* diei, erat quoque quarti anni Intercalatio minor uno die, ideóque convênit ut Intercalatio fieret ſemel anno Quinto, poſtquam intercalatum eſſet ſepties vel octies. Si autem Septimæ & octavæ

a Vid. Append. No. VI.

Intercalationis alternatio obſervetur ad intercalandum annum V^tum ſequentem, ſeu, quod tantundem valet, ſi Intercalatio *Juliana* modò *trigeſima tertia*, modò *trigeſima ſeptima*, (& quidem alternatim,) prorſus omittantur, cum hoc Perſico, ſeu *Gjelalæo*, Calendario optimè concordârit *Gregorianum*, ſcil. annis CCCC negligendo tres *Biſſextos*.

In *Perſarum* Menſibus *veteribus nullæ* ſunt *Septimanæ*, ſed quiſque Dies habet peculiare nomen. Cúmque iſti Menſes ſint Solares, uti & Annus, in moderniorum Perſarum Libris quando fit mentio cujuſvis Anni aut Menſis Solaris, diſtinctionis causâ, ſcribi ſolet سال الّٰهي *Annus Dei*, & ماه الّٰهي *Menſis Dei*: ne aliàs fortè intelligatur Annus aut Menſis *Hegj-ræ Lunaris*: nam in Perſide jam inde, apud ipſos *Mohammedanos*, obtinuit *duplex* Epocha, *Solaris* & *Lunaris*, quarum hæc in Sacris, illa in rebus Civilibus uſurpatur.

Cap. XV.

Menſium Ordo antiquiſſimus in vetuſtiſſimo Anno ab initio Martii eorum inchoato. Item Menſes Gjelalæi. Perſo-Medici Menſis Dies, cum Appendicibus quinque.

Adur, XXX, *Martius.*	Churdâd, XXX, *Sept.*
Dey, XXX, *Aprilis.*	Tîr, XXX, *October.*
Bêhman, XXX, *Majus.*	Murdâd, XXX, *Nov.*
Eſphendârmad, XXX, *Jun.*	Shahrîvar, XXX, *Dec.*
Phervardîn, XXX, *Jul.*	Mihir, XXX, *Jan.*
Ardibêhiſht, XXX, *Aug.*	Abân, XXX, *Febr.*

Iſte eorum Annus antiquiſſimus videtur fuiſſe vagus, vel ſaltem eum mox excepit Perſo-Medicus *Annus civilis vagus*, cui poſteà adjunctus fuit *Gjemſhîdi Annus Eccleſiaſticus fixus*, qui ambo concurrentes durârunt uſque ad *Yézdegherd*. Deinde eo occiſo, poſt aliquod temporis intervallum, in Perſidem introductus eſt *Civilis Annus Solaris fixus*, incipiens à medio *Piſcium*. Quis certò hoc fecerit, nondum reperi. Videtur autem id feciſſe *Selgjûk*, qui Perſiam occupavit & longævus uſque ad CIX annos vixit: vel aliàs, id fecit aliquis *Selgjukidarum* ex ejus familiâ; cum ea eſſet Anni Solaris forma quâ in patriâ ſuâ *Choraſân* utebantur dicti *Selgjukidæ*.

Veteres

Veteres autem Menſes (uti & Dies in ſequentibus recenſiti) videntur fuiſſe *Medorum* Inventum, ut indicant ipſa Nomina, quæ à Medis unà cum Imperio tranſiverunt ad Perſas, qui (cùm utriuſque Religio eſſet eadem, & ſolennitates ſacræ, à Menſibus & Diebus pendentes, eſſent quoque eædem,) ea tam benè excogitata retinuerunt: præſertim cum Lingua Medica elegantior eſſet quàm Perſica antiqua, unde illa etiam pro *Linguâ Curiali* habita & conſtituta fuit tempore Regis *Behrâm Ghûr*. At *Yézdegherd* poſteà alia Nomina etiam Medica ſuis Menſibus & Diebus *Melicæis* impoſuit.

Annus itaque, inquam, eorum antiquus (ut & *Ægyptiorum*) fuit vagus, ut ſuo loco fuſiùs dicetur. An verò hi ab illis, vel illi ab his, talem Anni formam acceperint, dubium. At quamvis generaliora *Aſtronomiæ* ſatis intellexerint Medi & Perſæ, tamen nec *hi*, nec *Ægyptii*, nec *Chaldæi*, Eclipſes *prædicendi Artem* calluerunt, ut ex *Herodoto* & aliis colligere liceat. Nam *Thales Mileſius* dicitur primus qui *Eclipſin prædixiſſe* memoratur.

Menſium Ordo Gjelalæus, ab ingreſſu ☉ in ♈, decimo nono Phervardîn veteris, qui fuerat à medio Piſcium.	*Perſicorum Menſium Nomina à Græcis corrupta, prout leguntur apud Chryſococcam & alios.*
فروردين *Phervardîn*, xxx, *Mart.*	Φαρφαρδῖν, ſeu Φαρβαρδῖν, ſive Φαραρδῆς.
اردیبهشت *Ardibehiſht*, xxx, *April.*	Αρτιβέες.
خردان *Churdâd*, xxx, *Majus.*	Χορτάτ.
تير *Tîr*, xxx, *Junius.*	Τῆρ, ſeu Τῆρμα.
مردان *Murdâd*, xxx, *Julius.*	Μερτάτ.
شهريور *Shahrîvar*, xxx, *Auguſt.*	Σαχριῆρ, ſeu Σαρεβὰρ.
مهر *Mihr*, xxx, *Sept.*	Μεχὲρ, ſeu Μέχερμα.
آبان *Abân*, xxx, *October.*	Απὲν, ſeu Απάνμα.
آذر *Adur*, xxx, *Nov.*	Αδερμα.
دي *Dey*, xxx, *December.*	Ντὼ, ſeu Δῆμα.
بهمن *Báhman*, xxx, *Jan.*	Πέχμαν, ſeu Πελμὰν, ſive Μπέχμαν.
اسفندارمذ *Iſphendârmaz*, xxx, *Feb.*[a]	Ασφανταρματ, ſeu Ασφανδάρματ, ſive Αυφανταρ.

a In Turcarum Calendariis Gjelalæis aliquando ſcribitur اسفندار *Iſphendâr*, apocopatâ ſyllabâ ultimâ. Appendices V etiam corruptè vocantur Μασπεχὰ ῖ, pro Arabico horum nomine مسترقة *Muſtáraca*, i. e. *Furtivi*.

Perſo-

Perſo-Medici Menſis Dies ab Angelis qui illis Diebus præſunt denominati, ſecundùm Olugh-Beighum & alios ſequente modo recenſiti, unà cùm V diebus Appendicibus.

هرمزد I. *Hormuzd.*	ديبمهر XV. *Deybamihr.*
بهمن II. *Báhman.*	مهر XVI. *Mihr.*
اردیبهشت III. *Ardibehiſht.*	سروش XVII. *Surûſh.*
شهریور IV. *Shahrîvar.*	رشن XVIII. *Reſh.*
اسفندارمذ V. *Iſphendârmaz* ſeu — *mad.*	فروردین XIX. *Phervardîn.*
	بهرام XX. *Behrâm.*
خردان VI. *Churdâd.*	رام XXI. *Râm.*
مردان VII. *Murdâd.*	باد XXII. *Bâd.*
دیبادر VIII. *Deybâdur.*	دیبدین XXIII. *Deybadîn.*
آذر IX. *Adur*, ſeu *Azur.*	دین XXIV. *Dîn.*
آبان X. *Abân.*	ارد XXV. *Ird*, ſeu *Ard.*
خور XI. *Chùr.*	اشتاد XXVI. *Aſhtâd.*
ماه XII. *Mâh.*	آسمان XXVII. *Aſumân.*
تیر XIII. *Tîr.*	زامیاد XXVIII. *Zâmiyâd.*
جوش ſeu گوش XIV. *Gjûſh* ſeu *Ghûſh.*	ماراسفند XXIX. *Mârifphand.*
	انیران XXX. *Anirân.*

Quinque Appendices ſecundum Alpherganium minùs accuraté.	*Quinque Appendices ſecundum Olugh Beigh.*
اهنذ جاه I. *Ahnud-gjâh.*	اهنود I. *Ahnavád.*
اشنذ جاه II. *Aſhnud-gjâh.*	اشنود II. *Aſhnavád.*
اسفندمذ جاه III. *Iſphendamad-gjâh.*	اسفندمذ III. *Iſphendamàd*, ſeu *máz.*
	وهشت IV. *Vahſhát*, ſeu *Vahâſht.*
اخشتر جاه IV. *Achſhater-gjâh.*	هشوذش V. *Haſhûneſh*, ſeu, ut in *Ph. Gj.* legitur,
وهشتوشت جاه V. *Vahſhatûſht-gjâh.*	هشتویش *Haſhtuvîſh.*

Dies *Appendices* apud *Alpherganium* vocantur اندرجاهات *Anderjahât*, i.e. *Intermedia tempora:* nam *Gjâh* eſt à *Perſico* گاه *Ghâh*, i.e. *Tem-*

i. e. *Tempus*. Is autem (ut ſolent *Arabes*) non ſatis rectè exprimit nomina Perſica. Appendices aliàs apud Perſas vocantur پنجهٔ دزدیده *Pengja Duzdîda*, i. e. *Pentas furtiva*. Et in Libro *Sad-der* figuratè aſſimilantur ταῖς پنج خواهران *Pengj chuâharân*, i. e. *quinque Sororibus quæ ſolent nere & alias operas muliebres tractare*. Eorum verò nomina præſtat videre ſcripta *veteribus* Characteribus (prout in dicto Libro *Sad-der* leguntur) in quibus nulla eſt ſoni ambiguitas, ſequenti modo:



Iſti Dies Appendices à *veteribus Perſis* etiam aliàs in ſuâ linguâ vocantur پنجهٔ مزدیسنان *Pengji mazdiyaſenân*, i. e. *Pentas ſacra*, quia in his eſt completi anni Feſtivitas & gaudium maximum. *Plutarchus* in Libro *de Iſide & Oſiride* dicit τὰς ἐπαγομένας *fuiſſe cum quibuſdam Diis cognomines*, ſcil. quibuſdam Angelis. Supradictum *Menſem* Perſo-Medicum ejúſque *Dies* excogitatos fuiſſe poſt latam *Legem Moſaicam*, (& fortè poſt *Iſraelitarum Captivitatem*, in Perſiâ,) conſtat ex *Sabbaticâ* eorum Diviſione, quæ ſuo loco deſcribetur.

Dies Menſis à Deo & Angelis denominati, prout leguntur in Catalogo ex Oriente, & in calce Libri Erdavirâph-namæ. Eiſdem quoque nominibus (ſed ſine additione) utuntur Gilolenſes.



VI. Chur-


VI. *Churdâd Amſhâſpand.*


VII. *Murdâd Amſhâſpand.*

VIII. *Deybâdur Yezád.*

IX. *Adur Yezád.*

X. *Abân Yezád.*

XI. *Churſhîd Yezád.*

XII. *Muhu Yezád.*

XIII. *Tîr Yezád.*

XIV. *Ghûſh Yezád.*

XV. *Deybamihir Yezád.*

XVI. *Mihir Yezád.*

XVII. *Surûſh Yezád.*

XVIII. *Réſhni Yezád.*

XIX. *Pbervardin Yezád.*

XX. *Behrâm Yezád.*

XXI. *Râm Yezád.*

XXII. *Ghuâd Yezád.*

XXIII. *Deybâdin Yezád.*

XXIV. *Dîn Yezád.*

XXV. *Arſhâſangh Yezád.*

XXVI. *Aſtâd Yezád.*

XXVII. *Aſ-*



XXVII. *Aſumân Yezád.*

XXVIII. *Zâmiyâd Yezád.*

XXIX. *Mahiráſpband Yezád.*

XXX. *Anirân Yezád.*

Notandum eſt quòd Perſæ vulgò ſunt proni ad pronuntiandum *p* pro *b*, unde ſcribunt *Panâm* pro *Banâm*, & *Deypâdur* pro *Deybâdur*: & ſic *Deypâmihr* & *Deypadîn*. Sed iſta non ſunt imitanda. Additum nomen *Yezàd* (ſeu ut ſonant *Izùd*,) alibi *Deum* notat, heic verò *Divum* ſignificat, vel *Angelum*, ſcil. ſynonymum τῷ *Amſhâſpand*; ut in Libro *Sad-der* cap. XL, de cœleſtibus perſonis loquens, eas vocat امشاسپندان و ایزدان پاک *Angelos & Divos ſanctiſſimos*. D. *Mandelſlo* in *Itinerario Indico*, de *veterum Perſarum Religione* tractans, corruptiſſima Angelorum nomina exhibet: miror unde habuerit. Et addit, quòd Angeli XXVI ſervi Dei, uno generali nomine vocantur *Geſhoo*, i. e. *Domini*, quos credunt habere ſuper Creaturas abſolutam poteſtatem à Deo illis commiſſam; quas ideò colunt & invocant, putantes quòd Deus nihil illis negabit. Sic ille. Sed fallitur de cultu eorum: nam nihil *divino cultu* colunt niſi Deum ipſum. Veteres *Judæi*, non ferentes aſpectum Angeli, (niſi aliquando ſub humanâ ſpecie apparentem putarent eſſe merum hominem,) cadebant in facies ſuas, non ad colendum, ſed ad operiendum & celandum vultum ſuum. At ſemel, quando aliquis procidebat culturus Angelum, loco Dei, ille Angelus prohibuit dicens, *Ne facias, quia ſum ſocia creatura ſicut tu*. Ille autem ex XXX, rectè numerat tantùm XXVI, excipiendo quatuor illos, quibus comprehenduntur nomina Dei, *Hormùzd*, *Deybâdur*, *Deybamihr*, & *Deybadîn*.

Ex eis quæ ſuperiùs diſſeruimus, conſtat Epocham *Gjemſhidæam* (in quâ Menſes veteres) durâſſe uſque ad initium Regni ultimi Perſarum Regis *Yezdegherd*; quæ itaque apud Autores, tam Orientales, quàm Europæos, minùs rectè audit *Epocha Yezdegherdæa*, cùm reverà ſit *Gjemſhidæa*. Nam *Yezdegherd* poſtquam in Solio benè firmatus eſſet, aliam novam inſtituit Epocham, à ſuo ενθρονισμῷ deſumptam, in quâ Menſes & Dies excogitavit novos; quos, ipſo defuncto, Perſæ (priſtinorum Rituum tenaces) rejecerunt, ad vetera Menſium

& Dierum vocabula (à quibus Feſta & reliqua Solennia pendebant) redeuntes. Ea itaque *Epocha*, quæ Menſibus & Diebus *Yezdegherdæis* conſtabat, meritò dici queat *Intermedia*, ſeu *Interjecta*; quia paucis tantùm annis duravit, nec ante, nec poſt, ejus tempora à Perſis uſurpata. Videtur itaque quòd multa in Religione innovavit, & quòd Eccleſiæ Feſta & ſtatorum Temporum Obſervationes & antiqui Ritus, illo imperante, interciderint, &, maximâ ex parte, ceſſaverint, cùm horum omnium antiqua nomina abrogata fuerint. Cùm itaque antecedentium temporum Magi, qui talia omnia ſtrictè obſervabant, ab Intercalatione metuerent, ne Sacrorum Ordo interverteretur, ille in Intercalarem Periodum ſuo tempore incidens, Annum reformare non veritus eſt, ſed Anni Caput, vagum & procul à ſede ſua evagatum & remotum, in locum & ſedem naturalem reſtituit, id in initio Martii eſſe volens. Is enim nomina ab Angelis olim deſumpta (quamvis Religioni damnoſum eſſet,) reliquit, novas, eorum loco, Appellationes inſtituendo. Menſibus itaque impoſuit Nomina naturalia, quæ, ex vi vocum, ſingulas Anni Tempeſtates deſignarent. Diebus autem dedit Nomina, vel ab *Opum affluentiâ*, vel ab *inſigni aliquo gaudio*, vel à *ſumptâ vindictâ*, vel ab *aggreſſo prælio*, vel ab alio memorabili eventu deſumpta. Cùm itaque ſacra Menſium & Dierum nomina mutaverit, conſectarium erit, quòd ſacras Solennitates ab eis pendentes abrogaverit, cùm ne talium vetera nomina manere nec ſupereſſe permitteret: nam difficile erat, illis abolitis, haſce conſervare. Et in novâ ejus Anni conſtitutione nullum, præter *novi Anni Feſtum*, memoratur. Perſæ itaque veteribus ſuis Ritibus animitùs addicti, eo mortuo, illum ejus Annum intercidere ſiverunt, veterem Annum, qui ante ejus Imperium obtinuerat, tunc (ut dictum) reſumentes. Iſte ejus Annus erat *Solaris*, Intercalatione (ut videtur) fixus, contrà quàm Perſæ voluerunt. Et iſtum Annum, ab initio *Arietis*, ſecutus eſt alius Annus, à medio Piſcium, ut ſuprà diximus. Menſium autem & Dierum *Yezdegherdæorum* nomina (quantum Exemplaris *Pharhangh Gihânghîri* imperfectio patitur,) ſequente modo mox ſubjeci.

Sed quia tam hæc Epocha, quàm altera recentior *Gjelalæa*, in Perſarum Libris vocatur *Melicæa*, ſeu *Melikæa*, i.e. *Regia*, dum utraque Epocha, à reſpectivo ſuo Rege denominata, gaudeat vocabulo nullum diſtinctum Regem notante; ne fortè aliquando oriatur confuſio, oportet hîc notare, quòd Epocha *Melicæa* recentior (quæ etiam Epocha *Melicſhahæa*, & *Sultanæa*, & *Gjelalæa* ſubinde vocatur,) denominata eſt à سلطان جلال الدين ملكشاه بن آلب آرسلان سلجوقي

Sultân

Suitân Gjelâleddîn Melicſhâh filio Alp Arſlân Selgjûki, qui poſtquam in Perſide aliquot annos regnaverat, tum deinde anno à *Yezdegherd* CCCCXLVI, (*Hegjræ* CCCCLXX, *Chriſti* MLXXVII,) veterum Perſarum Annum Solarem reformavit, eúmque Intercalando, ab ulteriori vagatione reſtrinxit; *Saracenorum*, ſeu *Arabum* Epochâ Lunari (quæ tunc plus quàm CCCC annos, ſimul cum Perſicâ, in Perſide obtinuerat,) non abrogatâ, ſed pro *Saracenorum Muſlimorum* Sacris reſervatâ; dum interim pro rebus civilibus commodior eſſet Perſarum Annus Solaris fixus, in uſum vulgi: nam Aſtronomis Intercalatione opus non erat. Epocha autem *Melicæa* altera vetuſtior, Perſis dicta eſt تاريخ ملكي يزدگردي *Epocha Regia Yezdegherdæa*, ſeu ſimpliciter *Epocha Melikæa*, i. e. *Regia*, cujus etiam Menſes & Dies vocantur روزها وماهها ملكي يزدگردي *Dies & Menſes Melikæi* (ſeu *Regii*) *Yezdegherdæi*. Hæc viſum eſt præmittere, ne fortè quis Orientalium Libros evolvens, iſtis nominibus decipiatur. Oportet etiam ſcire quòd dictus Titulus *Alp Arſlân* in Linguâ *Turcicâ* idem ſonet quod in Perſicâ *Erdſhîr*, ſeu *Ardeſhîr*, i. e. *Strenuus Leo*. Tali enim Titulo gloriabantur tam *Perſæ*, quàm *Orientales Turcæ*. Illi autem qui in *Europâ*, non utuntur.

Cap. XVI.

Menſes Melikæi (ſeu *Regii*) *Yezdegherdici, qui jam primò Europam vident, cum ſuis* V *Appendicibus.*

ماه نو	I. *Mâh-nàu*, i. e. *Menſis novus*, ſcil. Martius. xxx.
نوبهار	II. *Nau-bahâr*, i. e. *Novum ver*, ſcil. Aprilis. xxx.
گرما افزاي	III. *Ghermâ-aphzâi*, i. e. *Calorem-augens*, ſcil. Majus. xxx.
روز افزاي	IV. *Rûz-aphzâi*, i. e. *Dies-augens*, ſcil. Junius. xxx.
جهان تاب	V. *Gihân-tâb*, i. e. *Orbem-calefaciens*, ſcil. Julius. xxx.
جهان آراي	VI. *Gihân-ârâi*, i. e. *Orbem-adornans*, ſcil. Auguſtus. xxx.
	VII. ſcil. September. xxx.
خزان	VIII. *Chezân*, i. e. *Autumnus*, ſcil. October. xxx.
سرما افزاي	IX. *Sermâ-aphzâi*, i. e. *Frigus-augens*, ſcil. November. xxx.

شب افزن X. *Shàb-aphzûn*, i.e. *Noctes-augens*, ſcil. December. xxx.
XI. ſcil. Januarius. xxx.
سال افزون XII. *Sâl-aphzûn*, i.e. *Annum-augens*, ſcil. Februarius. xxx.

Menſium ſeptimi & undecimi Nomina in Exemplari Perſico deſiderantur, & ea alibi hactenùs invenire non potui. In eorum Libris *Chezân* aliàs exponitur *Autumnalis quadrans*, & *Autumnalis menſis*, vel *ejuſdem menſis XVIII^vus dies*. Autumnalis quadrans aliàs Perſicè vocatur پاییز *Pâyiz*.

Dies Menſis Melikæi (ſeu *Regii*) *Yezdegherdici*.

چشن ساز I. *Tcheſhn-ſâz*, i. e. *Feſtum-agens*
بزموده II. *Bezmûna*.
سر افراز III. *Ser-aphrâz*, i. e. *Caput-exerens*.
گشن نشین IV. *Ghùſhn-niſhîn*, i. e. *Mas-inſidens*.
نوش ſeu نوشت V. *Nùſh* ſeu *Núſht*.
غمزدای VI. *Ghàm-zidâi*, i. e. *Mœſtitiam-abſtergens*.
رخ فروز VII. *Rùch-phirûz*, i. e. *Ruchis-vincens*.
پادار VIII. *Pâdâr*, i.e. *Firmus*, ſeu *pedem firmum habens*.
زر فشان IX. *Zèr-phiſhân*, i. e. *Aurum-ſpargens*.
نامجوی X. *Nâm-gjûi*, i. e. *Famam-quærens*.
آتش افروز XI. *Atèſh-aphrûz*, i. e. *Ignes-accendens*.
کینه کش XII. *Kîna-kèſh*, i. e. *Vindictam-capiens*.
تیغ زن XIII. *Tîgh-zen*, i. e. *Gladium-vibrans*.
داد ده XIV. *Dâd-dih*, i. e. *Juſtitiam-tribuens*.
دین پژوه XV. *Dîn-puzûh*, i. e. *Religionem-ſcrutans*.
دیو بند XVI. *Dîv-bend*, i. e. *Dæmones-ligans*.
ره گشای XVII. *Ràh-kuſhâi*, i. e. *Viam-aperiens*.
اسپ تاز XVIII. *Aſp-tâz*, i. e. *Equos-agitans*.
گوی باز XIX. *Ghûi-bâz*, i. e. *Pilâ-ludens*.
XX.
XXI.
دوست بین XXII. *Dûſt-bîn*, i. e. *Amicos-viſitans*.
جانفزای XXIII. *Gjân-phizâi*, i. e. *Animum-augens*.
XXIV. *Bùt-*

بت فریب XXIV. *Bùt-phirîb*, i. e. *Idola-fraudans.*
ارد seu آرد seu آراد XXV. *Ird*, ſeu *Ard*, ſive *Arâd.*
شاد باش XXVI. *Shâd-bâſh*, i. e. *Lætus eſto.*
دیر زی XXVII. *Dîr-zî*, i. e. *Diu vive.*
شیر گیر XXVIII. *Shîr-ghîr*, i. e. *Leones-capiens.*
XXIX.
ای شهریار XXX. *I-ſhahriyâr*, i. e. *ô Auguſte.*

Quibuſdam horum non adjunxi Interpretationem Latinam: nam cùm eſſet dubia, fatius duxi eam intactam relinquere poſteris, qui fortè certiorem inveniant. In vitioſo Exemplari Perſico, per Scribæ errorem, Diei VIII^vo tribuuntur duo nomina, ſcil. *Pâdâr*, & مال بخش *Mâl-bàchſh*, i. e. *Opes-largiens.* Et eodem modo Diei XI^mo duo nomina, ſcil. *Atèſh-aphrûz*, & رزم گیر *Rezm-ghîr*, i. e. *Prælium-capeſſens.* Utrum horum mavis accipe. Sed in hiſce reſpectivis Diebus proculdubio alterum dictorum nominum cenſeatur pertinere ad alium aliquem Dierum XX, XXI, aut XXIX, ubi nomina deſiderantur.

Anni Yezdegherdici V *Dies Appendices:*

آفرین I. *Apherîn*, i.e. *Benedictio* ſeu *Salutatio*, in initio Appendicum.
فرخ II. *Phérruch*, i. e. *Felicitas.*
فیروز III. *Phirûz*, i. e. *Victoria.*
رامشت IV. *Râmiſht*, i. e. *Contentatio.*
درود V. *Durûd*, i. e. *Valedictio*, in fine Anni.

Râmiſht eſt idem quod رامش *Râmiſh* ſeu آرامش *Arâmiſh*, i. e. *Contentatio, quies, uti quando ex cantu & muſicâ animus demulceri ſolet, ut* exponitur in Libro *Ph. Gj.* Et tandem *Durûd* eſt *Valedictio* totius Anni, i. e. ejuſdem finis. Nempe ſecundum vim vocis, *Durûd* eſt صلوة *Apprecatio-boni*; quæ ſi ſit à Deo erga Homines, tum nomine *Durûd* ſubintelligenda eſt رحمة *Miſericordia:* ſi ab Angelis erga Homines, tum ſignificatur استغفار *Remiſſio* ſeu *Condonatio:* ſi Hominum erga ſeinvicem, tum eſt i. q. دعا *Precatio*, ſeu *Apprecatio boni* quæ inter valedicendum adhiberi ſolet. Et *Durûd* Avium & Beſtiarum, eſt تسبیح *Laudatio.* Ita variè uſurpatur vox *Durûd*, uti & Arabum formula

mula صلى الله عليه *Precatio*, ſeu *Benedictio Dei ſit ſuper illum*, ut à Commentatoribus *Coranicis* exponitur.

Hoc modo vides, illius tempore, Perſarum vetus Calendarium reformando prorſus abolitum; non tantum Novi Anni, ſeu Anni Capitis ſitum & nomen mutando, ſed & veterum Menſium ac Dierum nomina delendo, eorum loco nova nomina ſubſtituendo, & Feſta ac Solennia omnia Eccleſiæ Magorum abrogando: omnia enim ſimul uno impetu ſuſtulit. Adeo ut, ipſo regnante, tota Eccleſiæ Magorum facies videtur prorſus immutata, & tota Diſciplina Eccleſiaſtica & Feſta atque Solennia omnia neglectui habita. Nam ſi veterum Sacrorum Nomina diutiùs ſupereſſe noluerit, proculdubio (ſi quid poſuit,) is nova Sacra eorum loco inſtituerit: rerum enim ejuſmodi veterum nominibus non exiſtentibus, impoſſibile ut Res ipſæ manſerint; eodem modo ac ſi in *Calendario noſtro* omnia Dierum *Dominicorum* & *Feſtorum* nomina omitterentur, neceſſariò ſequeretur talium omnium neglectus & intermiſſio; cùm ex Calendarii directione ſtatorum temporum obſervationes retineantur, quæ aliàs in oblivionem irent. Iſte autem Eccleſiæ ſtatus everſus haud diu duravit. Nam, iſto Rege defuncto, omnia in priſtinum ſtatum reſtituta ſunt, & ſic reſtituta ad hodiernam Diem (non obſtante *Mohammedanorum* oppreſſione) rata & firma manent.

Quando noſtrates aut alii loquuntur de *Epochâ Yezdegherdæâ*, ſi volunt tantùm Epocham Temporis, ſeu *Computationis*, ab ejus Inauguratione ſumptam, rectè ſe habent. Si autem volunt verum *Annum Yezdegherdæum*, falluntur, cùm ille non uſus fuerit eodem Anno quem illi ſupponunt, qui (ut dictum) reverà fuit *Annus Gjemſhidæus*.' Epocha verò & Anni forma, quâ uſus eſt *Yezdegherd*, fuit propria & ſibi peculiaris, à *Gjemſhidæâ* prorſus (ut vides) diverſa, *nullis* hactenus *Europæis* & *paucis Aſtronomis* Orientalibus nota. Ideóque novum & curioſum eſt quod nobis exhibuit *Ibn Phacreddîn Angjou* Indo-Perſa, in Libro ſuo *Pharhàngh Gihânghîri*, unde nos veræ ejus Epochæ & Anni notitiam extraximus. *Shâh Cholgius* enim (ut in ſequente capite videbis,) quaſi nunquam audiviſſet de mutatione Cælendarii per *Yezdegherd*, loquitur de Perſarum Anno cum illo deſinente & eodem modo hucuſque manente, nullam faciens mentionem peculiaris Anni *Yezdegherdæi* quem nos exhibuimus. Nec (ſi rectè memini) apud alium aliquem, præter dictum autorem, ejus mentionem inveni.

Epochæ

Epochæ *Yezdegherdicæ* initium à pleriſque rectè ſtatuitur anno *Hegjræ* XI, Junii XVI, Feriâ tertiâ, ſcil. *Bicornis* ſeu *Alexandri* anno DCCCCXLIV, *Chriſti* DCXXXII, ut D. *Gravius*, vel DCXXXI, ut *Erpenius*. Sic *Olugh Beigh*; & *Couſhân Ghilæus*, & *Alpherganius*, & *Chryſococca*, & alii, ab *Yezdegherdi* Inthronizatione numerantes. Alii verò perperam hanc Epocham ab ejus morte numerare prætendunt, & tamen eandem cum præcedentibus computationem faciunt, cùm reverà interſit XX annorum differentia. Sic ex *Haithone* (ubi cap. 15, *Yezdegherd* vocatur *Aſcaiorth*,) facit *Chriſtmannus*, & ex eo *Petavius*, dicens, *Yezdegherd prælio cæſus Anno Chriſti* DCXXXII, *à quo tempore Æra Yezdegerd incepit*. Ab ejus morte numerare prætendens itidem errat Libri *Sad-der* Autor *in Initio Libri*, ubi Epocham ſcriptionis Libri denominat از فوت یزدگرد هیصد وشصت وچار *ab obitu Yezdegherd* DCCCLXIV, i. e. *Chriſti* MCDXCIV: at in *Calce* ejuſdem rectiùs notatur Epocha *Hegjræ* شهریور *Shutùr*, ſeu DCCCC; qui annus planè coincidit cum *Yezdegherdi* Epochâ in initio Libri (ut prætenditur) à *Morte*, ſed reverà ab *Inthronizatione* ſumptâ. Error itaque non eſt in temporis notatione; ſed in denominatione termini à quo, planè erratur, cùm inde magna exurgat differentia. Nam Hiſtorici Orientales (ut *Chondemîr* Perſa & *Abu-Mohammed Muſtapha* Arabs, & *Elmacinus*,) diſertè aſſerunt *Yezdegherd filium Shahriyâr* regnaſſe XX annos, eumque interfectum fuiſſe anno *Hegj.* XXXI. Cùm itaque ejus Ενθρονισμὸς certiſſimè fuerit anno *Hegj.* XI, *Chriſti* DCXXXII, ſi his addantur XX Imperii ejus anni, tum obitus debuit eſſe anno *Hegj.* XXXI, *Chriſti* DCLII: at ſi à morte ejus numerant, tum DCLII debet eſſe Epochæ initium, quod abſit! Cùm itaque notiſſimum ſit eum regnâſſe XX annos, miror quemnam ſecutus eſt Doctiſſimus *Petavius* aſſignando ei tantùm III Annos! Si autem Vir ille *Doctiſſimus*, extra Literaturæ *Europææ* limites egreſſus, forte erraverit, non eſt mirum; cùm aliquem in peregrinum Orbem fortuitò illapſum & commodo duce deſtitutum, ab affectatâ viâ facillimè errare poſſe, compertum ſit.

Cap. XVII.

De Annis & Epochis in genere: & de Anno Persico in particulari.

UT autem ea quæ superiùs de Annis & Epochis tetigimus, meliore autoritate constare possint, ipsa Autorum rem exponentium verba habe. Imprimis itaque, de Anno in genere audiatur *Shah Cholgji* Persa sic differens, سال شمسي حقيقي است از هنگام مفارقت آفتاب از نقطهٔ اول حمل تا معاودت او باز بهمان نقطه و آن سيصد و شصت وپنج روز باشد وربع روزي الا كسري ودر مقدار اين كسر خلاف است بحسب هر رصدي اما بحسب رصد بطلميوس سيصد و شصت وپنج روزاست وچهارده دقيقة وچهل وهشت ثانيه و اما بحسب رصد ايلخاني سيصد وشصت وپنج روز وچهارده دقيقه و سي ودو ثانيه از روزي در آن نقدير كه شبانروز شصت دقيقة باشد و ماه شمسي اصطلاحي چون ماه فارسيان ورروميان وسال شمسي اصطلاحي آن بود كه بر عددي نزديك بمقدار حقيقي وضع كنند چنانچه روميان وفارسيان اختيار كرده اند وسال مركب آن بود كه سالهاي[1] شمسي اعتبار كنند وماههاي قمري مانند سال تركان و هندوان

پس در سالهاي شمسي حقيقي بجهت كسري كه دارد در هر چهار سال يا پنج سال يك روز بر ايام او زيادت شود پس آن سال سيصد وشصت وشش روز باشد وآن سال را سال كبيسه وآن روزرا روز كبيسه خوانند پس ايام كبايس سالهاي شمسي حقيقي در مدت صد وبيست سال بيست وده روز باشد وايام كبايس سالهاي قمري در مدت سي سال يازده روز ودر سال مركب چون ميان سال قمري وشمسي قريب يازده روز تفاوت است پس در هر دو سال يا سه سال يك ماه تفاوت كند آن ماه را در عدد ماههاي آن سال زيادت

[1] Lege قمري; nam شمسي Errorem esse Scribæ *Persici* monet Auctor ipse, ut postea videbimus.

كنند

كنند تا سالهاي ايشان مطابق سالهاي شمسي بود و آن ماه را ماه كبيسه خوانند وجماعتي كه سالهاي مركب مستعمل ايشان است اين ماه كبيسه راهر يك بنامي خوانند چنانك هندوان ادماس و عرب دسي وتركان شون خوانند وجهودان آن سال عبور خوانند وشرح هر يك در محل خود كرده شود انشا الله

فصل سيوم در تاريخ رومي بدانك تاريخ رومي را سالها شمسي اصطلاحي باشد يعني سيصد و شصت وپنج روز وربعي بي زيادت و نقصان و همچنين ماههاي ايشان هم شمسي اصطلاحي باشد .&c

Annus Solaris verus eſt à tempore diſceſsûs Solis à puncto initii Arietis uſque ad regreſſum ejus ad idem punctum; quod eſt CCCLXV *dierum cum quadrante, minùs unâ fractione. Sed de iſtius fractionis quantitate eſt diverſitas, pro ratione cujuſvis Computi* ſeu *Epochæ*[a]. *Nam pro ratione Computi Ptolemaïci,* [annus] *conſtat* CCCLXV *diebus cum* XIV *minutis* XLVIII *ſecundis. In Computo Ilchanico eſt* CCCLXV *dierum cum* XIV *minutis &* XXXII *ſecundis diei, eâ ſuppoſitione quâ Nychthemeron habetur conſtare* LX *Minutis. Et Menſis Solaris communis eſt ſicut Menſes Perſarum & Græcorum. Et Annus Solaris communis eſt juxta talem numerum quem ſecundùm quantitatem veram ponunt, qualem ſibi adoptârunt Perſæ & Græci, Annus verò Compoſitus talis eſt quem Annum Lunarem eſſe reputant, & Menſes Lunares ſunt, ſicut eſt annus Turcarum & Indorum.*

Deinde in Annis Solaribus veris, propter Fractionem quam habent, quibuſvis quaternis aut quinis annis unus Dies ſuperadditur: quo in caſu, talis Annus erit CCCLXVI *dierum; qui quidem Annus dicitur Annus Embolimæus, & talis Dies dicitur Dies Embolimæus. Deinde annorum Solarium verorum Dies Embolimæi* CXX *annis erunt* XXIX *dies. Et dies Embolimæi* XXX *annis lunaribus erunt* XI *dies. Et in Anno Compoſito (uti inter Solarem & Lunarem) erit differentia ferè* XI *dierum. Et tum in quibuſvis binis aut trinis annis, erit unius menſis differentia: quem quidem menſem talis Anni menſium numero ſuperaddunt, ut eorum Annus annis ſolaribus coæquetur. Et talis Menſis vocatur Menſis Embolimæus. Et ii qui Annis Compoſitis utuntur, talem Embolimæum Menſem peculiari nomine vocant; Indis enim dicitur Adimâs, Arabibus Neſi,*

a رصد *Raſad* eſt *Obſervatio Cæleſtis*, vel *Epocha* ſuper eadem fundata, vel *Computus* talis: ideoque per has voces indifferenter exponitur.

Turcis Shûn: & Judæi talem Annum vocant Ibbûr. Et horum singula volente Deo suis locis explicabuntur.

Caput tertium agit de Epochâ Græcâ, in quâ Anni sunt Solares communes, i. e. CCCLXV *dierum cum quadrante, & nec plus nec minus. Et sic eorum Menses sunt etiam Solares communes,* &c.

His præmissis de Anno in genere, proximè agendum est de veteri *Anno Persico*, de quo audiatur nuper laudatus *Mahmûd Shâh-Cholgji* in Tabulis Universalibus Part. II, Cap. 4, بدانكه كه تاريخ فرس از كسور و كبايس خالي است وسال آن شمسي اصطلاحي باشد يعني سيصد وشصت و پنج روز وماههاي وي همچنان وعدد هر ماهي سي روز بود &c. واين تاريخ در اول از كسور و كبايس خالي نبوده است بلكه در هر صد و بيست سال يك ماه كبيسه مي كرده اند يعني يكماه مكرر گرفته اند تا صد وبيست سال ايشان موافق صد و بيست سال روميان كردند و خمسهٔ مسترقه در آخر ماه مكبوس زيادت مي كرده اند وماه مكبوس نيز معين نبوده است بلكه بعد از صد و بيست سال ماه مكبوس فروردين را گرفته اند ودر صد وبيست سال ديگر كه بعد از آن بوده است ماه مكبوس ارديبهشت را مي گرفته اند و همچنين تا آنگاه كه نوبت كبس بهر يك از ماههاي دوازدگانه رسيدي وآن در مدت هزار و چهار صد و چهل سال بودي وآن را دور كبس گفتندي واول اين تاريخ در زمان جمشيد بوده است و بعد ازو هنگام جلوس هر پادشاهي بزرگ كه ايشان را بودي تاريخ را تجديد كردندي بنام آن پادشاه تا آن زمان كه مملكت يزدجرد بن شهريار بن كسري كه آخر ملوك عجم بود رسيد اتفاق چنان افتاده بود كه نوبت كبس بآبان ماه رسيده بود و خمسهٔ مسترقه در آخر آن زياده كرده بودند وچون دولت يزدجردي بپايان رسيد در زمان عثمان بن عفان رضي الله عنه اين تاريخ بنام او باقي ماند وبعد از آن اتفاق كبس نيفتاد وآن قاعده مهمل ماند وازين سبب بعضي خمسهٔ مسترقه را در آخر آبان مي كردند دايما اما بعضي از منجمان خمسه را بآخر سال انداخته اند تا نوشتن تقاويم ايشان آسانتر

آسانتر بود و چون این تاریخ از کسور و کبایس خالي است و با
تاریخ مختصر که در مجسطي مستعمل است مطابق ازین سبب منجمان
اکثر این تاریخ را بکار میدارند ما نیز اوساط این زیج برین
تاریخ نهادیم و مبدا این تاریخ روز سه شنبه بوده است بیست ودوم
ربیع الاول سال پانزدهم از هجرت *Scito Epocham Perſicam eſſe à Fractionibus & Emboliſmis immunem; & in eâ Annos eſſe Solares communes, (ſcil.* CCCLXV *dierum,) & ejuſmodi eſſe in eâ Menſes, quorum ſinguli ſunt* XXX *dierum, &c. Hæc autem Epocha ab initio non fuit à Fractionibus & Emboliſmis immunis; ſed quovis* CXX *Anno unum Menſem intercalabant, (i.e. unum Menſem bis accipiebant,) ut eorum* CXX *anni eſſent æquales* CXX *annis Græcorum: & V Dies Furtivos addebant fini Menſis intercalati. Talis autem Menſis intercalatus non fuit certò deſignatus, ſed poſt* CXX *annos accipiebant Menſem Phervardîn: & poſt alios* CXX *annos, ad intercalandum accipiebant menſem Ardibehiſht: & eodem modo donec vices intercalandi ad ſingulos* XII *menſes perveniſſent, quod fuit Spatio* MCCCCXL *annorum, quod ab ipſis itaque dictum eſt Periodus Intercalationis. Hujus Epochæ Initium fuit tempore Gjemſhîd: & deinde poſteà à tempore Imperii cujuſvis Regis magni quem habuerunt, Epocham renovârunt talis Regis nomine. Donec tandem appetente Imperio Yezdegherd filii Shahriyâr filii Coſrois, (qui ultimus Regum Perſiæ,) ita accidit ut intercalandi vices perveniſſent ad menſem Abân, cui itaque adjecti ſunt* V *Furtivi. Cúmque tempore Othmân filii Affân expiraret Imperium Yezdegherdi, hæc Epocha ſub nomine ejus manſit: & poſteà nulla accidit Intercalatio, & dicta Regula omiſſa eſt. Hinc eſt quòd quidam* V *Furtivos fini Menſis Abân affixerint perpetuó: ſed aliqui Aſtronomorum* [poſteriorum] V *Furtivos ad finem Anni rejiciunt, ut Calendariorum ſcriptio illis facilior ſit. Cúmque hæcce Epocha ab Emboliſmis & Fractionibus ſit immunis, & cum Epochâ Nabonaſſari quæ in Al-Mageſto uſurpatur æqualis, hâc de cauſâ, plerique Aſtronomi eâ utuntur: ideóque & nos meditullia harum Tabularum ſuper hacce Epochâ fundavimus; cujus initium eſt Feria tertia,* XXII *die Rabîæ prioris, anno ab Hegjrâ* XV^to^. Heic autem planum eſt quod ex Scribæ Perſici incúria پانزدهم XV, fit pro یازدهم XI, (cum ſcriptio ſit ferè ſimilis,) quo anno hæc Epocha ponitur ab aliis: nam aliàs, Epocha *Yezd.* non erit *Chriſti* Anno XXXI, ſed XXXVI. Prætereà, cùm hanc Epocham ponat *Feriâ tertiâ*, ea non potuit eſſe anno XV, quippe cujus initium erat Junii XV, Feriâ VII. Pro mendâ itaque habeatur. Vi-

detur autem quòd eorum Computus fuerit *duplex*; ſcil. *generalis*, per Annum Eccleſiaſticum, qui Annus Mundi, & *particularis* per Annos Imperii Regum, ut nos etiam in *Angliâ* facimus. Utcunque tamen hicce eorum Computus non erat valdè accuratus temporis ſervator, cùm in Intercalationibus CXX Annorum (inquit *Cotboddîn)* acciperent aliquam Anni particulam pro *Nychthemeri* Quadrante integro, quod non ſatis rectè factum: nam ut *Shâh Cholgji*, ſic enim *Ibn Shâtir Damaſcenus*; *Annus Solaris eſt Dierum* CCCLXV *cum Quadrante, minùs unâ* CXXXI[a] *parte Nychthemeri juxta Obſervationem recentiorem.*

Quomodo & quando fiebat Intercalatio, vides ex *Shâh Cholgjio:* & idem docet *Cotboddîn* his verbis, *Cùm à Yezdegherdo filio Shahriyâr filii Coſræ (qui Juſtus cognominatus fuit,) Epocha* يزدجرد *inſtaurata eſſet, jam addititius ille Menſis pertigerat ad Abân-mâh, elapſis de Emboliſmi Periodo annis* DCCCCLX, *ejuſque Menſis finem ſequebantur Epagomenæ. Poſtquàm verò Perſicum Imperium illi ereptum eſſet tempore Othmân filii Affân (quando in domum cujuſdam molitoris fugiens, ibi interfectus fuit prope Marv-Shâhgjân,) quinque illi Dies adhæſerunt Menſi Abân, ſine ullâ traductione aut Emboliſmo. Ac proinde Perſarum alii hoſce Dies apponunt Menſis illius fini, eâdem ſervatâ conſtitutione; alii verò fini Menſis Iſphendârmad, quia hic eſt anni ultimus.*

Cur autem Perſæ hâc potiùs quàm aliarum Gentium Intercalatione utebantur, rationem reddit D. *Golius* in Notis ad *Alfraganum* p. 27, ex *Nedâmoddîn, Naſſireddîn Tuſæi* diſcipulo, qui in ſuo *Tractatu de Annis* dicit, *Religione certâ Perſæ Ignorantiæ tempore cavebant ne intercalarent aliquem Anni Diem, quemadmodum faciunt Tabularum Conſtructores Rumæi,* ſeu *Græci. Hocque, inquit Mes'ûdi, fuit quoniam eorum Dies erant vel felices vel infelices; ideóque odio habebant ut, Diei intercalatione, Dies felices transferrentur in Dies infelices.* Deinde alia additur ratio ex Philoſopho Shirazitâ; *Propterea quòd cuique tam Menſis quàm Appendicum diei eſſet peculiare quoddam nomen, ſcil. cujuſdam Angeli, & Perſis eſſet pro quovis die peculiaris Muſſitatio nomine Angeli illius Diei: ideóque, ex illorum ſententiâ, haud recta eſſet talis eorum Muſſitatio, ſi diebus Menſis unum Diem adderent.*

Eadem quoque (inquit D. *Golius)* Intercalationis omiſſæ cauſa *Ægyptiis* videtur fuiſſe: nam & hoſce ſpectâſſe cujus Deorum dies quiſque eſſet, Autor eſt *Herodotus* lib. II. Vel utriſque communis cauſa, quòd eorum Sacerdotes regundi temporis myſterium ſibi proprium eſſe vellent: quod ex *Strabone* Lib. XVII. conſtat, quàm difficile *Platoni* & *Eudoxo* fuerit ab *Hierophantis Ægyptiorum* diſcere, quæ

Diei

Diei & Noctis particula CCCLXV diebus deeſſet ad complendum Annum. Præſertim Perſarum Sapientibus curæ fuit Annum, poſt certum temporis ſpatium, in integrum reſtituere vagúmque ſiſtere; præcipuè cùm certas Anni tempeſtates pleraque eorum Sacra reſpicerent. Quare aſſumentes Particulam Anni æquabilis reliquam pro Quadrante integro, ſingulis CXX annis adjecerunt Menſem unum, (tot enim annis, totidem Diei *Quadrantes* componunt XXX Dies) ita ut ipſorum Anni congruerent cum Annis *Rumæorum*, ſeu Græcorum. Methodum intercalandi docet *Nedâmoddîn*; ſcil. Annus ille CXX^us^ erat XIII menſium, eúmque Annum vocabant *Byhzec:* & Menſem intercalarem vocabant nomine ipſius Menſis cujus Fini ille addebatur. Menſis autem intercalaris Fini adtexebant V *Epagomenas*, ut ipſa hæc additio intercalari Menſi ſignum foret in vicem proximam. Erat enim Intercalatio ſuo ordine promovenda de menſe in menſem, a *Phervardîn* ad *Iſphendârmad:* atque hæc dicta fuit دورهٔ الکبیسة *Periodus embolimica* annorum MCCCCXL. Atque ita fiebat ut *Naurûz* & reliqua Feſta, quæ annorum CXX ſpatio paulatim ſuas ſedes quaſi integrum menſem antevertebant, uno menſe geminato, in eaſdem retraherentur. Hactenus ille. In nomine *Perſico* fallitur autem *Nedâmoddîn* Arabs, ſtatuendo totum illum Annum in quo incidebat Menſis intercalaris, vocatum fuiſſe *Byhzec*, ut ille enuntiat: nam tantùm intercalatus Menſis illo nomine gaudebat; ſeu potiùs nomine بیهیزک *Bîhîzek*, ut in Perſarum Libris ſcribitur. De eo *Chalîl Sûphi* Turcicè refert, *Bîhîzek eſt nomen alicujus menſis in Epochâ Perſicâ, qui ſic ſe habuit: ſolebant nempe poſt* CXX *annos, unum integrum menſem intercalare; adeò ut ille Annus haberet* XIII *menſes. Dictum menſem Bîhîzek, ſic intercalatum, ut Feſtum à capite ad calcem celebrabant.* Apud *Ibn Phacreddin Angjou* in Libro *Ph. Gj.* rectiùs ſcribitur بیهتریک *Bíhterek*, (q. d. *melior* menſis,) & ibidem Perſicè exponitur, *Bíhterek eſt Menſis Embolimæus ſemel in* CXX *annis, qui Annus habebat* XIII *menſes. Et cujuſcunque Regis tempore accideret, ejuſdem Regis magnificentiam, ſeu magnanimitatem arguebat; iſque Regum maximus habebatur. Hoc autem credebant de Menſe Bíhterek, quando accidebat tempore Regis non valdè ferocis: ex. gr. tempore Regis Nuſhirravâni fuit duplex Menſis Ardibehiſht.* Pro *Ardibehiſht*, fortè meliùs dixiſſet *Shahrîvar*; quia *Nuſhirravân* haud ita diu regnavit ante *Yezdegherd.* D. *Scaliger*, ab *Ignatio* Patriarchâ edoctus (nam ipſe ne unum verbum *Perſicè* novit,) dicit quòd talis Annus vocari ſolebat سالخدای *Sâlchodâi*, i. e. *Annu Dei:* & talis Menſis intercalatus ماه بزرگ *Mâh buzùrgh*, i. e. *Menſis magnus*,

magnus. Sed fides ſit penes Autorem: nam in Perſarum Libris talia dicti Anni aut Menſis nomina nondum reperi.

Quoad Epochæ *Gjelalææ Melicææ* Initium, referente *Olugh Beigh*, *Secundùm aliquos Orientalium, erat die Solis*, V^to *Sha'bân, Hegjræ* CCCCLXVIII. *Secundùm alios, erat die Veneris*, X^mo *Ramazân, Hegjræ* CCCCLXXI. *Secunda ſententia eſt receptior, ideóque eam ſequitur Olugh Beigh*. Hicce dictus Annus erat à *Yezdegherd* CCCCXLVII aut CCCCXLVIII *Chriſti* MLXXVIII aut MLXXIX; ad quem Annum D. *Joh. Gravius* in ſuis Tabulis adſcripſit ſequens Lemma, *Anni Epochæ Gjelalææ Solares ab Æquinoctio verno, ſive à Meridie proximè ſequente ingreſſum ☉ in ♈ in Horizonte Chowareſmiorum*. Cur addit *Chowareſmiorum*, vix ſatis mihi conſtat. Nam cùm ejus Tabulæ ſequantur Annum Perſicum *Gjelalæum*, qui incipit cum Solis ingreſſu in *Arietem*, X *Martii* in Perſiâ, hoc tempus non poteſt concordare & coincidere cum Anno *Chorazmio* qui incipit cum Solis gradu XIX in *Ariete*, ſeu XXIX *Martii* (ut infrà dicetur,) in *Chorazmiâ* DCCC milliaribus orientaliùs verſus *Indiam*. Si itaque (poſt tam doctum Aſtronomum) mihi relinquatur judicium, ea verba *in Horizonte Chowareſmiorum*, ut ſuperflua ex ejus *Lemmate* delenda ſunt, ſubſtituto pro iis *in Horizonte Perſico*, ſeu *Perſarum*, ſi modò opus ſit. Hoc autem nomen quod ſcribitur خوارزم, & quod ab *Arabibus* legitur *Chowarezm*, ſeu *Chowarazm*, à *Perſis* aliter ſonari & legi ſolet *Chorzem*, ut *Latinè* legatur *Chorzemiorum*. Nam quamvis Literæ *Châ* ſuperſcribi ſoleat *Damma* & *Phata*, id fit ut legatur utrâvis ſeorſim, non autem utrâque ſimul; & *Eliph* quieſcit. Hujus Regionis Incolæ *Ptolæmeo* ſunt χωράσμιοι, *Straboni* χωρασμήσινοι, minùs rectè.

De vero *Gjelalææ Epochæ* Initio, videtur eſſe aliqua inter Autores diſcrepantia. Nam in aliquo *Syrorum Calendario* (ubi extat دايرة دوروز سلطاني *Cyclus Naurûz Sultanæi* & دايرة كبيسة *Cyclus Emboliſmorum*, uterque XXVIII annorum,) ad XI diem Martii adſcribitur دوروز سلطاني *Naurûz Sultanæus*: & mox ad XIII diem adſcribitur دوروز سلطاني عند البعض *Naurûz Sultanæus ſecundùm quoſdam*, quaſi de vero ejus ſitu ſubdubitando. *Kàs Kuriacus* ponit XI^mo *Martii*. Quamvis verò, medio modo loquendo, Solis ingreſſus in *Arietem* plerumque dicatur eſſe X^mo die *Martii*, rem tamen ſtrictè ſcrutando, compertum eſt Solem aliquando poſſe uno die citiùs aut tardiùs Arietem ingredi, idque, vel ratione *Biſſextilis*, vel aliter. Ideóque perpendendum eſt quo Anno facta fuerint *Orientalia Calendaria* quæ inſpicimus, cùm, ante CXXX annos, ingreſſus fuerit uno die tardior,

qui

qui nunc, illis annis jam elapsis, est (per XI minutorum anticipationem) uno die citiùs. Et eâdem ratione, ingressus, ante CCCC annos, erat III diebus tardior, qui nunc III diebus citior quàm tunc erat. Sed quomodo in eodem Anno potuerit esse vel XI^mo vel XIII^tio die, (ut in *dicto Calendario*,) mihi non constat, nisi ille autor locutus fuerit juxta tunc præsentem annum in *suo Calendario*, & citaverit aliam opinionem ex *antiquiori Calendario*, quod absurdum. Ideóque fides sit penes Autorem. Id autem quod diximus de *Anticipatione*, & de *tardiore, aut citiore ingressu*, intelligendum est de Anno Communi, qui *Julianus:* nam Annus *Astronomicus* est semper idem, per quem metiendus & emendandus est alter Communis, seu *Julianus.*

At secundùm infra dictum *Emboliſmum Melicſhahæum, Yezdân-Bachſh* cognom. *Parvus*, in *Zîgj Mugjmel* ponit *Æræ Melicææ Initium die Sabbâti*, XVIII *Phervardîn veteris, anno Persico* CCCCXLVIII: additque; *Hujus anni dies esse* CCCLXV, *cum Quadrante diei: & omnes Menses esse* XXX *dierum, cum* V *Appendicibus.* Sic etiam D. *Golius* in Alpherganum p. 33, de Anno *Gjelalæo* ex *Cotboddîn* refert; *Instituerunt illi Æram, cujus principium esset meridies post ingressum Solis in Arietem, atque illud nominârunt Neurûz Sultâni. Ingressus autem fuerat illo tempore Sol in principium Arietis die* XVIII *Phervardîn veteris, quem illi faciebant primum Phervardîn Gjelalæi: & illos* XVIII *dies habebant intercalares. Atque ita principium Epochæ Gjelalææ est Emboliſmus Melicſhahæus: & quaternis quibusque annis intercalant diem.* Debuerant dixisse XIX *Phervardîn*, ut infrà. *Shâh Cholgji* Persa in *Tabulis Universalibus*, videtur paulò rectiùs statuisse parte II. cap. 5, (ubi agit de تاريخ محدث كه آنرا تاريخ ملكي خوانند *de Epochâ recentiore quam vocant Melicæam,*) his verbis, حكماي كه در عهد سلطان جلال الدين ملكشاه بن آلب ارسلان سلجوقي بودند تاريخ وضع كرده اند منسوب بسلطان جلال الدين كه آسامي شهور آن مطابق آسامي شهور فارسيان است اما ماههاي فارسيان را بتقديم مقيد كنند واين ماهها را بجلالي و اول سال اين تاريخ كه اول فروردين ماه جلالي باشد روزي اعتبار كرده اند كه در اول آن روز آفتاب بنقطهٔ اعتدال ربيعي رسيده بود يعني اول بهار حقيقي و آن روز آدينه بوده است مطابق دهم رمضان سنه ۴۷۱ هجريه موافق

موافق پانزدهم آذار رومي سنة ١٣٩٥ اسكندريه موافق دوازدهم فروردين ماه قديم سنه ٨٤٩ يزدجرديه وآن هجده روز كه از فروردين ماه قديم گذشته بود آنرا كبيسه كردند وباين سبب مبدا اين تاريخ را كبيسهٔ ملكشاهي مي گويند وماههاي اين تاريخ را بعض ماه شمسي حقيقي گيرند وآن مدت قطع آفتاب باشد بحركت خاص يك برج را مثلا فروردين مدت قطع آفتاب باشد برج حمل را &c. پس همچنانك اول سال بهار حقيقي است ومدت هر سه ماه نيز مدت يك فصل حقيقي باشد اما منجمان بجهت سهولت نوشتن تقاويم وكشيدن جدول آن اصطلاح چنان كرده اند كه ماههارا سي روز گيرند بر عادت فرس تا عدد ايام در اوراق تقويم مختلف نشود وخمسه مسترقه را در آخر اسفندارمذ زيادت كنند وسالهاي اين تاريخ شمسي حقيقي است ومدت آن بحسب رصدي كه بناء اين تاريخ بر آن است سيصد وشصت وپنج روز است وچهارده دقيقه و سي ودو ثانيه از روزي باعتبار آنك شبانروز شصت دقيقه باشد پس از ربع بيست و هشت ثانيه كم باشد بدين سبب بهر چهار سال يا پنج سال يك روز كبيسه كنند و سال بسيصد و شصت وشش روز شود وچون هفت يا هشت بار بچهار سال كبيسه افتد يكبار بپنج سال

Sapientes qui fuerunt tempore Sultân Gjelâl-eddîn Melicſhâh filii Alp Arſlân Selgjûki, poſuerunt à Sultân Gjelâl-eddîn denominatam Epocham, in quâ Menſium nomina correſpondebant cum nominibus Menſium Perſicorum: ſed Menſes Perſicos Veterum appellatione reſtringebant, & iſtos menſes Gjelalæos [vocabant.] *Hujus Anni principium eſt Epocha quæ incidit in principio menſis Phervardîn Gjelalæi, ſcil. die quem multùm æſtimant, in cujus initio Sol ad punctum Æquinoctii verni pervenit, i. e. ad initium Veris veri, quod eſt die Veneris correſpondente cum nono Ramazân anni Hegjræ* CCCCLXXI, *& convenit cum* XV *Martii Græcorum anni Alexandrini* MCCCXC, *concordans cum* XIX *menſis Phervardîn veteris anni Yezdegherdæi* CCCCXLVIII. *Et illos* XVIII *dies ex Phervardîn veteri elapſos intercalant: & hinc eſt quòd hujus Epochæ initium vocatur Emboliſmus Melicſhahæus. Sunt qui hujus Epochæ menſes accipiunt ut menſes Solares veros,* i. e. *tempus quo Sol motu proprio* [ſeu Epicycli] *aliquod*

aliquod Signum ſecat: ex. gr. Phervardîn eſt tempus quo Sol ſecat Signum Arietis: & ſic deinceps. Ita ut initium Anni ſit Ver verum, & quivis III *menſes ſint Quadrans verus. Sed Aſtronomi, pro facilitate conſcribendi Ephemerides & delineandi Tabulas, eum introduxerunt uſum, ut ſingulos menſes tricenos dies eſſe acciperent, ſecundum morem Perſarum, ut dierum numerus in Ephemeridum foliis non eſſet inæqualis. Et* V *Furtivos ad finem menſis Iſphendârmoz adjiciunt. Hujus itaque Epochæ Anni ſunt Solares veri: & eorum ſpatium eſt pro ratione Obſervationum ſuper quibus hæc Epocha fundatur, ſcil.* CCCLXV *dierum cum* XIV *minutis &* XXXII *ſecundis diei, eâ ſuppoſitione ut Nychthemeron conſtet* LX *Minutis: adeò ut Quadrante minus ſit* XXVIII *ſecundis. Hinc quovis quarto aut quinto anno, unum diem intercalant, adeò ut talis annus ſit* CCCLXVI *dierum. Et quando ſepties aut octies quarto anno fuit Intercalatio, ſemel quinto anno erit.*

Scilicet quod ſuperiùs dicitur, eſt, quòd Epochæ hujus Menſes ſunt *Nomine Veteres Perſici* in anno *Vago*, *Uſu* verò *Gjelalæi* in anno *Fixo*. Eodem modo ac ſi aliquis Romanorum Anni veteris Menſes diſtingueret à *Menſibus Julianis*, qui nomine tenus iidem ſunt & tantum ſitu differunt, mutatis primis in ultimos: excepto quod forte *Julius* ſit à *Julio Imperatore* & *Auguſtus* ab *Imp. Auguſto* qui antea erant *Quintilis* & *Sextilis*. Apud *Olugh Beighum* Annus *Melicæus* eſt CCCLXV dierum cum Minutis ſeu Scrupulis diei $14', 33'', 7''', 32''''$. Is etiam quoad præcedentia, in eundem ſenſum, ſed breviùs, loquitur. Deinde ſupradictus *Shâh Cholgji* parte II, cap. 9, de hujus Epochæ initio ſic differit, واما آنچه بر موضع آفتاب باشد گوييم چون آفتاب باوايل برج منقلب رسد ابتداء فصول اربعه از آنجا گيرند اگر پيش از نصف النهار رسد از آن روز باشد واگر بعد از نصف النهار رسد از روز ديگر اما اول فصل بهار وذوروز سلطاني آن روز بود كه در نصف النهار آن روز آفتاب در حمل رفته باشد وذوروز خوارزمشاهي آن روز كه آفتاب بدرجهٔ شرف رسيده باشد *Quod ſpectat ad Solis loca, dicemus: Quando Sol converſus ad Signorum initia pertingit, quatuor Quadrantum initia inde ſumunt: &, ſi ante Meridiem pertingit, tum ſumitur ab illo die: at ſi poſt meridiem, tum à proximo die. Sed initium Quadrantis verni & Naurûz*

Sultanæi, eſt Meridies illius diei quo Sol in Arietem ingreditur. Et Naurûz Chorzemſhahæus eſt illo die quo Sol venit ad gradum Exaltationis ſuæ. Solis autem *Exaltatio* eſt in XIX gradu Arietis, qui eſt XXIX Martii: nam Sol ingreditur *Arietem* X die *Martii*; & his X diebus menſis addendo XIX dies ſigni Arietis, exurgit numerus XXIX. Ideóque in Calendario noſtro, *Conſtantinopoli* conſtructo, ad XIX diem *Phervardîn Gjelalæi* adſcribitur نوروز خوارزمشاه *Naurûz Chorzemſhahæus.* Et in *Syrorum* Calendario, ad XXIX diem *Martii* adſcribitur in margine شرف شمس ونوروز خوارزمي شاه *Exaltatio Solis, & Naurûz Chorzemiſhâh.*

Supradictus *Naurûz Chorzemſhahæus*, eſt *Naurûz* prout celebrari ſolebat in Regno *Chorzem*, ſeu *Choráſmia*, (*Ptolemæo* Χωρασμία,) cui præfuit ex familiâ *Selgjukæa* محمد بن انوشتكين لقبه خوارزمشاه *Mohammed filius Anûſhteghîn cogn. Chorzemſhâh*, i. e. *Choraſmiæ* Rex; à quo iſta Epocha denominata eſt. Et huic ſucceſſit ejus Filius علي خوارزمشاه آتسز *Ali Chorzemſhâh cognomine Atsìz*; eſtque *âtsìz, Equo carens.* Scilicet, dictus *Anûſhteghîn*, ſeu *Nûſhteghîn* fuit Avus ejus. Hi ſucceſſerunt etiam in Regnis *Choraſân* & *Irâk* & *Perſiâ*, quibus tunc olim præfuerat *Melicſhâh*, qui *Togrulbeghi* (vulgò *Tangrolipix, Bryennio, Strangolipes,*) Nepos, ex familiâ *Selgjûki* quæ regebat in dictis Regionibus & in totâ *Mawaralnáhra.* Dicente *Ahmed Ibn Jûſuph, Togrulbegh regnavit* XVI *annos: & præfuit Mawaralnahræ & Choraſân & Deilom: & obiit in urbe Rey anno* CCCCLV, *poſtquam vixerat* LXX *annos. Melicſhâh*, aliquando paulò aliter & quidem pleniùs, dictus eſt سلطان جلال الدولة ابو الفتح ملكشاه بن الملك العادل آلب آرسلان *Sultân Gjelâloddáulat Abu'lPhât' Melicſhâh filius Regis Juſtiſſimi Alp Arſlân:* ſic *Abu Mohammed Muſtapha*, qui etiam in hujus Regis Vitâ narrat, quòd في سنة سبع وستين جمع ملكشاه وظام الملك جماعة من المنجمين وجعلوا النوروز عند نزل الشمس اول الحمل و كان نوروز قبل ذلك عند نزل الشمس نصف الحوت وفيها عمل ملكشاه الرصد — وبقي الرصد الي ان مات السلطان المذكور سنه خمس وثمانين واربعمايه *Anno* LXVII [ſcil. Selgjukæorum,] *Melicſhâh & Nedhâmo'l Mélik* [qui ejus Vezîr] *convocârunt Aſtronomorum conventum, qui conſtituerunt Naurûz apud ingreſſum Solis in Arietem: anteà enim Naurûz erat apud ingreſſum Solis in medium Piſcis.*

Piſcis. — *Eo anno Melicſhâh inſtituit Obſervationes-cœleſtes quæ durârunt donec obiit dictus Princeps anno Hegjræ* CCCCLXXXV, i. e. *Chriſti* MXXXII. Hinc colligimus quòd dictus Rex apud Perſas invenerat Annum fixum: quis autem conſtituerat eum non dicitur. Id certè non fecerunt *veteres Perſæ*, utpote qui uſque hodiè utantur *Anno vago*. Id itaque fecerit *Selgjûk*, dicti Regis Proavus, dum Perſiam ſibi ſubegerat. Ideoque Annus à medio Piſcium vocari poſſit *Annus Selgjukæus*. Infit *Ahmed Ibn Jûſuph, Melicſhâh regnavit* XX *annos: & obiit anno* CCCCLXXXV, *poſtquam vixerat* XXXVIII *annos & aliquot menſes. Et portatâ ciſtâ ejus ad Iſpahân, ibi ſepultus eſt in* مدرسة *Collegio ſuo quod ibi extruxerat.*

Quo tempore pleræque Gentes ſuos Dies incipiant, notat *Sháh Cholgji* Parte II, cap. 1. *Mohammedani & omnes alii qui Menſes à Phaſibus Lunaribus inchoant, Diem civilem ab Occaſu ſolis inchoant: quia donec Sol occubuerit, Luna videri non poteſt: adeò ut Nox Diei præmittatur. Græci autem & alii quorum Menſes à Computatione pendent, Diem civilem inchoant ab Ortu Solis: adeò ut Dies Nocti præmittatur. Aſtronomi noſtri* (inquit Autor) *Diem civilem inchoant à Mediâ die quando Sol eſt in Meridiano ſuprà Terram. Indi autem, & aliqui ex Perſis, & Chatæi, Diem civilem inchoant à Mediâ nocte, quando Sol eſt in Meridiano infra Terram. Et eorum ratio eſt, quia inde inchoatur Solis Aſcenſus quando oriturus eſt. Alii Diem civilem dividunt in* XXIV *horas*, &c. *Sunt qui dividunt in* LX *partes, quas vocant Minuta*, &c. *Et ſanè* منجمان هند شبانروز را بر شصت قسمت کنند و هر قسمي کري خوانند وهر کري شصت پل باشد و هر پل شصت بپل و هر بپل شصت کشتکاش *Aſtronomi Indorum Diem civilem per* LX *dividunt: & quamvis partem vocant Kerí: & quodvis Kerì eſt* LX *Pál: & quodvis Pàl eſt* LX *Bipál: & quodvis Bipàl eſt* LX *Keſhtenkéſh.* Sic ille. Et in eundem ſenſum *Olugh Beigh* teſtatur, quòd in Regionibus quibus ipſe præfuit, Diem Civilem ſeu Nychthemeron inchoari à mediâ die. Sed apud *Arabes* & Legis [*Mohammedanæ*] ſequaces, يوم طبيعي *Dies naturalis* (ut vocant) incipit à principio noctis, & definit ad principium noctis ſequentis. Apud alios, ab initio Diei ad initium Diei ſequentis. At à mediâ nocte inchoatur apud Aſtronomos *Chataiæ*, ſeu *Chinæ*, (ut ſuprà,) ut & apud *Tataros Oighuræos*. A meridie, in *Angliâ*, diem inchoant Aſtronomi, à mediâ nocte numerant Calendariorum ſcriptores, ſeu Aſtrologi.

CAP. XVIII.

De Anno ſeu Epochâ τῆς Kata & τῆς Oighûr.

ISTE Annus, ſeu iſta Epocha, talis eſt quæ à Perſarum Aſtronomis unà cum Perſicâ explicari ſolet, (quos ideò imitamur,) & quæ in eorum rebus & libris unà cum Perſicâ uſurpatur apud Perſas & Indo-Perſas in Hiſtoriâ *Timûri* & aliis aliquot Libris Perſicis, qui ſine iſtius Epochæ cognitione probè intelligi nequeunt. Cùm itaque hujus cognitio videretur utilis & neceſſaria, eam in hoc Capite explicaturi ſumus.

Quoad كتا *Katâ*, (quæ propriè & primariò eſt *Tatariæ* pars,) ea jam eſt ex nominibus *Chinæ*, uti conſtat ex *Martinii Atlante Sinico* propè initium. De hoc nomine, Autor τῆς *Logàt Méſnavi* lepidè obſervat, quòd illud ſcribere خطا *C'hatâ*, ut vulgò fit, reverà ſit خطا *C'hatâ*, i. e. *error*. Quoad ايغور *Oighûr*, (quæ D. *Gravio* perperam dicta *Igûra*,) ea eſt etiam *Tatariæ* magna pars, quæ vulgò ſonat *Joughour*, unde in Globis *Joughoria*. Quale hoc ſit nomen partim exponitur in parvo quodam Vocabulario Tatarico inter MSS *Poc.* اويغور *Oighûr*, تتارة لي ديمكدر *hoc eſt dicere Tatarus*, ſeu *Tataricus*, eorum, ſive perſonas, ſive res in genere, ſpectando. Hoc autem *Tatarorum* nomen non eſt antiquius quàm *Gjenkizchân*, qui CCCC abhinc annis, *Turciſtaniæ* incolis, illum in bello ſuo opitulantibus, impoſuit hoc nomen *Oighûr*, i. e. *Adjutores*, ſeu *Auxiliarios* vocando eos.

Hæc Epocha apud *Katæos*, ſeu *Chinenſes*, ſatis antiqua fuerit, quæ fortè apud eos ſemper ab immemoriali tempore uſurpata. Sed ea non videtur æque antiqua apud *Orientales Turcas*, *Tatarósve*, utpote qui *Oighuræorum* nomine non vocabantur ante dictum *Gjenkizchân*. Ideóque apud *Tataros*, ante illius tempora, vel hæc Epocha, vel ſaltem hujuſmodi ejus nomen, non extitit. Videtur autem iſta Epocha à *Chinenſibus* mutuata, circa CCCC abhinc annis, quo tempore *Tatari Kataienſes Chinam* invadentes & occupantes, illud ſuum nomen ſecum invexerunt, *Chinam*, ut ſuam tunc regionem, eodem nomine vocantes *Katâ*, eam poſſidentes & cum ſuâ *Kataiâ* ſociantes: & tunc Anni *Sinici* formam didicerunt, & de poſtero, in ſuum uſum adoptârunt. Hoc itaque *Chinæ* nomen in *Chinam* introductum fuit unà cum

cum victoribus *Tataris*, qui viciſſim Anni commodam formam inde reportârunt. Nam quòd Annus *Tataricus* acceptus fuerit à *Sinis*, vel hinc conſtat, quòd in *Anni partibus* & in omnibus ejuſdem *Cyclis*, (excepto XII Animalium *Cyclo*,) omnia nomina, à *Tataris* ibi uſurpata, ſint planè *Sinica*, non autem *Tatarica*; uti certè fuerant, ſi talis Annus, ſeu Epocha, ab his in *Chinam* introducta fuiſſet, & non inde mutuata. Nam (ut videtur) *Tatari*, præter rudiorem illum per XII Animalia Computum, nullam habuerint Epocham, ſeu Anni formam, quam darent *Sinis*: ideóque tam commodam, & à *Sinenſium* Aſtronomis tam benè excogitatam Anni formam, mutuârunt, eandem ſuam etiam eſſe volentes. Neceſſe enim videtur quòd Gens cultior talia dederit incultiori, non autem, vice verſâ, ab eâ acceperit talia. Adeò ut iſte Annus fuerit primò *Sinicus*, & poſteà *Tataricus*, cùm hi ab illis acceperint. Et quia iſte Annus, ſeu iſta Epocha, nuperis centuriis ab utrâque Gente æquè uſurpata fuit, ideò eam, ſine ullâ antiquitatis diſtinctione, ab iis utriſque junctim denominare ſolent Perſarum Libri de eâ agentes: cùm non ſint duæ, ſed planè una eademque Epocha ab unâ Gente ad alteram tranſlata. Sic *Shâh Cholgij* Cap. VII, ubi expreſsè agit de hâc Epochâ, dicit eam inſtitutam fuiſſe à حكماء قتا و تركستان *Sapientibus* τῆς *Katâ &* τῆς *Turkiſtân.* Et cùm utriuſque Gentis Annus ſit unus idemque, ideò *Ulugh Beigh* de harum duarum Gentium Epochis, quaſi de unâ, agit indiſtinctè, ſub unâ eâdémque deſcriptione, in eodem Capite ſub Titulo تاريخ قتا و اويغور *Epocha* τῆς *Katâ &* τῆς *Oighur.* Cùm itaque hæc Epocha à *Tataris* per vim & arma in *Perſidem* introducta olim fuerit, & jam poſteà in Perſarum Libris junctim cum antiquiore Epochâ Perſicâ deſcribi ſoleat, tanquam altera Epocha, quodammodo in Perſiam adoptata, & in quibuſdam rebus & Libris Perſicis aliquando uſurpata, eam etiam (inquam) heic inter Perſarum res tractare & paulò fuſiùs deſcribere non detrectavimus. At ejuſdem introductionem quod attinet, hoc in caſu, *antiquas Tatarorum Invaſiones* non ſpectamus, utpote quæ fuerint antequam hæc Epocha inter *Tataros* reciperetur: ſed eas eorum ſpectamus Invaſiones quæ fuerunt citra *Gjenkizchâni* tempora. Illi enim ſæpe ſubjugârunt Perſiam, & ſuam Epocham ſecum introduxerunt, vel ſaltem, eam ibi in quibuſdam rebus uſurpârunt: uti quando per multos annos rerum ibidem potiebantur *Tataricorum* Regum Series, ex Familiâ آق قويونلي *âk-koyûnli*, ſeu *Alb-ovinâ*, & ex Familiâ قره قويونلي *Kara-koyûnli*, ſeu *Nigr-ovinâ*, de quibus videatur

tur *Grimſtonus*. Iſtæ duæ familiæ (dicente *Ahmed Ibn Jûſuph)* ex *Turcomaniâ* ortæ, deinde habitârunt in *Turciſtân:* & poſteà tempore τῦ *Argûn-chân* recipientes ſe in *Aderbayagjân*, Perſiam obtinuerunt. Videatur etiam *Pachymerius* Lib. II, cap. 24 & alibi, quomodo Perſia à *Tocharis* (terribili Tatarorum gente ad Boream adjacente,) ſubjugata fuit Anno *Chriſti* MCCLXI, quando Perſarum Sultan *Azatînes* (fortè عز الدين *Azzadîn*,) ad *Græcorum* Imperatorem fugit, ſubdolè exceptus: & Tatarorum tunc Princeps (qui *Portas Caſpias* & Perſiam occupabat,) erat καλαός. Deinde conſulatur dictus *Grimſtonus* Pag. 822, de Tatarorum in Perſiâ Regibus ſub *Uzûnchazân*, circa idem tempus, ſi is rectè ponit. Et ibidem conſulas Pag. 916, de Regibus Tataris Anno MCCCLXXXVIII à *Timûro* deſcendentibus. Cúmque res ſic ſe habuerint, omnes (ut ſpero,) me operæ pretium facturum exiſtimabunt, ſi Tatarorum Annum & Epocham unà cum Perſicâ heic peculiari commentatione expoſuero.

Priùs autem quàm *Kataica* nomina tractare aggrediar, de vero ac genuino eorundem apud exteros Autores ſono, & de iis quæ in noſtratium gratiam mutavimus, aliquid præmittere viſum eſt; ne fortè propter diſcrepantiam à *Martinio* & aliis Miſſionariis, Lector nos in eis proferendis cæſpitaſſe ſuſpicetur, & ipſe quoque in eiſdem efferendis ſecundùm *Atlantem Sinicum* & alios eorum Libros hallucinetur; dum non advertit eorum pronuntiationem *Portugalicam*, & terminationes *Europæas* vocibus *Sinicis* perperam additas. Peſſimo enim conſilio D. *Martinius* in dicto *Atlante* & in ſuâ Hiſtoriâ *Sinicâ* ſequitur pronuntiationem *Luſitanicam*, atque nominibus *Sinicis* addit terminationes *us* & *um*, quæ utraque Lectorem fallunt: tales itaque terminationes inter pronunciandum apocopare præſtat & voces *Sinicas* ſimplices ſine illis enuntiare. Cúmque tam ibidem, quàm apud D. *Golium* in Notis ad *Alpherganium*, omnia nomina *Sinica* ſequantur pronuntiationem *Luſitanicam*, omninò monendum duxi, quòd lit. X ſonatur ut *Sh:* *Ch* ſonat molle ut *Tch:* *M* in fine ſonat ut *Ngh:* *G* in initio molle eſt ut *Gj*; at in fine *G* eſt durum ut *Gh:* & nos ſic ſcripſimus, ut noſtrates poſſint rectè ſonare. *Ao* ſonat ut *Au*, & *An* ferè ut *On:* ſed non ſemper mutavimus, quia ſonus tam prope accedit. Litera *H* Luſitanica ſonat fortiter ut *Hh* duplice aſpiratione, ſeu ferè ut *C'h* durum in lit. ﺤ *C'ha* aut ח *C'heth*. Miſſionarii ſuo modo eum ſonum exprimunt *C'a:* ideóque in noſtrâ Præf. ad *Pondera & Menſuras Chinenſium*, emendatum velim *C'in*, (quia non ſonat molle, ſed durum,) & pro eo ponendum *Tchîn*. Sed D. *Martinius*, in *Atlante*, non

non ſequitur regulam quam ipſe tradit (quòd ſcil. *C'h*, ſeu *Ch'*, ſonet ut Italorum *Ch:* nam ſcribit *Ch'e* & *Ch'ang*, quæ verè ſonanda ſunt *Tche* & *Tchangh*. Litera *U̇* punctata, ſonat ut *U Gallicum* tenue cum ſibilo, fermè ut *I*, quod ſic cum alio punctulo pleonaſtico viciſſim vergit ad *U̇*. His intellectis, ea quæ paſſim in *Miſſionariorum* Libris, ad noſtros ſonos facilè reduci queant.

Quoad Annum *Turcicum*, ſeu *Tataricum*, primâ frontè, egregium mihi ſcrupulum movebant *Shâh-Cholgji* verba quæ ſuprà adduximus Pag. 201. lin. 20. *Annus compoſitus eſt quem Solarem eſſe reputant, at menſes Lunares ſunt, ſicut eſt Annus Turcarum & Indorum.* Cur autem eum annum reputent *Solarem*, nulla eſt ratio præter errorem ſcribæ Perſici, qui ſcripſit شمسي *Solarem*, *pro* قمري *Lunarem*. Sic itaque emendatiùs legendum moneo, *Annus Compoſitus talis eſt quem Lunarem eſſe reputant: & menſes ſunt Lunares, ſicut eſt Annus Turcarum & Indorum.* Cur etiam dicatur *compoſitus*, non conſtat: niſi vult, ut *Solaris Annus* habeatur *ſimplex*, propter ſolos Menſes æquales *tricenûm* dierum, alter verò *compoſitus*, propter Menſes pares & impares, æquales & inæquales, ex quibus componitur annus lunaris, habens menſes *ſolares*, ſeu *plenos*, tricenûm dierum, & menſes *lunares* deficientes XXIX dierum, & hac ratione, quaſi ex menſibus duorum generum compoſitus. Ejuſmodi etiam Erroris taxandus eſt Scriba Perſicus apud *Ali Birgjendi*, qui poſtquam optimè diſſeruerat de Anno ſolari *Sinico-Turcico*, omnia mox perdit, dicendo *ejus Anni Menſes eſſe Lunares veros*, legendo قمري *Lunares*, pro شمسي *Solares*. Cum his numerandus eſt *Kàs Kyriacus* Syro-Arabs, qui in Tabulis ait, *In anno Gjelalæo & Turcico eſſe menſes Perſicos*. De Anno *Gjelalæo* verum eſt quòd habet menſes, tam denominatione, quàm menſurâ, Perſicos veteres, qui tamen propter alium ſitum & ordinem reputantur *Gjelalæi*. At hoc de Anno Turcico non eſt verum: nam quamvis in *Turcico* Anno Solari ſint menſes XXX dierum, ii tamen ſunt denominationis *Sinicæ*. At ſi de Turcico anno lunari loquitur, neutrum eſt verum, nec denominatio, nec menſura; non Scribæ, ſed Auctoris lapſu. Nam iſti Orientales, quamvis *plurimi* ſunt doctiſſimi & accuratiſſimi, non ſunt *omnes* profundè docti, ſed quidam mediocriter, & aliquando ſuos habent lapſus, cujus miſerum exemplum eſt quidam *Soleimân Ibn Ali* Syro-Arabs, qui prætendit ſcribere *Calendarium* الرعدية *tonitruale*, in quo ferè nihil eſt verum, ſed pleraque falſa, quamvis ſuos autores firmandæ autoritatis ergò ſæpè allegaverit. Nos ergò non tenemur defendere & juſtificare omnia quæ in quorundam Orientalium Libris aliquando occurrunt. Sed diſcre-

tionis

tionis judicium utendum, nec quidvis indiſcriminatim pro veritate admittendum.

Ut itaque magis diſtinctè & accuratè agamus, præmittendum eſt, haſce Gentes *(Sinenſes & Tataros)* duplicem habere Annum; ſc. *Solarem & Lunarem.* Solaris eorum Annus eſt *Tropicus* & شمسي *Solaris verus*, ut ſuprà diximus; qui ad uſum *Chronologiæ*, & *Motionum cœleſtium* calculationes adhiberi ſolet. *Annus lunaris*, qui in Calendariis *Tatarico-Sinicis* deſcribitur, eſt ad uſum *Eccleſiaſticum.* Utriuſque Anni Initium eſt in *Vere*, aliquo tempore inter *Solſtitium hybernum* & *Æquinoctium vernum.*

Sed primò agendum eſt de *Anno Solari*, qui, dicente *Shâh-Cholgjio*, linguâ *Sinicâ* vocatur سه جو *Si-gju:* qui quidem Annus (ut vult D. *Martinius* Hiſt. Sin. p. 287,) incipit *Primo Vere, cùm Sol in medium Aquarii Signum ingreditur.* Tunc à *Sinenſibus* celebrantur *Ruſticalia*, ſeu Ruſticorum *Feſtum vernum* dictum *Hin-tchun*, cum maximâ totius regni pompâ dictu prolixâ. Ut enim populus ad rem agrariam alacriter proſequendam animetur, huic Feſtivitati interſunt Rex & Regni Primores, lætitiam agendo, cum cæremoniis plurimis & planè admirandis; quæ apud jam laudatum autorem videri poſſunt. Ruſtici autem ipſi jubentur gaudere & lætari, quòd tunc incipiat Vernum tempus, quo Agriculturam alacri animo & fauſto ſydere aggredi liceat.

Annum *Sinicum* deſcribit D. *Golius* in *Appendice Atlantis Sinici:* idem quoque prolixè & accuratè facit *Olugh Beigh*, qui inter plurima alia, hæc habet: *Hujus Epochæ Anni ſunt Solares veri: iique ſunt ab ingreſſu Solis in aliquem locum Zodiaci, donec ad eundem locum redierit; quod, ex eorum ſententiâ, fit diebus* CCCLXV & MMCCCCXXXVI *particulis diei. Annum in* XXIV *æquales partes dividunt: & unaquæque pars* XV *dies &* MMCLXXXIV *particulas continet, &* V *ſextas particulæ. Principia illorum Quadrantum, quibus noſtri utuntur, ſunt media Quadrantum eorum: adeò ut Ver eis inchoëtur circa medium Aquarii, & Puncta Cardinalia* IV *Converſionum Anni ſunt in medio Quadrantum eorum.* Et ſic etiam *Ali Birgjendi* Perſa ponit *Anni Chataici initium ubi Sol eſt* در اواسط دلو *in medio Aquarii:* additque, *Eorum Annum eſſe Solarem verum* CCCLXV *dierum cum* II *Tchâgh &* VII *Ke &* IV *Fengh, cum unâ ſextâ τῆς Fengh.* Et Annum diſpeſcit *in* XXIV *Menſes, ſeu æquales partes, quarum unaquæque eſt* XV *dierum cum* II *Tchâgh &* IV *Ke &* CI *Fengh, cum mediâ parte unius Fengh.*

Ex

Chinensium Cyclus Sexagenus seu Sexagenarius. Item, Anni Solaris Semimenses 24: unà cum aliis Cyclis et rebus ad Annum Sinico-Tataricum Spectantibus. Omnia ex peritissimi Chinensis Michaelis Shin-fo-çungh autographo delineata. (Tab. v.)

Cyclus 10.

甲	1. Kiă.
乙	2. Yì.
丙	3. Pìngh.
丁	4. Tīngh.
戊	5. Vû.
己	6. Kì.
庚	7. Kēn.
辛	8. Sīn.
壬	9. Gín.
癸	10. Quèi.

Cyclus 12.

子	1. Çù.
丑	2. Chèu.
寅	3. Yìn.
卯	4. Mào.
辰	5. Shîn.
巳	6. Sú.
午	7. Ù.
未	8. Vî.
申	9. Shīn.
酉	10. Yeù.
戌	11. Siŏ.
亥	12. Haì.

Cyclus 60.

甲子	1. Kiă-çù.	丙戌	13. Pìngh-çù.
乙丑	2. Yì-chèu.	丁亥	14. Tīngh-chèu.
丙寅	3. Pìngh-yìn.	戊子	15. Vû-yìn.
丁卯	4. Tīngh-maò.	己丑	16. Kì-maò.
戊辰	5. Vû-shîn.	庚寅	17. Kēn-shîn.
己巳	6. Kì-sú.	辛卯	18. Sīn-sú.
庚午	7. Kēn-ù.	壬辰	19. Gín-ù.
辛未	8. Sīn-vî.	癸巳	20. Quèi-vî.
壬申	9. Gín-shīn.	甲午	21. Kiă-shīn.
癸酉	10. Quèi-yeù.	乙未	22. Yì-yeù.
甲戌	11. Kiă-siŏ.	丙申	23. Pìngh-siŏ.
乙亥	12. Yì-haì.	丁酉	24. Tīngh-haì.
戊子	25. Yû-çù.	庚辰	37. Kēn-çù.
己丑	26. Kì-cheù.	辛巳	38. Sīn-cheù.
庚寅	27. Kēn-yìn.	壬午	39. Gín-yìn.
辛卯	28. Sīn-maò.	癸未	40. Quèi-maò.
壬辰	29. Gín-shîn	甲申	41. Kiă-shîn.
癸巳	30. Quèi-sú.	乙酉	42. Yì-sù.
甲午	31. Kiă-ù.	丙戌	43. Pīngh-ù.
乙未	32. Yì-vî.	丁亥	44. Tīngh-vî.
丙申	33. Pìngh-shīn.	戊子	45. Vû-shīn.
丁酉	34. Tīngh-yeù.	己丑	46. Kì-yeù.
戊戌	35. Vû-siŏ.	庚寅	47. Kēn-siŏ.
己亥	36. Kì haì.	辛卯	48. Sīn-haì.
庚子	37. Kēn-çù.	壬辰	49. Gín-sù.
辛丑	38. Sīn-cheù.	癸巳	50. Quei-cheù.
壬寅	39. Gín-yìn.	甲午	51. Kiă-yìn.
癸卯	40. Quèi-maò.	乙未	52. Yì-maò.
甲辰	41. Kiă-shîn.	丙申	53. Pìngh-shîn.
乙巳	42. Yì-sù.	丁酉	54. Tīngh-sù.
丙午	43. Pīngh-ù.	戊戌	55. Vû-ù.
丁未	44. Tīngh-vî.	己亥	56. Kì-vî.
戊申	45. Vû-shīn.	庚子	57. Kēn-shīn.
己酉	46. Kì-yeù.	辛丑	58. Sīn-yeù.
庚戌	47. Kēn-siŏ.	壬寅	59. Gín-siŏ.
辛亥	48. Sīn-haì.	癸卯	60. Quèi-haì.

Planetæ 7.

日	1. Ge.	
月	2. Yue.	
水辰	Shui,	3. vel Chin.
金太白	Kin,	4. vel Tai pe.
火熒惑	Hò,	5. vel Yûngh hoè.
木歲星	Mŏ,	6 vel çui.
土填	Tù,	7 vel Tiên.

Signa 12.

白羊	Pe	1. yangh.
金牛	Kin	2. nieu.
双兒	Shāngh	3. hiungh.
巨蟹	Kin	4. hiai.
獅子	Sù	5. çù.
室女	She	6. niu.
天稱	Tien	7. chingh.

(pag. 2.)

Signa 12.

天蝎	Tien	8. kie.
人馬	Gin	9. mà.
磨羯	Mu	10 shièn.
寶瓶	Pao	11. pingh.
双魚	Shāngh	12. yû.

Animalia 12.

鼠	1. Shù.	
牛	2. Niêu.	
虎	3. Hù.	
兎	4. Tŭ.	
龍	5. Lûngh.	
虵	6. Shĕ.	
馬	7. Mà.	
羊	8. Yângh.	
猴	9. Hêu.	
鷄	10. Kī.	
犬	11. Kèu.	
猪	12. Chū.	

Solares semi-menses 24.

立春	1. Liĕ chūn.	立秋	13. Lieŭ çieu.
雨水	2. Yù shùi.	處暑	14. Chŭ shù.
驚蟄	3. Kīngh chĕ.	白露	15. Pĕ lù.
春分	4. Chūn fuèn.	秋分	16. Çieu fuèn.
清明	5. Çīngh mîngh.	寒露	17. Hàn lù.
穀雨	6. Cŏ yù.	霜降	18. Shoāngh Kiàngh.
立夏	7. Liĕ hià.	立冬	19. Liĕ tūngh.
小滿	8. Siaŏ muòn.	小雪	20. Siaŏ siuĕ.
芒夏	9. Mângh chûn.	大雪	21. Tà siuĕ.
小暑	10. Hià chù	冬至	22. Tūngh chì.
大暑	11. Siaŏ shù.	小寒	23. Siaŏ hàn.
	12. Tà shù.	大寒	24. Tà hàn.

Annidies 354.

凡三百五十四日	Fan
	san
	pe
	û
	she
	sù
	ge.

Angelorum nomina 4. quadrantum Asiæ.

牧羣堂	1. Çan	chegh.
奏書博士	2. Çeu	shu.
	3. Po	siu.
	4. Lie	siu.

Nomen Cycli 60.

六十花甲子	Lo
	she
	hoa
	kia
	çù.

Varia.

字	1. Çù,	id est Litera seu Character Sinicus.
狗	2. Cau,	id est canis.
兎	3. Tŭ çù,	id est lepus.
豹	4. Pao.	id est, pardus.
鳳凰	5. Fungh,	rara avis fœmella.
	6. Hoangh,	rara avis mas, fermè referens Phasianum marem.

Astronomica.

分	1. Fuèn.	
刻	2. Kĕ.	
時	3. Shî.	
	4. Chă.	
閏	5. Shŭn.	
干	6. Càn.	
文	7. Vên.	
上中下文文文	8. Shàngh vên.	
	9. Chûngh vên.	
	10. Hià vên.	
萬	11. Vàn.	
新年	12. Sin nièn.	
新月	13. Sin yuè.	
食	14. Ge.	

Electivus Cyclus 12.

建	1. Kièn.	
除	2. Chû.	
滿	3. Muòn.	
平	4. Pîngh.	
定	5. Tîngh.	
執	6. Chĕ.	
破	7. Pŏ.	
危	8. Vî seu Fî.	
成	9. Chîngh.	
收	10. Shèu.	
開	11. Cāi.	
閉	12. Pì.	

Quatuor judicii Cycli diarii electivi

黒	1. Hĕ.	
黄	2. Hoângh	
白	3. Pĕ.	
昏	4. Huēn.	

Admodùm Reverendo in Christo Patri, Simon 9 *divinâ permissione* Episcopo Elienſi *hanc Sinicorum vocabulorum Astronomicorum Tabulam D.D.D. Autor T. H.*

M. Burghers sculpt. Univ. Oxon.

Ex dictis conſtat, *Kataiorum* Annum *Solarem* conſtare CCCLXV diebus cum V horis & L minutis: adeò ut eorum Annus noſtrum Annum (qui $365^{d}, 5^{h}, 49'$,) ſuperet *uno minuto*, ſeu Horæ *Europææ* unâ parte ſexageſimâ, quæ LX Annis facit Horam integram, & MCDXL annis unum Diem civilem, ſeu *Nychthemeron* complet. Anni ergò Solaris initium inveniendum eſt calculando Solis motionem à dato puncto *Zodiaci* donec ad idem punctum redierit, ut *Aſtronomi* (& ab eis edocti *Chronologi*) benè nôrunt; ſemper, ſine ullâ Diei Intercalatione, quæ eſt tantùm ad popularem uſum: nam Aſtronomi eâ non indigent, & vulgus tali Anno non utuntur, ſed ſolo Lunari: ideóque vulgus Annum ſolarem vix agnoſcunt; unde eſt quòd *Miſſionarii* etiam eum ferè ignorent.

Ad Annorum ſolarium computationem utuntur aliquot *Cyclis*,[1] quorum unus eſt *Cyclus denarius*, continens tot vocabula *Temporum* propria. Iſte eſt *Cān*, ſeu *Truncus*, ex quo, tanquam ex arbore, procedunt, ſeu oriuntur X Nomina, quorum primum eſt *Kia*. D. *Golio*, *Decem Cardines*, ſeu *Radices* vocantur. Hæc X vocabula *Sinica* (uti & ea XII quæ in ſeq. *Cyclo* duodenario,) per ſe illis ipſis *temporibus* ſignificandis inſerviunt, peculari inſtituto & uſu, ſicut voces technicæ. Ea autem appellativè res longè alias ſignificant, quæ ad præſentem rem nihil faciunt.

Secundus eſt *Cyclus duodenarius*, ſeu *horarius*, Nychthemeri XII Horas *Sinicas* continens, quæ nobis ſunt tot *Bihoria*. Et hi *Duo Cycli* junctim vocantur *Kia çù*, à primâ utriuſque voce deſumpto nomine.

Sinica Vocabula temporum, &c.

فنگ *Fengh*, ſeu *Fen*, ſive *Fuèn*, i. e. *diviſio*, *pars*, *particula*, ſc. 10000 pars diei naturalis.

كه *Ke*, i. e. *Sculptura*, ſc. pars octava Bihorii.

چاغ *Tchâgh* apud *Perſarum Aſtronomos* perperam ponitur ut Sinicum *Bihorii* nomen, quod reverà eſt *Shî*.

شي *Shî*, i. e. *Tempus*: item, *Hora Sinica*, ſeu Bihorium Europæum, ſc. Nychthemeri pars XII.

شن *Shŭn*, i. e. *Additio*, ſc. Intercalatio.

كن *Cān*, i. e. *Truncus arboris*.

1 De hac ſequenti Tabula *Chinenſi* p. 218. monet Auctor, Columnarum Ordinem (ex Numeris diſcernendum) quem Sculptor perperam inchoavit à Siniſtra, potius inchoandum fuiſſe à Dextra, uti ſe habet Lectio Sinica in ſingulis illis Columnis, ubi duplex *Sinicorum* Characterum Series cernitur: ſed in eorundem ſonis non item.

ون *Vên*, i. e. *Compoſitio.*
شانك ون *Shàngh vên*, i. e. *ſuperior Compoſitio.*
چونك ون *Tchûngh vên*, i. e. *media Compoſitio.*
خا ون *Hià vên*, i. e. *inferior Compoſitio.*
وان *Vàn*, i. e. *Myrias*, ſc. 10,000.

Duo Cycli Kia & Çü, ſcilicet qui ſunt,

Cyclus denarius.	*Cyclus duodenarius.*	
1. *Kiă.*	1. *Çü.*	XII.
2. *Yi.*	2. *Tchéu.*	II.
3. *Pìngh.*	3. *Yìn.*	IV.
4. *Tīngh.*	4. *Maò.*	VI.
5. *Vû.*	5. *Shîn.*	VIII.
6. *Kì.*	6. *Sü.*	X.
7. *Kēn.*	7. *ù.*	XII.
8. *Sīn.*	8. *Vî.*	II.
9. *Gín.*	9. *Shĭn.*	IV.
10. *Quei.*	10. *Yèu.*	VI.
	11. *Siŏ.*	VIII.
	12. *Hài.*	X. *

Apud Perſicos Epocharum ſcriptores, in Anno Sinico adhibetur ſupradictum چاغ *Tchâgh*, D. *Gravio* ʒag, quod meliùs per *Ain* reſcribendum eſſet چاع *Tchâ*, prout ſonat vox Sinica quam intendebant, ſignicans *Scripturam*, ſeu *Epiſtolam*. Miror autem unde Perſæ ſibi arripuerint hanc vocem, cùm *Chinenſes*, ejus loco, utantur *Shî*, i. e. *Tempus* in genere, ſpecialiter *Hora Sinica*, ſeu Bihorium noſtrum, ut ſuprà diximus. Apud *Ali Birgjendi* Perſam, *Omne Tchâgh continet* 8 *Ke: & omne Ke continet* 10000 *Fengh. Et omne Fengh eſt* 8″ & 38‴ & 24⁗. Videtur autem deſiderari aliquid ex lapſu Scribæ: & fortè pro *omne Ke*, reſcribendum ſit *totum nychthemeron:* ſic enim magis accuratè *Shâh Cholgji* dividit omne *Tchâgh in* 8 *Ke: & totum nychthemeron in* 10000 *Fengh: adeò ut quodvis Tchâgh ſit* 833 *Fengh cum duabus tertiis: & quodvis Ke ſit* 104 *Fengh cum duabus ſextis.* Sic ille.

* Hi numeri Romani Horas noſtras notant, à mediâ nocte numerando.

Quod

Quod autem à Persis minùs rectè scribitur *Fengh*, est Kataicum *Fen*, seu *Fuẽn*, significans *partem minutam*, seu *particulam* temporis aut alterius cujusvis rei. Optandum fuerat ut Doctiss. *Gravius* in edendo suas *Epochas celebriores* non fuisset scientiâ *Sinica* prorsus destitutus: ille enim *Chataïca* legit *Fenac* pro *Fengh*, *Shanec* pro *Shangh*, خونك *Chunec* pro چونك *Tchùngh*, cum ejusmodi aliis; perperam omninò; cum omnes voces *Sinicæ* sint *Monosyllabæ*, nec in totâ linguâ detur *Dissyllaba*: & quamvis vox aliqua secundum modum *Lusitanicum* scribatur cum duabus, aut pluribus vocalibus, omnes in unius syllabæ sonum cogendæ sunt, ut *Siuè* in *Swè*, & *Siao* in *Sjaw*, *Çui* in *Çwi*, *Hià* in *C'ha*, *Fuèn* in *Fwèn*, *Shoangh* in *Shwangh*, *Hoangh* in *Whangh*, &c. Et cùm in *Kataicarum* vocum sonis apud Scribas Persicos subinde errare pronum sit, pro supra notato سيجو *Si-gju*, fortè legendum sit سيجه *çui-gje*, i. e. *Annus Solis*, seu *solaris*.

De Cyclo duodenario D. *Martinius* in *Hist. Sin.* p. 22; *Tria præcipua Puncta in Horarum circulo pro illustrioribus habent: scil. Mediam noctem, in quâ Cœlum; primam à mediâ nocte horam, in quâ Terram; secundam denique à noctis medio, in quâ Hominem natum memorant. Mediæ nocti Caprum assignant, primæ Amphoram, secundæ Piscem: ita tamen ut una Hora Sinica duas nostrates complectatur. Circulum enim Horarum fixum cogitatione depingunt in Cœlis, quemadmodum nos Circulum semper apparentium maximum, quem in* XII *æquales partes secant, Horásque totidem. — Iisdem Horis respectiva Zodiaci Signa eo, quem suprà notavimus, ordine assignant.* Hæc tria dicta Signa sunt *Capricornus*, *Aquarius*, *Pisces*. Cúmque *Chinensis noster* Planetarum & Signorum Nomina in eâdem Chartâ scripta mihi reliquerit, ea omnia, curiositatis gratiâ, heic subjungam, ne aliàs fortè intercidant. Vide *Martin. Hist.* p. 9.

I. *Gje*, i. e. *Sol.*
II. *Yuè*, i. e. *Luna.*
III. *Shui*, i. e. *Aqua:* vel aliàs *Tchin*, i.e. *Matutinus:* sc. Mercurius.
IV. *Kin*, i.e. *Aurum:* vel aliàs *Tai*, i. e. valde-*Pe*, i. e. *Alba*, sc. Venus.
V. *Hò*, i. e. *Ignis:* vel aliàs *Yûngh* / *Hoè*, i. e. *Flamma*; sc. Mars.
VI. *Mŏ*, i. e. *Lignum:* vel aliàs *Çui*, i. e. *Annus*; sc. Jupiter.
VII. *Tù*, i. e. *Terra:* vel aliàs *Tiên*, i. e. *Terra*; sc. Saturnus.

Scilicet, quivis Planeta vocatur tam proprio nomine, quàm nomine materiæ cui præeſſe cenſetur, uti præeſt *Mercurius Aquæ*, *Venus Auro* & reliquis metallis, *Jupiter Arboribus*, &c. Ille Character qui *Tù*, *Kirchero* ſonat *Hé*.

I. *Pe*, *Alba-Yangh*, *Ovis*, ſc. Aries.
II. *Kin*, *Aureus-Nieu*, *Bos*, ſc. Taurus.
III. *Shāngh*, *Duo-Hiūngh*, *Fratres*, ſcil. Gemini.
IV. *Kiu*, *Magnus-Hiai*, *Cancer*, ſc. Cancer.
V. *Siu*, *Leo*, *çiu*, explet. ſc. Leo.
VI. *She*, *Domûs-Niu*, *Virgo*, ſc. Virgo.*
VII. *Tièn*, *Cœli-Tchingh*, *Libra*, ſc. Libra.
VIII. *Tièn*, *Cœli-Kie*, *Scorpius*, ſc. Scorpius.
IX. *Gjin*, *Homo-Ma*, *Equus*, ſc. Sagittarius.
X. *Mu*, *Montana-Shièn*, *Ovis*, ſc. Capricornus.
XI. *Paò*, *Pretioſum-Pingh*, *Vas*. ſc. Aquarius.
XII. *Shāngh*, *Duo-Yû*, *Piſces*, ſc. Piſces.

Ex ſupradictis duobus Cyclis compoſitis conflatur alius major *Cyclus Sexagenus*, ſeu *Sexagenarius*, dictus *Vên*, i. e. *Compoſitio*. Et quia LX partibus conſtat, ſubinde aliter vocari ſolet *Lo She Hoa Kiă Çiu*, id eſt, LX *Flores Kiă Çiu*, ſcil. ex minoribus Cyclis *Kiă* & *Çiu* compoſiti flores, ſumptâ denominatione à duabus vocibus initialibus præcedentium Cyclorum. Cúmque ex duorum Cyclorum Compoſitione evadens Cyclus Sexagenus, fiat eorundem Nominum diversâ poſitione, ideò *Hoa*, quod exponitur *Flores*, aliàs propriè ſignificat *diverſè poſuit*. Apud D. *Couplet* vocatur *Lo Xe Hoa Kia*, & exponit *Sexaginta converſionum conſtructio*. Pro *Xe* ſonandum *She*. Is in Præfatione ad Chronologiam Sinicam, hujus Cycli inſignem, in Re Chronologicâ, uſum impensè laudat. Iſte Cyclus LX Annorum propria Nomina exhibet, & in Annorum computatione, ſicut Rota, circumrotatur in perpetuum. Et non tantùm Solarium Annorum, ſed & Lunarium Menſium nomina *circulariter* exhibet, ut infrà monſtrabitur. Per hunc itaque non tantùm Annos Solares ſupputant, ſed etiam Dies ſuos dinumerant, atque *Septimanæ* vicem quodammodo ſupplent. Imò, dicente D. *Couplet*, non tantùm Anni & Menſes, ſed Dies & Horæ, ſuâ cum proportione, per hunc Cyclum ſignantur per totum Imperium. Hunc Cy-

* viz. Innupta fœmina, quæ nondum ex domo parentum exceſſerit.

clum

clum inſtituit Imperator *Hoangh-Ti*, qui MMDCLXX annis ante Chriſtum vixit.

Cycli Sexagenarii Paradigma Europæum Sinico reſpondens, Autore D. Couplet.

A I.	B II.	C III.	D IV.	E V.	F VI.	G VII.	H VIII.	I IX.	K X.	10.
A XI.	B XII.	C I.	D II.	E III.	F IV.	G V.	H VI.	I VII.	K VIII.	20.
A IX.	B X.	C XI.	D XII.	E I.	F II.	G III.	H IV.	I V.	K VI.	30.
A VII.	B VIII.	C IX.	D X.	E XI.	F XII.	G I.	H II.	I III.	K IV.	40.
A V.	B VI.	C VII.	D VIII.	E IX.	F X.	G XI.	H XII.	I I.	K II.	50.
A III.	B IV.	C V.	D VI.	E VII.	F VIII.	G IX.	H X.	I XI.	K XII.	60.

Iſtum Cyclum, tribus Nominibus, pro triplici ordine, diſtinguunt, qui ſunt *Shangh Vên*, i. e. *Superior Compoſitio:* & *Tchungh Vên*, i. e. *Media Compoſitio:* & *Hià Vên*, i.e. *Inferior Compoſitio.* Atque ita CLXXX Annis confectis, ad primum Computi initium revertuntur. Si ſupra III Cyclos Sexagenos, *Summum*, *Medium* & *Imum* (eorumve Syſtema CLXXX Annorum) procedendum ſit, tum *Vàn*, ſeu *Myriade* utuntur. *In quovis Cyclo* (inquit D. *Golius*) *Anni Solares Tropici uſurpantur ab ingreſſu Solis in* XV *Aquarii Gradum. Et hîc conſtituunt Veris ſui principium: & in* XV *Tauri initium Æſtatis: & ſic per æqualia intervalla reliquas Anni partes. Et principia eorum mediis noſtrorum Menſium reſpondent.* Sic ſe habet communis praxis.

Sed D. *Golii* pace, dicendum eſt, quòd hoc modo vix accuratè procedatur, cùm Sol non æquali ſemper tempore quævis *Zodiaci* Signa percurrat; ſcil. quando Sol eſt in *Perigæo*, paucioribus diebus abſolvit ſingula Signa *hyberna*, quàm quando eſt in *Apogæo* abſolvit Signa *æſtiva:* nempe aliqua eorum XXIX aut XXX diebus, & alia eorum diebus XXXI aut XXXII: adeò ut quamvis totus CCCLXV dierum numerus inter XII Signa diſpeſcatur, id tamen non fit æqualiter. Cùm enim

enim Terra non ſit ſita exactè in Centro motionis Solis, id ſanè neceſſariò efficit *Apogæum* & *Perigæum*, ita ut Sol, in hiſce poſitus, nobis videatur *eccentricus:* cùm revera *reſpectu ſui motûs*, non ſit ita, ſed tantùm *reſpectu noſtrî*, qui propter noſtrum obliquum ſitum aliter judicare non poſſumus. Solis itaque motio, reſpectu ſuî, eſt ſemper æqualis, quamvis nobis res aliter eſſe videatur. Et quamvis Sol ab *Horologiis* noſtris aliquando differat, (vel potiùs hæc ab illo differant,) in fine anni utraque inter ſe æquantur. Ideóque mihi videtur, haud ſatis conſultò factum fuiſſe in Globis dividendo Eclipticam, ſeu Zonam Signorum, in XII æquales partes, cùm non tam æqualitati diviſionis quàm rei veritati conſulendum ſit. Si igitur Signiferi in Globis diviſio non eſſet æqualis, ſed potiùs vera, ſecundùm verum Solis motum determinata, tum non opus eſſet calculandi Tabulas æquationis, ut hodie fit; ſed Temporum & Solis motus cum *Horologiis* & *Scioteriis* coæquari poſſent per Globos, abſque ulteriori moleſtiâ. Ex dictis conſtat quòd Sol *Hyeme* ſit nobis *propior*, & *Æſtate* à nobis (quaſi majorem Circulum aut Arcum deſcribens,) *remotior* in *Apogæo*, Perſicè dicto آوج *Augj*, i. e. *Abſis*, Latino-barbarè *Aux*. Æſtate autem plus caleſcit, quia ſumus penè ſub Sole, qui tunc magis perpendicularis eſt nobis, quàm hyeme, quando eſt proprior. Sed ad penſum redeo.

Olugh Beigh accuratè docet modum temporis in hac Epochâ putandi: & in D. *Gravii* ibidem Tabulis, in tribus diſtinctis Columnis computati viſuntur *Anni Cycli ſimplicis Sexageni*, & *Anni Cycli compoſiti è tribus Cyclis Sexagenis*, & *Anni Epochæ Chataiæ Solares à medio Aquarii:* ſcil. Anni τῆς *Vàn* (ſeu *Myriadis*) 8865^tæ labentes. Nam à Creatione Mundi ad Annum *Hegjræ* DCCCXLVII (ſive *Chriſti* MCDXLIV) juxta *Chataiorum* ſententiam, effluxerunt Anni Solares completi 88,639,860. Hanc autem enormem eorum Chronologiam confutavit D. *Golius* in Calce *Atlantis Sinici*, & D. *Couplet* in Præfatione ad Philoſophiam *Sinicam:* illorum enim ignorantiam prodit talis computatio. D. *Gravius* minùs benè legit ubique *Ven* & *Venni*, pro *Van* & *Vanni*, i. e. *Myrias* & *Myriades*; cùm *Ven* aliam habeat ſignificationem, ut ſuprà dictum.

Tabula

Tabula XII Menſium ſeu XXIV Semi-menſium Solarium Kataïcorum.

I Ver.

Numeri Partium.	*Nomina Partium.*	*Dies Anni.*	*Particulæ.*	*Sextæ partes.*
I	*Liĕ-tchūn, i. e.* Elevatio veris.	00	00	0
II	*Yù Shuì, i. e.* Pluviæ aqua.	15	2184	5
III	*Kingh-tchĕ, i. e.* Motus reptilium.	30	4369	4
IV	*Tchūn-fuèn, i. e.* Veris pars.	45	6554	3
V	*Çingh-mîngh,* Limpida claritas.	60	8739	2
VI	*Cŏ-yù, i. e.* Frugum pluviæ.	76	924	1

III Autumnus.

Numeri Partium.	*Nomina Partium.*	*Dies Anni.*	*Particulæ.*	*Sextæ partes.*
XIII	*Liĕ-çiēu,* Elevatio Autumni.	182	6218	0
XIV	*Tchŭ-ſhù,* Quies caloris.	197	8402	5
XV	*Pĕ-lú, i. e.* Albus ros.	213	587	4
XVI	*Çiēu-fuèn,* Autumni pars.	228	2772	3
XVII	*Hán lú, i. e.* Frigidus ros.	243	4957	2
XVIII	*Shoāng-kiáng,* Pruinæ deſcenſus.	258	7142	1

II Æſtas.

VII	*Liĕ-hià, i. e.* Elevatio Æſtatis.	91	3109	0
VIII	*Siào-muòn,* Parva repletio.	106	5293	5
IX	*Mângh-tchûn,* Herbarum ſemina.	121	7478	4
X	*Hiá-tchí, i. e.* Æſtatis ſtatio.	136	9663	3
XI	*Siào ſhù, i. e.* Parvus calor.	152	1848	2
XII	*Tá ſhù, i. e.* Magnus calor.	167	4033	1

IV Hyems.

XIX	*Liĕ-tūngh,* Elevatio hyemis.	273	9327	0
XX	*Siào ſiuĕ,* Parva nix.	289	1511	5
XXI	*Tá-ſiuĕ,* Magna nix.	304	3696	4
XXII	*Tūngh-tchí,* Hyemis ſtatio.	319	5881	3
XXIII	*Siào-hán,* Parvum frigus.	334	8066	2
XXIV	*Tá hán,* Magnum frigus.	350	251	1

Primus Semi-menſis *Liĕ-tchūn* ubi Nullitates 00, 00, 0, complet Annum ad numerum CCCLXV cum Fractione. Exprimitur autem *Nullitatibus*, quia nullus tunc integer Semi-menſis elapſus ſit. Reliquas Tabulas quæ ad hujus Epochæ Calculum pertinent, heic addidiſſe, nimis prolixum fuerat: ideóque eas ex *Olugh Beigho*, Editionis D. *Gravii* in *Epochis celebrioribus*, petendas relinquo. Nominum autem *Chataicorum* (quæ apud eum malè leguntur) ſoni veri, ex noſtrâ Cyclo-

rum

rum &c. lectione addiſci, & apud illum corrigi poterunt. Hæc Anni Solaris diviſio in uſu eſt etiam apud *Indos*, teſtante *Curtio*, qui in Libro VIII de eis refert, *Menſes in quinos denos deſcribunt Dies: Anni plena ſpatia ſervantur*. Qui quidem locus ex ſupradictis lucem fœneratur. At præter iſtum Solarem annum civilem, quem etiam habent *Turcæ*, ſanè tam *Turcæ*, quàm *Indi*, prætereà habent Lunarem annum Eccleſiaſticum, ut notavit *Shâh Cholgji* ſuprà p. 201. l. 20. 21. Quam quidem lectionem nos emendavimus p. 215. l. 11. 12. Uterque ergò (ut ſolent autores,) imperfectè loquitur; *Curtius* quidem, non agnoſcendo etiam *Indorum* Annum lunarem, & *Shâh Cholgji*, non agnoſcendo quoque eorum Annum ſolarem. Ex *Aſtronomiâ Chinenſium* (quorum peſſimi imitatores ſunt *Siamenſes*) aliquantulum illuſtrari poſſit confuſus & imperfectus ille *Siamenſium* Computus apud D. *Lauberum*, in quo explicando, Doctiſſimus *Caſſini* æquo ſucceſſu laboravit ac ſi illius regionis homines ad albedinem lavare tentâſſet.

Kataiorum Cyclo duodenario p. 218. *præmiſſo, reſpondet Orientalium Turcarum, ſeu Tatarorum, ſequens Cyclus, ex tot Animalium nominibus conflatus.*

Nomina Turcico-Tatarica.	*Nomina Kataica.*	*Nomina Perſica.*
كسكو *Kéſeghu, Mus.*	*Shù, Mus.*	موش *Mûſh, Mus.*
اوط *Oût*, ſeu *Oûd, Bos.*	*Nieù, Bos.*	گاو *Ghâv, Bos.*
پارس *Pârs, Thôs.*	*Hù, Tigris.*	پلنگ *Pelàngh, Tigris.*
طوشقان *Tauſhkân*, ſeu	*Tŭ, Lepus.*	خرگوش *C'herghûſh, Lepus.*
Dauſhkân, lepus.	*Lûngh, Draco.*	نهنگ *Nehàngh, Crocodi-*
لوي *Lûi, Crocodilus.*	*Shẽ, Serpens.*	*lus.*
يلان *Yilân, Serpens.*	*Mà, Equus.*	مار *Mâr, Serpens.*
يوند *Yûnd, Equus.*	*Yângh, Ovis.*	اسپ *Aſp, Equus.*
قوي *Kôi, Ovis.*	*Hêu, Simia.*	گوسفند *Ghûſphand, Ovis.*
پيچين *Pîtchîn, Simia.*	*Kí, Gallina.*	حمدونه *Hamdûna, Simia.*
داقوق *Dakûk, Gallina.*	*Kèu, Canis.*	مرغ *Mùrgh, Gallina.*
ايت *ît, Canis.*	*Tchŭ, Porcus.*	سگ *Sègh, Canis.*
طونغوز *Tongûz*, ſeu *Don-*		خوک *C'hûk, Porcus.*
gûz, Porcus.		

Kataica

Kataica nomina, ornatûs causâ, adjecimus, ut fecit D. Golius in Append. *Atl. Sinici.* Ea enim non invenit in aliquo Cyclo, sed ex suis Glossariis *Sinicis* petiit, ut posset ea accommodare nominibus *Turcicis.* Pro me quoque, quasi curiositatis causâ, ea scripsit *Chinensis noster*; qui etiam primum nomen sonavit *Tchù*, vel aliàs *Shù*, eodem charactere. Eorum itaque Astronomi, non istorum, sed aliorum nominum cyclo duodenario utuntur, qui in antecedentibus præmittitur. Persica etiam à *Shâh Cholgjio* translata sunt ad rem demonstrandum: adeò ut, inter hæc omnia, sola *Turcica* sint quæ usitatum Cyclum Astronomicum conficiunt.

Quoad supra dicta nomina *Turcica*, quod primo loco *Késeghu*, est in genere *Mus*, in specie *Glis.* At in *Timûri* Historiâ *Zaphàr-nâma* Persicè conscriptâ, secundùm *Mogulensium* computum, Tamerlanes dicitur natus سچقان جیل *Anno Muris, ubi incipit Cyclus annorum Mogulensium*; qui coincidit cum Anno *Hegjræ* DCCXXXVI, *Christi* MCCCXXXV. Est autem *Sîtchkân* in linguæ *Tataricæ* dialecto rusticanâ, pro quo *Turcæ Europæi* elegantiùs proferunt صچان *Sitchân, Mus.* Et sic pro *Taushkân*, elegantiùs dicitur طوشان *Taushân Lepus.* Secundo loco, *Oûd* pro *Bove*, aliàs vocatur اوکوز *Okiuz*, & صغر *Sighir*, vulgò *Sughûr.* Tertio loco, *Pârs* pro *Thoë*, aliâs vocatur یوز *Yûz.* Loco septimo pro *Yûnd*, aliàs dicitur یوندت *Yûnt:* vel alio diverso nomine آت *ât.* Loco octavo *Kôi*, rectiùs & elegantiùs dicitur قویون *Koyûn*, seu *Koyin*, *Ovis.* Si autem sonatur *Koyìn*, est aliàs juxta pectus *Sinus* vestium, à قومق *Kômak*, *ponere*, q. d. *Koyìn* sit *repositorium:* nam supra cingulum ad latus corporis in tali Sinu (the Bosome) Reculas suas secum portant Orientales, ibique ut in marsupia reponunt, vel fortè in جرجدان *Recularum thecâ* ibi condendâ. In loco duodecimo pro rusticanâ voce *Tongûz*, alii elegantiores scribunt طوغوز *Toghûz*, seu *Doghûs*, & sonant *Domûz.*

Inter *Chataica*, tertio loco *Hù* reverà est *Tigris*, Turcicè قپلان *Kaplân.* At ab his longè diversum est *Leopardi* nomen Sinicè *Pao.* Quarto loco quid voluit D. *Golius* per *Tù*, *Chinensis* meus non intellexit. *Lepus*, seu *Cuniculus major*, Sinicè vocatur *Tù çù*, quorum posterior vox est expletiva. Pro undecimo *Kèu*, *canis*, etiam alio charactere vocatur *Cau.*

Dicente *Martinio*, per hunc Turcicum Cyclum rustici *Sinenses* & *Nomades Turcæ Tatarive* computant *Horas* & *Dies* & *Annos* solares suos: imò & literati *Indo-Persæ*, ut suprà ex *Zaphàr-nâma* ostendi-

mus. Et iſtâ *Dodecataëteride* numerando peractâ, eandem repetunt & numeratò reiterant in æternum. Iſto, inquam, Cyclo utuntur Turcæ Orientales omnes, preſertim (notante D. *Golio*,) معولاجيين و حكماء دشت وتركان تمغاج *Mogolo-Sinæ, & Sapientes campeſtris-regionis, & Turcæ Tamgâgj*, i. e. regionis *Chinæ*, quales etiam ſunt *Mogolo-Sinæ*, ſeu *Mogulenſes*, qui mixtim cum *Chinenſibus* vivunt. Per *Campeſtrem-regionem*, ſeu *Campeſtria*, intelligitur دشت قبچاق *Campus τῆς Kipgjâk*, (quæ *Haithono Cumania*,) ſcil. tota planities quæ ab extremo Oriente in Occaſum ſupra mare *Caſpium* & uſque ad *Ponti* fines exporrigitur: hoc eſt, tota *Turciſtania*, uti dicti ſapientes, ſeu Aſtronomi, ſuperiùs vocantur *Sapientes Turciſtaniæ*, qui hujuſmodi Annum conſtituerunt.

Hactenus de eorum Anno Solari: jam proximè de Anno Lunari dicendum reſtat.

Orientales Aſtronomi ferè toti ſunt in deſcribendo Kataiorum Annum ſolarem: obiter tantùm & obſcurè Anni Lunaris mentionem facientes. At D. *Martinius* in *Hiſtoria Sinicâ* p. 18, de Anno Sinico agens, eum quaſi hybridum, inaudito vocabulo, *Annum Lunæ-ſolarem* vocat. Quid ſibi voluerit hoc monſtroſo nomine, (ſi aliquid voluerit,) ille meliùs noverit: nos enim ignorantiam noſtram apertè profitemur. At quia Sinenſium vulgus circa Annum Lunarem præcipuè verſari ſolet, fortaſſis D. *Martinius* etiam *Lunarem Annum* ſubintellexerit. Ille autem ſparſim aliquid in medium adducit de utroque Anno, quem unum ſimplicem eſſe putat, neſciendo *Chinenſes* duo Annorum genera habere.[1]

Utcunque tamen ſit, Ego (ſolari Anno, in ſuperioribus deſcripto, & *Turcarum* ac *Kataiorum* Aſtronomis relicto,) Lunarem Annum *Sinico-Tataricum* deſcribere aggredior, ex utriuſque Gentis Calendariis lunaribus quæ penes me habeo, ex quibus conſtat, in vulgari & populari uſu adhiberi ſolere *Annum Lunarem*. In Orientalium *Turcarum* MS Calendario lunari præmittuntur Solares menſes *Gjelalæi* ab ingreſſu Solis in *Arietem*: id autem, non quaſi per illos Menſes computaretur Annus *Turcicus*, ſed ut inter utroſque fiat collatio, & ut ad Solares Menſes commodè, per Proſthaphæreſin, referri queant menſes *Turcici* Lunares, qui in eodem Calendario in ſuis locis è regione inſeruntur, ut Anni Turcici norma & menſura, & ibidem ſequentibus nominibus vocantur. Quinetiam, in quibuſdam orientalibus Calendariis, item *Coptorum* & aliarum Gentium, Menſes ſubinde addi ſolent, ut omnes inter ſe conferantur, & inter horum ac illorum Annos differentia appareat.

[1] Vid. Append. N°. VII.

Menſium

Menſium Tataricorum Nomina, prout in eorum Calendario & apud Olugh-Beighum leguntur.

ارام *Aram.* I^us^.
ايكندى *Ikindì*, i.e. II^dus^.
اوچونج *Ugjùngj*, i.e. III^us^.
دوردنج ſeu تورتونج *Dôrdùngj*, ſeu *Tôrtùngj*, i.e. IV^tus^.
بيشنج *Beſhingj*, i.e. V^tus^.
آلتنج *Altìngj*, i.e. VI^tus^.
يدنج ſeu يتنج *Yedìngj* ſeu *Yetìngj*, i.e. VII^mus^.
سكيزنج *Sekizingj*, i.e. VIII^us^.
طوقوزنج ſeu طوقسنج *Dokozìngj* ſeu *Dokosìngj*, i.e. IX^us^.
اونونج ſeu اونوزنج *Onùngj* ſeu *Onuzùngj*, i.e. X^mus^.
براذكزنج ſeu بيرينكزينج *Birinkizìngj*, i.e. XI^mus^.
چقشاباط *Tchokshâbât*, XII^mus^, q.d. *roralis Shâbat.*

Horum menſium omnium Nomina, excepto primo & ultimo, ſunt *Nomina ordinalia*, appellativam habentes ſignificationem 2^di^, 3^tii^, &c. Horum Nominum quædam, præſertim *Onuzungj* & *Birinkizingj*, planè ruſticè efferuntur ſecundum Dialectum *Orientalium Turcarum*. At بيرينكزمنج *Birinkizmongj*, apud *Olugh Beighum*, putabam eſſe Scribæ errorem, ideóque correxi. Horum ſingulis ſubjungi ſemper ſolet *âi*, ut آرام آي *Arâm Ai*. Turcarum, ſeu *Tatarorum* & *Kataiorum* Annus eſt idem, eodem tempore incipiens; ideóque, de utriuſque Anno dicturus, indifferenter & promiſcuè loquor, eo ordine quo Autoritates ſe mihi obtulerunt: quod præmonendum duxi, ne confuſè locutus viderer.

Peſſimè errat *Scarlantus*, Anni *Sinici* ſeu *Cataici* Lunaris initium ponendo in Novilunio *Martii*; ut & *Neuhofius*, idem ponendo in Novilunio quod Nonum *Aprilis* proximè præcedit, vel ſequitur. De Anni Lunaris initio diſſerit D. *Martinius* in Hiſt. Sin. p. 60. *Imp.* Tangh *initium Anni Lunaris primam conjunctionem Solſtitio Hyemali viciniorem habueri voluit.* Et p. 21, 22; dicit, *quòd* Chuen-Hio *Imperator* LXXVIII, *(qui circa* MMDXIII *annis ante Chriſtum floruit,) Calenda-*

rium toto regno publicatum receptúmque habuit. Scripſis etiam Ephemerides V *Planetarum, quos, dum imperabat, omnes in Cælo conjunctos vidit eâdem die. Et hunc diem,* Primum *illius Anni eſſe voluit, prout Autor Sinicarum rerum, in Conſtellatione* She *dictâ, indicat, quæ nunc circa Gradum* XVIII *Piſcium incipiens, ad quartum uſque Arietis extenditur.—Hic ergò Imperator, primum Anni Diem, & Menſem illum, deinceps haberi voluit, quo Luminarium conjunctio decimo quinto Gradui Aquarii proxima fieret, quod* etiamnum *obſervatur à Sinis.* Si loquitur de *Anno Lunari,* (uti debet eſſe, ſi pendet à Luminarium conjunctione,) illud ejus initium non *etiamnum* obſervatur à *Sinis*; ergò fallitur. Nam pro *Decimo quinto Aquarii,* D. *Couplet* in Chronologia *Sinicâ* dicit *Quinto Aquarii.* Locus ſic ſe habet. *Imperator* Chuen-Hio *principium Anni ſtatuit à Novilunio, principio Veris proximo, quod reſpondet in Sinâ Quinto Aquarii gradui; quæ ratio temporis ſubinde fuit immutata, & uno alteróve Menſe anticipata, ac tandem ſub* V^tæ *familiæ* Han V^to *Imperatore* Hia Vu *revocata, uſque hodie obſervatur.* Ea, de quâ loquitur, Anticipatio videtur reſpicere aliud Anni initium in *Sagittario,* de quo poſteà. Quòd autem Anni principium ſtatuatur XV^to, vel V^to *Aquarii,* fides ſit penes Autores, qui debuerint hoc noviſſe meliùs quàm nos. Sed neceſſe eſt alterum horum eſſe falſum. Aut fortè neutrum horum ſit verum, & pro *Quinto Aquarii,* voluerit *Quintum Piſcium,* quâ ratione, ejus regula eſſet vera. Nam cùm *Aquario* reſpondeat *Januarius,* quem D. *Couplet* alibi in Præfatione diſertè affirmat eſſe Anni Menſem *ultimum,* non eſt cur heic ponat eundem eſſe *primum.* Noſtræ ſententiæ aſtipulatur D. *Martinius:* nam in eâdem paginâ ubi ponit Anni initium in XV *Aquarii,* ibidem paulò antè (ſibi non ſatis conſtans) id ponit in *Piſcibus,* ſeu *Februario,* his verbis, *Nam* XII *Signa Zodiaci ſic ordinata ſunt, ut Piſces ſemper in primum Menſem, Aries in ſecundum,* &c. *incidat.* Ille autem, qui unam tantùm Anni ſpeciem agnoſcit in *Chinâ,* eámque hybrido & inaudito nomine *Lunæ-ſolarem* vocat, in vero Anno ſtatuendo planè confunditur, miſcendo jam aliquid de Anno *Solari,* jam de *Lunari:* & hoc modo, paulò antè ponebat *Anni initium* in XV *Aquarii,* quod ad Annum Solarem ſpectabat; jam verò mox addit, *Piſces ſemper incidere in primum menſem,* quod ad Annum Lunarem ſpectat. Ille autem, inter duos hoſce Annos non diſtinguens, rem falſò & confusè tradit. Si vellemus aliquid in illius excuſationem moliri, quòd poſuerit Anni (ut ſupponitur) Lunaris initium in medio *Aquarii,* diceremus, in Anno Lunari, Intercalationis omiſſionem, in Biennio, poſſe Anni initium

retrahere

retrahere in aliquam partem *Januarii:* non autem ad *Quintum.* At tum deinde, per Intercalationem, tertio anno fieret reſtitutio in medium *Piſcium.* Ille autem ſuo modo paulo pòſt pergit, *Non negaverim apud Sinas non idem Anni fuiſſe ſemper initium, ſed pro variorum Imperatorum voluntate varium. Tria autem universè illius initia agnovêre: tria namque præcipua Puncta in Horarum Circulo pro illuſtrioribus habent; ſcil. Mediam noctem, in quâ Cælum; primam à mediâ nocte horam, in quâ Terram; ſecundam denique à noctis medio, in quâ Hominem natum memorant. Mediæ nocti Caprum aſſignant, primæ Amphoram, ſecundæ Piſcem.* Sed, bone Deus, qualis eſt hæc fabula, quantum eſt hoc delirium, Anni Initium elicere ex Cyclo Horario qui ad eam rem nullo modo ſpectat! Scilicet, quia illa tria Signa præſunt dictis tribus Horis, ergò non ab illis Signis, ſed ab illis Horis, anni initium deducit, quaſi â mediâ nocte, aut primâ, aut ſecundâ horâ, inchoandus eſſet Annus! Eum certè in Labyrintho ſuo involutum, ibi inter annum Solarem & Lunarem incertò palantem relinquemus; poſtquam ex eo tantùm recitavimus, quod, de Anni Initiis agendo, refert, *quòd ad Lunarem conjunctionem in Sagittario* Anni initium rejectum voluit Imperator *Xi* (pronuntiato *Shi)* qui familiæ *Cîn* (pronuntiato *Tchîn)* primus, circa CCXV annis ante Chriſtum, quo tempore ipſe *Murum Chinenſem* extruxit. Fortè hoc vult *Kâs Kuriacus* Arabs, dicendo, *Quòd Anni Turcici initium ſit* الاجتماع *Conjunctio Luminarum, quæ acciderit in* القوس *Sagittario.* Sed ex eo tempore quo nuperiùs reformatum & emendatum eſt *Kataiorum* Calendarium, Anni Lunaris initium promotum eſt ad Novilunium *Februarii,* quod etiam obſervârunt *Tatari* horum ſequaces. Ideóque potiùs audiendus eſt M. *Paulus Venetus,* in *Tatarorum in Sinas* expeditione comes, qui Lib. II, cap. 14, 15, ait, *In die Calendarum Februarii, initium eſt Anni Tartarici.* Nam de *Tatarico* & *Sinico* anno promiſcuè loquor, cùm idem ſit. Is veritati propior eſt, quamvis fallatur ſtatuendo hoc pro generali Regulâ. Sed (quod res eſt) tunc fortè fuerit Novilunium eo Anno quo is ibi fuit: nam Novi Anni initium non eſt certo die ſemper fixum, ſed mobile, quippe quod pendeat à Novilunio. Veriora docet *Alexander* de *Rhodes Miſſionarius* in Hiſt. *Tunchinenſi,* Lib. I. Cap. 3. *Apud Tunchinenſes & Cinenſes, Novi Anni initium reſpondet Quinto Februarii, modò ſit Novilunium.* Nam aliàs, erat alio die, quando alio die eſſet Novilunium, quod debuerat dixiſſe: aliàs enim ejus Regula eſt imperfecta & fallax. At cùm *Alexander* de *Rhodes* fuerit ex *Miſſionariis* qui ſemper utuntur Stylo *novo,* ſuſpicandum eſt, eum voluiſſe *Quintum Februarii*

eodem

eodem Stylo, qui coincidit cum XXVI *Januarii* Stylo *vetere:* nam *Miſſionarii* Phraſi *Europeâ* loquuntur per *Menſes.* Si itaque hoc voluit, falſus eſt: ſi non voluit, non ſecutus eſt Stylum ab eo ſequendum. At cùm *Chinenſes* & *Orientales*, ſuâ phraſi, de hiſce rebus loquantur per *Zodiacalia Signa*, credendum eſt, *Chinenſes* & *Tunchinenſes Rhodio* dixiſſe *Quintum Piſcium*, ſine reſpectu ad aliquem Stylum, cùm dicti orientales Stylorum differentiam æquè ac Menſes noſtros ignorent. Et quidem illos ei dixiſſe *Quinto Piſcium* (qui eſt *Quintus Februarii* Stylo vetere) eò potiùs crediderim, cùm D. *Dacres* noſtras, mox citandus, in *Quinto Februarii* ponens, certiſſimè loquatur Stylo vetere, uti etiam neceſſariò fecerit P. *Venetus*, qui ante Stylorum differentiam vixit, quadringentis abhinc annis: Calendarii autem Reformatio facta eſt anno MDLXXXII. Adeò ut Miſſionariorum, hac in parte, pleræque Regulæ ſint inter ſe diſcordantes & falſæ. Sed quòd eorum primus Menſis ſit *Februarius*, & ſecundus ſit *Martius*, ulteriùs fidem facit D. *Verbieſt*, in *Regiâ Pekinenſi Aſtromomiæ Præfectus*, ſeu *Profeſſor* (nuperis annis defunctus,) cujus apud me extat Liber hoc Titulo, *Typus Eclipſis Lunæ anno Chriſti* MDCLXXI, *Imperatoris Kangh-Hy anno decimo, die XV Lunæ* 2^dæ, *id eſt, die XXV Martii, ad Meridianum Pekinenſe.* Scil. demonſtrat differentes apparentias Eclipſeωs Lunæ eodem tempore in diverſis Provinciis *Chinæ.* Illius autem XXV, Stylo novo, erat tantùm XV, Stylo vetere, ſeu XV *Arietis.* Et ſanè ſupra laudatus *Martinius* noſtram ſententiam firmat, & rem facit planiorem, affirmando *Piſces in primum Menſem ſemper incidere.* Verior itaque eâ *Rhodii* & perfectior eſt Regula, quam (ex chartis ſupradicti Amici mei defuncti D. *Joh. Dacres*, nuperis annis ad *Sinas* Mercatoris) tradidimus in *Tractatu de Ponderibus & Menſuris Chinenſium*, quòd nempe, Eorum *Sin-nien*, ſeu *Novus Annus*, ſemper ſit *Sin-yue*, ſeu *Novilunium* quod acciderit *Quinto Februarii*, eive proximè, ſive antè ſive póſt. Ex. gr. Annus MDCLXXIII inchoatus eſt *Septimo die Februarii.* Sic ille. Is quidem heic in *Angliâ* tunc erat dies tantùm *Sextus*, quod fuit, à Meridianorum & Ortuum ac Occaſuum differentiâ, fere X horarum: ſcil. Novilunium *apud nos* fuit die Sexto, horâ *octavâ veſperi*, apud eos verò, die Septimo, horâ *ſextâ matutinâ.* Nam dies Sextus, apud Aſtronomos noſtros, inchoatus à meridie ejuſdem diei, non terminatus fuit ante Meridiem eorum diei Septimi; qui, apud *Chinenſes*, inchoatus eſt à mediâ nocte: adeò ut noſtri diei Sexti pars poſterior neceſſariò coinciderit cum priore parte diei Septimi eorum, cùm, ex Meridiani differentiâ, quivis eorum dies fermè dimidio

diei

diei ſpatio (vel ſaltem circa X horis) antevertat dies noſtros. Et ex hac, utriuſque Diei atque Novilunii, in utroque loco, convenientiâ, ſatis conſtat, quòd in Novi Anni Regulâ, intelligendus ſit *Februarii Quintus*, ſtylo *vetere*, non autem Stylo *novo*: quod erat probandum. Aliquot horis etiam rem variaverit Phaſeωs differentia, prout cœlum nubilum vel ſerenum, adeò ut Novilunium fortè non apparuerit uſitato tempore. Hoc caſu *Arabes* (prout jubetur in *Súnna*,) currentem menſem protrahunt ad diei *trigeſimi* finem, & cum eo termino novus menſis principium capit: tunc enim Lunam jugi terminum tranſiviſſe conſtat. Hac ratione, Menſis initium haud ſemper incidat eodem tempore. De hoc *Alphergani* p. 2, *Non ſemper contingit initium Menſis (ratione & Calculi & primæ Phaſeωs) incidere in eundem diem: neque hoc fit, niſi tractu temporis ambo inter ſe æquentur.*

Primo Novi Anni die, *Tatari* Albas Veſtes induunt, & Albos Equos mittunt ad Imperatorem, ſeu magnum *Kân*, cum magnâ Feſtivitate & aliis Solennibus quæ fusè narrat P. *Venetus*. Sed ex quo *Tatari* poſſiderunt *Chinam*, Albus color (qui ante erat fauſtus,) *Chinenſibus* habitus eſt infauſtus & luctuoſus. Idem ferè notat *Shâh-Cholgji*, *Quòd ſcil. primo Novi Anni die Feſtum celebrant, & Munera ad ſeinvicem mittunt* مغـولان *Mogulenſes Tatari: & quòd ſingulis Menſibus obſervant* III *dies* باجاق *Batchâk*, ſeu *Jejunii*. Sunt qui dicunt eos quodvis Novilunium ac Plenilunium feſtivitate celebrare. Et in eundem ſenſum inquit *Joh. de Plano Carpini* de *Tartaris* MS, *In principio Lunationis, vel in Plenilunio, incipiunt quicquid novi agere volunt: unde illam* Magnum Imperatorem *appellant, eique genua flectunt & deprecantur. Solem dicunt eſſe* Matrem Lunæ, *eò quòd Lumen à Sole accipiat.*

Menſis Lunaris (dicente *Olugh Beigh*,) eſt XXIX dierum cum 5306 Particulis: & Anni Solaris exceſſus eſt X dierum cum 8764 particulis: hi ſunt eorum Epacti. Annus Lunaris (ut vult *Ali Birgjendi*) eſt CCCLIV cum VIII *horis* & XLVIII *minutis*. Secundùm *Gjágjermi*, eſt CCCLIV *dierum, cum* VI^tâ & V^tâ. *Olugh Beigho*, Revolutio *Epicycli* Lunæ fit *diebus* XXVII cum 5556 *particulis*: & exceſſus Anni Solaris ſupra XIII circulationes Lunæ (ubi eſt *Shùn*) eſt VII *dierum* cum 338 *particulis*.

In ſupra dicto Calendario *Turcico*, Neomenias *Turcicas* quidem non ſatis appoſitè collocavit Scriba, unde nec accuratum Epilogiſmum inſtituere liceat. Sed ibidem ultimi Menſis *Tchokſhâbât* Neomenia ponitur paulò ante medium *Decembris*: & dein Intercalaris Menſis شبون

Shùn

Shùn (ſeu ut ibi ſcribitur شـيـون آي *Shiùn âi)* paulò ante medium *Januarii:* nam pro Anno Intercalari ſcriptum eſt dictum Calendarium. Et tandem primi Menſis *Arâm* Neomenia eſt ad *Quartum Februarii*, quo fuerit Novilunium ſecundum ſupradictam Regulam noſtram, Et hocce Anni Initium à dicto *Januarii* loco ad illud *Februarii* tempus protenditur, inſertione Intercalaris Menſis *Shún.* Cùm enim, præcedente Biennio, propter omiſſam Intercalationem, Lunaris eorum Annus quantitate unius Menſis retroceſſerat, ultra medium *Januarii* relapſus; tum, addito Intercalari *Shùn*, Caput Anni ad priſtinum locum reſtitutum eſt: & hac Additione, ſeu Complemento, tertio anno Annus Lunaris ad Anni Solaris quantitatem extenſus eſt: uti ſingulis annis id fieri poſſet per *Epactas.* Adeò ut, quamvis Menſes ſint verè Lunares, uti & Annus, is tamen Annus quodammodo fit Solaris, ſeu ei æquivalens; ſicuti etiam (monente *Gjâgjermi)* eſt *Judæorum* & *Arabum* Annus Intercalaris. Nec aliàs poteſt Anni Lunaris initium eſſe fixum; cùm abſque Intercalatione ſit planè vagum. Nomine *Shùn* (ut ſupra dictum) proprie & in genere ſignificatur *Additio*, in ſpecie *Intercalatio:* Nam non eſt ex nominibus XII Menſium, quamvis menſtruum ſpatium contineat, ſed eſt *Addititius Menſis* decimus tertius. A ſupradicto Nomine *Shiùn*, corruptum eſt apud *Europæos* Criticos שיכון *Shicun*, ſeu, ut ſonant, *Shaicun*; quod eſt pro שיון *Shiùn.* Et hoc, propter Defectum Characterum *Turcicorum*, quia ſcriptum viderunt *Hebraïcis*, ſeu *Chaldaicis:* unde & hoc habitum fuit pro Nomine *Chaldaico*, *Dodecäeteridem Chaldaicam* notante. Sed in Lingua *Chaldaica* tale Nomen non extat, nec *Chaldæi* unquam per *Dodecäeteridem* numerârunt. Eſt itaque *Shiùn* revera *Dodecäeteris Sinico-Tatarica*; aliter quam ſuperioris Seculi Viri Docti ſenſerunt. Poſt hæc autem, dictum Nomen talem ſignificationem non habet in ulla Lingua, ſed longe aliter, ut ſuo loco diximus.

Calendarii *Chinenſis* ultima correctio ab Imperatore demandata eſt *Jeſuitis Miſſionariis* Anno *Chriſto* MDCXXVIII, dicente *Martinio:* nos autem nondum vidimus. Sed ego *Kataïorum*, ſeu *Chinenſium* poſſideo Calendarium, quod anteà ſcriptum fuerat tempore *Tamingæ* familiæ, ſc. Anno XXV Imperatoris *Yungh-lie*, ultimò ante *Tatarorum* in *Chinam* adventum regnantis, Cycli Sexageni Anno *Sin-hai*, qui erat XLVIII^vus^, *Chriſti* MDCXI. Huic Calendario Titulus eſt, *Ta mingh tchungh hingh Yungh-lie ul ſhe û nien ta tungh liè*, id eſt, *Tamingæ-familiæ mediæ gloriæ Yungh-lie vigeſimo quinto Anno magni Imperii Calendarium*, ſcil. *Çui Çù Sin-hai*, i. e. *Anni hujus Sin-hai:* hoc eſt planiùs dicere,

dicere, Calendarium XXV^to Anno Magni Imperii Imperatoris *Yunghlie* ex *Tamingâ*-familiâ, adhuc in *mediâ*, ſeu *plenâ* Gloriâ. In iſto, inquam, Calendario (omiſſâ mentione Fractiuncularum quæ in fine Anni,) ſcriptum legitur, *Fan ſan pe û ſhe ſù ge*, *Totus*, (ſc. annus) *ter centum quinquies decem quatuor dierum*, nempe quòd ſint in Anno CCCLIV dies. Nuper vidi aliud Calendarium *Sinicum* ejuſdem Imperatoris anno XXXI, *Chriſti* MDCXVII. Ibi autem in Titulo non ſcribitur *in mediâ Gloriâ* dictæ familiæ Imperatoriæ, quia ejus Gloriam offuſcare inceperant *Tatari Chinam* invadentes, qui tunc magnam ejus partem occupaverant, quam totam circa XX abhinc annis poſſederunt.

Superius nomen *Tamingh*, in *Arabum* Libris, corruptè legitur طمغاج *Tamgâgj*, hocque etiam aliquando pro *Chinâ* acceptum. Dicente D. *Couplet* in Chronologiâ Sinicâ, *Imperator Yao* (ante *Chriſtum* MMCCCXXXVII) ordinavit XII lunares Menſes, ſex XXX dierum, & totidem XXIX dierum; & Intercalares menſes qui intra XIX annos ſepties recurrunt. Vel, ut dicit D. *Martinius*, *In Cyclo Sexagenario vigeſies & bis recurrunt.*

Menſium Lunarium Tabula
ex Calendario Sinico, pro anno Chriſti MDCXI.

I.	II.	III.	IV.
Tchingh *Primus*	Ul *Secundus*	San *Tertius*	Su *Quartus*
yuè *menſis*	yuè *menſis*	yuè *menſis*	yuè *menſis*
ſiaò *parvus*	ſiaò *parvus*	ta *magnus*	ſiaò *parvus*
kièn *vocatur*	kièn *vocatur*	kièn *vocatur*	kièn *vocatur*
Kengh *Kengh-*	Sin *Sin-*	Gjìn *Gjìn-*	Quei *Quei-*
yn, *yn.*	mào, *mào.*	gjîn, *gjîn.*	ſù, *ſu.*
XXIX dierum.	XXIX dierum	XXX dierum.	XXIX dierum.
V.	**VI.**	**VII.**	**VIII.**
U *Quintus*	Lo *Sextus*	Ciè *Septimus*	Pa *Octavus*
yuè *menſis*	yuè *menſis*	yuè *menſis*	yuè *menſis*
ſiaò *parvus*	ta *magnus*	ſiaò *parvus*	ta *magnus*
kièn *vocatur*	kièn *vocatur*	kièn *vocatur*	kièn *vocatur*
Kiă *Kiă-*	Yè *Yè-*	Pingh *Pingh-*	Tingh *Tingh-*
ù, *ù.*	vi, *vi.*	tchin, *tchin.*	yeu, *yeu.*
XXIX dierum	XXX dierum.	XXIX dierum.	XXX dierum.

IX.	X.	XI.	XII.
Kièu *Nonus*	She *Decimus*	She *Decimus*	She *Decimus*
yuè *menſis*	yuè *menſis*	ye *primus*	ul *ſecundus*
ta *magnus*	ſiaò *parvus*	yuè *menſis*	yuè *menſis*
kièn *vocatur*	kièn *vocatur*	ta *magnus*	ta *magnus*
Vu *Vu-*	Ki *Ki-*	kièn *vocatur*	kièn *vocatur*
ſio, *ſio.*	hai, *hai.*	Kengh *Kengh-*	Sin *Sin-*
xxx dierum.	xxix dierum.	çù, *çù.*	tcheu, *tcheu.*
		xxx dierum.	xxx dierum.[1]

Iſtorum Menſium Lunarium Nomina non habent ſignificationem aliquam appellativam ad Anni Tempeſtates ſpectantem, ut in Solaribus; ſed deſumpta ſunt ex *Cyclo Sexageno*, ubi comparent ſub dicti Cycli numeris XXVII, XXVIII, XXIX, XXX, XXXI, XXXII, XXXIII, XXXIV, XXXV, XXXVI, XXXVII, XXXVIII. Menſium itaque lunarium nomina quovis anno ſumuntur ex *Cyclo Sexageno*, eum percurrendo & ad finem abſolvendo, & deinde eodem modo eundem rurſus inchoando & repetendo in æternum: adeò ut (cùm in LX ſint quinquies XII,) ſingulis quinis annis eadem menſium nomina ex eo Cyclo exurgentia recurrant & in Calendarium redeant. *Ali Birgjendi* dicit, *Menſes Chataïcos eſſe Lunares veros, à Conjunctione ad Conjunctionem putatos.*

Cyclus Sexagenus ſex Sexagenarius ſuprà memoratus, ad utrumque Annum ſpectans.

I	*Kiă çu.*	XI	*Kiă Siŏ.*	XXI	*Kiă Shîn.*	XXXI	*Kiă ù.*	XLI	*Kiă Schîn.*	LI	*Kiă Yìn.*
II	*Vî Tchèu.*	XII	*Yî Hài.*	XXII	*Yî Yèu.*	XXXII	*Yî Vî.*	XLII	*Yî Sù.*	LII	*Yî Maò.*
III	*Pìngh Yìn.*	XIII	*Pìngh çù.*	XXIII	*Pìngh Siŏ.*	XXXIII	*Pìngh Shîn.*	XLIII	*Pìngh ù.*	LIII	*Pìngh Shîn.*
IV	*Tingh Maò.*	XIV	*Tingh Tcheù.*	XXIV	*Tingh Hài.*	XXXIV	*Tingh Yèu.*	XLIV	*Tingh Vî.*	LIV	*Tingh Sù.*
V	*Vû Shîn.*	XV	*Vû Yìn.*	XXV	*Yû çù.*	XXXV	*Vû Siŏ.*	XLV	*Vû Shîn.*	LV	*Vû ù.*
VI	*Kì Sú.*	XVI	*Kì Maò.*	XXVI	*Kì Tchèu.*	XXXVI	*Kì Hài.*	XLVI	*Kì Yeù.*	LVI	*Kì Vî.*
VII	*Kĕn ù.*	XVII	*Kĕn Shîn.*	XXVII	*Kĕn Yìn.*	XXXVII	*Kĕn çù.*	XLVII	*Kĕn Siŏ.*	LVII	*Kĕn Shîn.*
VIII	*Sîn Vî.*	XVIII	*Sîn Su.*	XXVIII	*Sîn Maò.*	XXXVIII	*Sîn Tchèu*	XLVIII	*Sîn Hài.*	LVIII	*Sîn Yeù.*
IX	*Gjín. Shîn.*	XIX	*Gjín. ù.*	XXIX	*Gjín Shîn.*	XXXIX	*Gjín Yìn.*	XLIX	*Gjín Sù.*	LIX	*Gjín Siŏ.*
X	*Quèi Yèu.*	XX	*Quèi Vî.*	XXX	*Quèi Su.*	XL	*Quèi Maò.*	L	*Quèi Tchèu.*	LX	*Quèi Hài.*

1 In meo Calendario *Sinico* Amicus noſter Chinenſis adſcripſit iſtos ſonos, qui in quibuſdam differunt ab iis quos pro D. *Golio* ſcripſit D. *Martinius*, uti apparet in Cyclo Sexageno, procedendo à Num. 27, & ſic deinceps, ubi iſta Menſium Nomina comparent.

Non

Non eſt prætereundum, quòd *Katæis* eſt alius *Cyclus Duodenarius*, ſc. *Electivus*, à quo pendet Electio dierum fauſtorum, aut Evitatio infauſtorum, ad operas & res agendas, vel omittendas: nam valdè ſuperſtitioſi ſunt in omnibus rebus ſuis. De hujus Cycli uſu conſulendus eſt *Olugh Beigh:* nam cùm ad rem Aſtronomicam non ſpectet, nolui ulteriori ejus explicationi immorari. Ejus interim partes ſunt,

I Kien, II Tchû, III Muón, IV Pîngh, V Tîngh, VI Tchĕ,
elevare. partiri. replere. æquare. ſtabilire. ſervire.
VII P'o, VIII Vî, XI Tchíngh, X Shèu, XI C'hai, XII Pì,
frangere. periclitari. perficere. recipere aperire. claudere.

Quoad judicium de eis referendum, I, III, IV, X ſunt *Hē*, i. e. *Nigri*, ſc. infauſti. Et II, V, VI, VIII ſunt *Hoângh*, i. e. *Flavi*, ſc. ferè fauſti. Et IX, XI ſunt *Pe*, i. e. *Candidi* ſc. fauſtiſſimi. Et VII, XII ſunt *Huen*, i. e. *Furvi*, ſc. infauſtiſſimi. Sic olim. Nunc autem Chinenſes *Candidum* colorem æſtimant *luctuoſum:* & *Flavum* colorem judicant *fauſtiſſimum*. Unde pro fauſtiore Omine, ut benè vertat Annus, Calendariorum primum folium ſolet eſſe ex Serico flavo. In ultimâ voce *Huen*, H eſt ſimplex, ſeu ſimplex aſpiratio, non autem H forte, ut in aliis vocibus.

CAP. XIX.

Explicatio nominum Angelorum ſingulorum Menſium: ubi de dictorum Angelorum Præfecturis. Item de Sabbatis & præcipuis Magorum Feſtis & diebus ſolennibus. De diebus fauſtis & infauſtis, & quid in ſingulis agendum, aut evitandum. In his omnibus multi eorum Religioſi Ritus & Cæremoniæ explicantur, & veteres Conſuetudines illuſtrantur: ex quibus, qualis fuerit hujus populi genius & indoles eluceſcit. De Feſtis Appendicum, & Parentalium, &c.

NOVI anni Gjelalæi initium Perſis vocatur نوروز *Naurûz*, i. e. Νεημερία, ſeu *novus dies*. Hinc factum eſt apud moderniores Perſas, de Novo anno veterum loquentes, ut ejuſdem Initium ſeu *Diem primum* vocent *Naurûz*, impropriè eâ in parte loquendo, ut mox dicetur. Et inde idem mos invaluit apud alias Gentes, *Syros* & *Coptitas*, qui ſui Anni primum diem aliquando eodem nomine, ſed

parum immutato, vocant نيروز *Nairûz*. Iſte itaque in Anno Gjelalæo eſt Menſis primi *Phervardîn* Dies primus, qui inde à tempore *Gjelâleddîn* ad hunc uſque diem habetur Feſtivitas maxima, cujus Inſtitutionem Perſarum aliqui referunt ad antiquiora tempora Regis *Gjemſhîd*, dicti *Gjem*; de quo in Libro *Pharhàngh Gihânghîri* narratur, *Quòd* Gjem *cùm in Mundum prodiens veniret in Aderbayagjân, tunc primùm aureâ coronâ gemmis plumatâ indutus, ſedens & ad orientem Solem converſus, Coronæ ſplendorem, veteri linguâ dictum* Shíd, *viſendum exhibuit: unde hoc videntes homines, gaviſi dixerunt, iſte eſt Naurûz, ſeu Novus dies. Et quòd, cùm rurſus die ſexto in Solio ſederet, populum blandè allocutus eſt, & faciem ad eos convertens, dixit, Deus vobis condonavit: aquâ mundâ vos lavate, & Deo gratias agite. Et quòd ſic ſit praxis ad hunc ipſum diem: & quòd ſolebant Magnates, hoc die, plebi omnes ſuas petitiones & neceſſitates concedere, & incarceratos dimittere liberos, & peccantibus remittere.* Sic etiam *Cotboddîn* Inſtitutum & Nomen diei *Naurûz* (ut & Perſici Anni formam) acceptum refert Regi *Gjemſhîd, quòd ille eodem felici die quo,* (inquit *Nuveiri*) *ex Perſarum opinione, Lux & Motus inceperat, Imperium adeptus eſſet.* Sed cùm is eſſet in initio Rex pientiſſimus & optimus, multa de ejus Pietate & Revelationibus narrant, quæ aliquando videntur fabuloſa, uti & hæc fortè fuerint.

Eſt, inquam, *Naurûz* Feſtum totius anni maximum, in quo ſummo gaudio & omnigenâ lætitiâ occupari & oppleri ſolent omnes: unde & hujus diei Veſpera, quibuſdam Perſarum, peculiari nomine ſignatur فرستاف *Phriſtâph*. Hujus Feſti آرايش *Ornamentalis-Apparatus* qui in urbibus & domibus parari ſolet, vocatur آذين *Adîn*, ſeu *Azîn*; unde modernioribus Perſis, qui *Dies Septimanæ* habent, *Dies Veneris* (*Arabicè* جمعة *Gjúm'a*, i. e. *Conventionis*, ſeu *Congregationis* Dies,) vocatur آذينه *Adîna*, ſeu *Azîna*, q. d. *Ornamentalis* Dies, quando, Sacra peragendi ergô, conveniunt in Templis, quæ tunc ſunt ornatiora, & homines ornatioribus veſtibus induti.

Eſtque in anno *Gjelalæo Naurûz* duplex, ſcil. primus dies menſis *Phervardîn*, ineunte Vere, eodem die quo Sol intrat Signum بره *Berè*, ſeu *Agnum*, ſc. *Arietem*; qui quidem Dies vocatur نوروز كوچك *Naurûz minor*, ſeu *parvus*, & نوروز عامه *Naurûz vulgaris*. Deinde ejuſdem menſis dies ſextus (nam eſt Feſtum Hexaëmeron ſeu VI dierum,) vocatur نوروز بزرك *Naurûz magnus*, نوروز خاصه *peculiaris*, ſeu *proprius*. Hæc, inquam, intelligenda ſunt de *Naurûz* hodierno Perſarum

ſarum recentiorum qui *Mohammedani* ſunt: hunc enim *Naurûz* inſtituit ſupradictus *Gjelâleddîn Melicſhâh*, quicquid in contrarium nugati fuerint de remotiore ejus antiquitate à Rege *Gjemſhîd* petitâ. *Hoc fuit ſenûm dierum Feſtum, quorum primo* (dicente *Cazvîni*) *Perſarum Reges ſtudebant gratificari populo*, II^do *Doctoribus & Aſtrologis*, III^tio *Sacerdotibus & Conſilariis*, IV^to *Proceribus & Propinquis*, V^to *Liberis, & Sextum habebant ſibi proprium.* Hoc ſexto die Regibus offerebantur Munera, &c. De hujus diei Ritibus *Ibn Mucfa* refert; *Fuit mos eorum ut illo die huic rei præpoſitus Vir aliquis, vultu formoſus, noctu ad Regem veniret, & ad portam ſtaret donec illuxiſſet aurora: tumque ad Regem ſine veniâ intrabat. Et familiariter cum eo congreſſus Rex dicebat, Unde tu, & unde veniſti? quo tendis, & quid tibi nomen? in quem finem acceſſiſti, & quid apportas? Cui reſpondebat, Ego ſum* Al Manſûr, *ſeu* Auguſtus, *& nomen meum eſt* Al Mobârek, *ſeu* Benedictus: *acceſſi huc à Deo novum afferens Annum. Tum ille conſidebat, & intrabat alius afferens Paropſidem argenteam, in quâ Triticum, Hordeum, Piſa, Ciceres, Seſama, & Oryza, (ſc. cujuſque generis Spicæ ſeptem & Grana novem,) & fruſtum Sacchari, & duo Dinâr,* ſeu *Aurei recenter cuſi. Tum Paropſide Regi appoſitâ, offerebantur ei illa Dona: & primus ingrediebatur ejus Wazîr,* ſeu *Imperator Exercitûs, deinde Ærarii Præfectus, tum Præfectus Apparatûs bellici; denique populus ſecundùm claſſes ſuas & ordines. Poſtea Panis magnus qui ex Granis ejuſmodi confectus erat, in corbi poſitus offerebatur Regi; ex quo cùm ipſe comediſſet, cæteris qui coram aderant comedendum dabat, inquiens, Hic Novus Dies eſt Menſis novi de Anno novi temporis novo; quo neceſſe eſt renovari quicquid tempore conſtat. Tandem Regni ſui Proceribus veſte regiâ ornatis benedicebat, in eos diſtribuens quicquid Doni allatum erat. Erátque apud vulgus Perſarum mos, nocte illâ excitare homines, & manè aquam ſpargere.*

Sic fuit *Naurûz Gjelalæus.* At de *Naurûz veteri* (ſi ita appellare liceat,) in Libro *Pharhàngh Surûri* dicitur, *quòd* فروردجان *Phervardagjân* (ſeu V Dies Appendices) ſint نوروز مغان *Naurûz Magorum.* Dicti autem Appendices, tempore mortis *Yezdegherd*, erant in fine Menſis *Abân:* & ibi ad hunc uſque diem hæſerunt in privato Calendario vetuſtiſſimorum Perſarum eorúmque Sobolis inter *Perſas Mohammedanos* habitantis & hodie ſuperſtitis; quamvis cogantur publicè ſequi Calendarium *Gjelalæum.* Quia verò iſti V dies qui propter benè finitum Annum habebantur Feſtivales, erant contigui primo diei ſequentis Menſis *Adur* (cujus primus Dies, qui apud Magos erat Anni Prin-

Principium, in initio Imperii τῦ *Yezdegherd*, & quoque poſt eum extinctum ſic manſit,) ideò in ſuprà laudato Libro, iſtud tempus vocatur *Naurûz Magorum:* non quaſi *Magi* ſic vocaverint, aut hodiè vocent, ſed *ille autor* ſic vocavit; illi enim alio longè diverſo nomine primum Anni ſui Diem vocant *Cûſa-niſhîn*, de quo in ſequentibus fuſiùs dicetur. Et *Yezdegherd*, durante ſuo tempore, eum Diem adhuc alio nomine *Tcheſhn-ſâz*, ſeu *Feſtivalem* appellari voluit. Ille itaque autor non ſatis accuratè & diſtinctè locutus eſt, confundendo nomen Appendicum finis præcedentis Anni, cum nomine primi diei ſequentis Anni; cùm hæc (quamvis prope conjuncta & contigua,) ſint à ſeinvicem planè diverſa, nec Caput *veterum Magorum* Anni vocabatur *Naurûz*, quippe quod nomen obtinuit tantùm in poſteriori Anno *Gjelalæo*.

Priùs autem quàm Menſium & Dierum nomina, & ab eis pendentes religioſos Ritus, ſigillatim explicare aggregiar, præmittam qualem obſervare conabantur *Sabbatiſmum*, ut cum ſuâ Menſium Perſicorum Hypotheſi coincideret *Moſaicæ* Legis præceptum de *Septimi* Diei Sabbato in perpetuum obſervando. Ut itaque *Græci*, olim *Septimanis* deſtituti, Menſem *trifariàm* in tres Dierum *Decanos* dividebant; ſic cùm in veterum Perſarum Menſe (ut ſuprà dictum) non ſint *Septimanæ*, ſicut ſunt in Menſe *Arabum*, Perſæ videntur tale quoddam parâſſe remedium, interponendo *Nomen Dei*, quod quadripartitam efficeret menſis diviſionem, quæ ſeptenariæ Partitioni eſſet proxima. Singulos menſis Perſici Dies ſuo ordine recenſitos videas ſuprà p. 190. Ibi primus dies eſt *Hormùzd*, ut ab Jove ſit principium. Deinde (ut Angelorum ſint intermedii Dies, & Dei ſupremi ſeptimus,) poſt VII dies rurſus venit *Deybadur*, ſeu *Dey cum Adur*, ſcil. Dei nomen unà cum *Adur:* & eodem modo, poſt alios VII dies venit *Deybamihr*, ſeu *Dey cum Mihr:* & tum poſt VIII dies, *Deybadîn*, ſeu *Dey cum Dîn*, qui eſt ultimi Octoni primus. Hoc non eſt fortuitum, ſed ſtudioſè & ex induſtriâ factum. Et ſanè ſi Menſis tantùm XXVIII diebus conſtitiſſet, ut commodior eſſet diviſio, tum proculdubiò quater Septeni Dies à nomine Dei incepiſſent: ſed XXX dies non potuerunt aliter dividi, quàm per bis Septenos & bis Octonos dies. Adeò ut, vetuſtiſſimi & primarii huius Menſis & Dierum Inſtitutores planè videantur reſpexiſſe *Sabbatiſmum*. Hinc eſt quòd *Olugh Beigh* poſtquam numeravit Feſta, addat — وامّا دى *Et quidem ſic eſt Dey* VIII^vus & XV & XXIII, *quippe quod ſit nomen Dei, uti eſt Hormuzd*. Hæc nomina *Dey* videntur quaſi eſſent in compoſitione cum nominibus quibus

bus adjuncta sunt: sed reverà non est ita; ideóque *Olugh Beigh* simpliciter enuntiat *Denominatum*, sine mentione adjuncti *Denominatoris*; cùm solùm *Dey* sit dictorum trium dierum nomen, & additiò *cum Adur*, *cum Mihr*, & *cum Dîn* sit tantùm ad indicandum situm locúmve in Mense Persico, scil. ad notandum *Dey*, quod cum talibus adjunctis nominibus venit, eáve immediatè præcedit. Hi inquam IV dies (quorum primus est *Hormùzd)* quasi tot Sabbata in Mense Persico constituebant, quasi Dies Dei, ei dedicati & ab eo denominati, cùm reliqui dies ab Angelis denominarentur. Cùm verò numerus tricenarius (ut supradictum) per Septenos æqualiter dividi non posset, coacti sunt ferre talem inæqualitatem; cùm promovendo Diem in Calendario, ut nos facimus, vel eundem retrahendo, Dei Dies cum illis Angelorum commutati fuissent, quod nefas; & processu temporis, totalis tandem facta fuisset mutatio, quod primò institutum ordinem prorsus turbâsset.

I. Mensis primus *Martius* in Anno *Gjelalæo*, qui in Anno veteri est *Julius*, vocatur *Phervardîn*, aliquando contractiùs فروديـــن *Phervîn*, quod (uti *Phervardîn)* ex vi vocis significat, tum in genere, *Superius quidvis*, quàm specialiter, *Superliminare* Portæ, vel Ostii, aliàs dictum فرود *Phirvad* & فروديـن *Phervadîn*. Et ex opposito (ne in Lectione oriatur confusio,) *Subterliminare*, eisdem literis, sed diversis vocalibus, vocatur فرودين *Phurûdin*, i. e. *infimum* aliquid. Cùm itaque in *Phervardîn* sit *superioritatis* significatio, Grammaticalis Sensus commodè feret ut inde primus anni Mensis sic vocatus fuerit, q. d. *Supremus* totius anni. Sed cùm ista originatio tantùm spectet certum aliquem Mensium ordinem & situm, qui fortè non semper eodem modo se habuerit, & cùm *Phervardîn* à Persis censeatur Nomen Angeli à quo denominatus est Mensis, videatur quòd aliâ ratione sic dictus fuerit q. d. پـروردیـن *Pervar-dîn*, i. e. *fovens Religionem:* nam *p* & *ph* sunt commutabiles. Huic verò originationi aliquantulum obstat, quòd tum magis Persicè dicendum esset پروردیـن *Dîn-pervar*, *Religionis fotor*. Ideóque fortassis prior derivatio sit potior, præsertim quia cum eâ convenit aliud hujus Mensis nomen *Zeverdîn*, seu *Zevardîn*, etiam significans *superius*; ut in *Nim. Laud.* legitur زوردين دوروز آذي *Zevardîn est Mensis τῆ Naurûz*, scil. *supremus* mensis totius anni, in quo est *Naurûz:* nam *Zevardîn*, quoad vim vocis, est i. q. زوريـن *Zovarîn*, i. e. *superior*, *supremus*, *summus*. Si forte in nomine فروردیـن syllaba

فر

فـر per ſcribarum incuriam orta fuerit ex ſyllabâ ز *ze* in voce زوردین *Zevardîn*, eſt valde antiquus error. Nolo aliquid determinare.

Iſte *Angelus* creditur præeſſe *Animabus* quæ in *Paradiſo*, & is habetur Paradiſi خازن *Theſaurarius*, à cujus ductu pendere exiſtimantur omnes res & negotia totius hujus Menſis, & præſertim Diei XIX ejuſdem, in quo, ex veterum Perſarum ſententiâ, *bonum fauſtumque eſt novas veſtes ſcindendo formare & induere, & Ovium greges atque Boum armenta luſtrare.* Hic Dies (quia coincidit cum nomine Menſis,) Feſtus habetur: &, ut diſtinguatur à nomine menſis, vocatur فـروردیـن روز *Phervardîn-dies.* D. *Golius* ad *Alpherganum* dicit hunc diem vocari فروردیـن گـان *Phervardînaghûn*, i. e. *Phervardinalia*, quæ ſanè appellationis forma analoga eſt reliquorum Feſtorum nominibus: ſed apud Perſicos autores nondum inveni.

In Angelorum Officiis & Præfecturis aſſignandis, Perſæ inter ſe aliquando diſſident: nam contra Regulam in Libro *Mugjizât* traditam, (quòd ſc. Menſium Angeli ſint ſuperiores, & Dierum Angeli ſint inferiores,) ſunt ex *Indo-Perſis* qui tradunt iſtum Angelum *Phervardîn* eſſe tantùm Coadjutorem τῦ *Churdâd:* ſc. credunt quòd Angeli inferiores ſint کارگنان *Operarii*, ſeu *Miniſtri* Angelorum ſuperioris ordinis. In Libro *Mugjizât* dicitur, quòd hujus Menſis XVII die inchoari ſolet زمـزمـه *Zémzema*, ſeu Sacrorum verborum *Muſſitatio* in Religione Magorum. [Fortè meliùs dixiſſet die XIX.] Eſt enim cuivis diei menſis *Muſſitatio* propria & peculiaris quæ fit ejuſdem diei Angelo, eum ſolicitando, ut illos tueatur à Diabolo ejuſque Tentationibus. Nec unius diei *Muſſitatio* confundenda eſt cum eâ alterius diei, quia quiſque dies habet diſtinctum Angelum qui ſuæ diei rebus præficitur, ad quem dirigitur talis *Muſſitatio.* Sic (inquit Libri *Mugjizât* autor,) *Perſarum Reges pro ſingulis diebus Menſis habebant Cibum aliquem novum,* & مشـمـری *Miſhmar novum, & indumentum novum, & Muſſitandi formulam novam, & Teleſma novum. Et Feſta conſtituebant, quorum aliqua ſpectabant ad Religionem, & aliqua ad res mundanas ſeu politicas.*

II. Secundus (in Anno *Gjelalæo Aprilis*, in Anno veteri *Auguſtus*,) Menſis apud D. *Golium* ad *Alpherganum* perperam legitur *Aredbahiſht*, pro eo quod in Perſide ſonari ſolet *Ardibehiſht*, ſeu *Erdibehiſht*; & ab *Indo-Perſis* ſonatur *Urdibehiſht:* & in utrâque, *Behiſht* eſt *Paradiſus.* In priore, *Ard*, ſeu *Erd*, eſt *fortis, magnanimus, ſtrenuus*; quæ quidem

dem interpretatio reſpicit Angelum ipſum & ejus naturam, q. d. *Fortiſſimus in Paradiſo* Angelus. In poſteriore, *Urd* exponitur *Similis*, reſpiciens ſolum Menſem ejuſque naturam, quaſi hic Menſis dictus fuerit *Paradiſo ſimilis*, hoc eſt, propter Amœnitatem & florentem in eo Anni Tempeſtatem. Quocunque autem modo pronuntiaveris, hoc nomine intelligitur Angelus qui habet *Claves Paradiſi*, & qui præeſt Igni (eum vivum conſervando,) & Montibus, & omnibus rebus ac negotiis hujus Menſis, & ejuſdem nominis Diei, qui eſt tertius; qui, quia coincidit cum nomine Menſis, habetur Feſtum dictum اردي بهشت روز *Ardibehiſht-rûz*, i. e. *Dies*, vel pluraliter اردي بهشتگان *Ardibehiſhtaghân*, ſeu *Ardibehiſhtalia*, maximæ celebritatis: quo etiam die bonum eſt bellum gerere; & quoque adire Pyréum, ubi quiſque à Deo obtinebit petitiones ſuas; uti etiam ſi quis adiverit Reges, ab iis exaudietur. Secundùm *Indo-Perſas*, is Coadjutorem habet *Behrâm*. *Cazvinius* Arabs vult *Ardibehiſht* eſſe Ignis & Lucis Deum, qui Medicinæ etiam præeſt. Præter hunc autem *Azur* præcipuè creditur præſidere Igni, adeò ut duo habeant eandem Præfecturam. Sed talia numeranda ſunt inter παροράματα eorum, qui omnium Angelorum ſuorum Officia & Præfecturas non ſatis ſtrictè & accuratè aſſignârunt, quin pro lubitu in varias ſententias excurrant. Quod ſemel dixiſſe ſufficiat, quamvis in poſterum tale quid occurrat.

III. Tertius Menſis, in Anno veteri *September*, in Anno *Gjelalæo Majus*, eſt *Churdâd*, q. d. *Lumen*, aut *Illuminationem dans*. Habetur autem pro nomine Angeli (cui ſecundum *Indo-Perſas* plures ſunt Socii & Coadjutores,) qui præeſt Aquis currentibus & omnibus aquis, ſive ſint dulces, ſive ſalſæ, eas ab inquinamentis vindicans. Præeſt etiam Arboribus & Herbis, & omnibus rebus ac negotiis hujus Menſis, & Sexti ejuſdem diei dicti خوردان روز *Churdâd-rûz*, (ſeu pluraliter خردادگان *Churdâdaghân*, i. e. *Churdadalia*,) qui, cum nomine Menſis coincidens, celebratur ut Feſtum; quo die (præter Feſtivitatem) bonum fauſtúmque eſt Uxorem expetere, & quoque از حاجات طلب امشاسپندان وسروشها *neceſſitates noſtras impetrare ab Angelis ac Cælitibus*. Heic autem *Sorûſh*, quaſi generali ſignificatione, eſt ſynonymum cum præcedente. *Cazvini* ponit Feſtum آبریزگان *Abrîzaghân*, ſeu *Aquæ-ſparſoria*, in ultimo hujus Menſis die: cùm id potiùs pertineat ad Menſem *Tîr*, ubi videas. Autor Libri *Mu'gj.* ponit *Abrîzaghân* in die XX hujus menſis; addendo etiam, quòd روز امرادست

ſit Dies Principum, ſi rectè interpretor: nam fortè ſit mendum. In Libro *Ph. Gj.* unde pleraque horum habui, dicitur quòd hoc die XX *Rex Phridûn devicit* τὸν *Dahâk, eumque duxit Captivum, qui dixit, Ne interfice me: cui itaque* اجابت کرد *aſſenſit Phridûn.*[1] Eſt quoque *Churdâd* nomen alicujus *Pyréi* celſiſſimi, quod fortè idem cum *Azur-churdâd.*

IV. Quartus Menſis eſt تیر *Tîr*, i. e. *Sagitta*; (in Anno *Gjelalæo Junius*, in Anno veteri *October*) quo etiam nomine appellatur *Mercurius* Planeta propter velociorem motum: & celer ille Superûm nuntius habetur دبیر فلک *Scriba Orbis-cæleſtis*, qui etiam præfectus eſt Doctis & *Sheichis.* Is apud *Indo-Perſas* eſt tantùm Socius τῦ *Churdâd.* Eſt autem *Tîr* nomen Angeli qui etiam præeſt jumentis & omnibus rebus hujus Menſis, & ejuſdem diei XIII, qui *Feſtus* nomine تیرگان *Tiraghân*, i. e. *Tyralia:* & æquè celebratur ac *Naurûz* & *Mihraghân.* Hic autem dies magnâ cum Feſtivitate celebratur, non tantùm quia coincidit cum nomine menſis, ſed & quia quando bellum fuit inter *Afraſiyâb* (qui aliquando τῆ *Irân* præfuit,) & Perſarum Regem *Manûgjahr*, qui in Caſtello تیرستان *Tîriſtân*, (i. e. *Sagittarum regio*,) obſeſſus, *Manûgjahr* poſtulavit ut ei traderetur *Irân-Shahr*, i. e. *Neiſhâbur*; quod factum eſt: & tum hoc die facta fuit Pax, ſub eâ conditione, ut unus aliquis è militibus τῦ *Manûgjahr* totâ vi Sagittam emitteret; & ubicunque caderet, ibi eſſet regni terminus. Dicunt itaque quòd ارش *Ariſh* emiſit ſagittam quæ cecidit in ripâ fluminis آمو *Amu*, ſeu آب آمو *Abi-Amu*, i. e. *Oxi*, ubi itaque conſtitutus eſt regni limes: quo facto, Perſæ ab ulteriori moleſtiâ liberati ſunt. Hoc die, fauſtum eſt precari & neceſſitates petere.

Hoc Feſtum *Tîraghân* aliàs vocari ſolet آبریزگان *Abrîzaghân*, i. e. *Aquiſſparſoria*, quia populus, tam aquam communem, quàm roſaceam, dicto die, in ſeinvicem ſpargunt, ut refert *Ph. Gj.* autor, de eis in *Indiâ* ſcribens. Libri *Mu'gj.* autor collocat *Abrîzaghân* in XXX die menſis *Behman*, prout uſurpatur in *Iſpahân.* Ipſe autem aliàs collocat in XX die menſis *Churdâd*, fortè apud alios: ſed non diſtinguit. *Cazvinius* meminit ritûs ſpargendi aquam in *Naurûz*, ut ſupra; & ponit *Abrizaghân* in ultimo die menſis *Churdâd:* & ex eo D. *Golius* in Notis ad *Alpherganium* malè legit ابزیرکان *Abziraghân.* Hoc modo variatum vides ſecundum variorum locorum conſuetudinem.

[1] Proh ἀνισχηνοίαν! quaſi *Phridûn* bellum geſſerit cum Patre eum occiſurus! Et tamen in eodem errore etiam fuit Ruſtemi Epitomator, ſuprà pag. 183, l. 26. Vide infrà p. 245, 246.

Hujus

Hujus menſis *Tîr* XII dies dictus يادر *Yâder*, eſt quoque Feſtum. Vide in *Abân*.

V. Quintus menſis, in Anno *Gjelalæo Julius*, in Anno veteri *November*, eſt مردان *Murdâd*, (vulgò *Mirdâd* & *Amirdâd*,) qui eſt Angelus qui præeſt Arboribus & Frugibus ac Seminibus, (ut ſuprà de *Churdâd* notavimus,) atque Hyemali Parti anni, & omnibus rebus tam hujus Menſis, quàm ejuſdem Diei XVII, qui vocatur جشن نيلوفر *Feſtum τῆς Nîluphar*, i. e. *Nênupharis*, quòd eam herbam tunc in uſum adhibere ſoleant. Si hoc die petitiones fiant apud Reges & Magnates, citò dabuntur res petitæ. Nomine *Murdâd*, ſeu *Mordâd*, q. d. *mortem dans*, ſignificatur etiam فرشتهٔ مرگ *Angelus mortis*, aliàs dictus هيشم *Hîſhim*, ابو يحيي *Abu Yâhja*, & *Azraël*, de quo *Cazvinius* dicit مردان هو عزرائيل ممسكن الحركات و مفرق الارواح من الاجسان *Mordâd eſt Azraël, qui motiones ſedat, & animas à corporibus ſeparat.* Eum enim Animas corporibus ſolvere credunt *Perſarum Magi*.

Judæi volunt quòd עזראל *Azraël*, i. e. *Auxilium Dei*, præſit Aquis ne tranſeant terminum ſuum & operiant terram. Volunt etiam quòd דומה *Dûma* ſit Angelus præfectus mortuis & moribundis, quos nominatim compellat horâ extremâ : unde in *Gemara Talmudi Berachoth* fol. 18. 2, legitur דומה קדים ומכריז להו *Dûma præcedit & publicè vocat ipſum, Nunc veniat ὁ θάνατος*. A ſilentio nomen habet, q.d. *Præfectus ſilentii*, eorum ſcilicet qui mox erunt ſilentes. Apud quoſdam veteres Judæos סמאל *Sammaël*, i. e. *Venenum Dei*, exponitur מלאך דמותא *Angelus mortis*. Is tamen aliis eorum eſt *Satanas*, ſeu *Princeps Diabolorum*, quem ajunt inequitaſſe *Serpentem antiquum* & ſeduxiſſe *Evam* : nam *Sammaël* exponitur אשמודאי *Aſmodæus*, ſeu *Tentator*, de quo aliàs dicitur סמאל שר גדול שבשמים *Sammaël eſt Princeps maximus qui in cœlis*. Huic, tanquam Diei Judicii Advocato, dant ſeu offerunt Munus [a bribe] in die Propitiationis, ne Judæos propter peccata accuſet. Plura videas apud Buxtorfium.

VI. Sextus menſis *(Gjelalæus Auguſtus*, vetus *December)* eſt شهريور *Shahrîvar*, ex vi vocis idem valens ac شهريار *Shahriyâr*, i.e. *Auguſtus*, princeps, quod (quamvis merus Titulus,) aliquando migravit in nomen proprium, quod apud *Græcos* Scriptores *Cyaxares*. Hoc nomen *Shahrîvar* (ſi incipimus à *Phervardîn*,) *Auguſto* Menſi, tam ordine, quàm appellativâ ſignificatione, reſpondet. Eſt autem *Shahrîvar* nomen Angeli qui præeſt Igni & omnibus metallis ac mineralibus, eiſque benè mundandis ; & omnibus rebus ac negotiis, tam hoc menſe, quàm IV ejuſdem Die factis, aut faciendis. Iſte Dies quartus voca-

tur شهريور روز *Shahrîvar-rûz*, ſeu *Shahrîvar-Dies*, ut diſtinguatur à *Shahrîvar-Menſe*. Et in illo Die (quia ſynonymus eſt cum nomine menſis) celebrari ſolet *Feſtum* dictum شهريورگان *Shahrîvaraghân*, ſeu *Auguſtalia*. Hoc die natus dicitur داراب *Darâb*, ſeu *Darius*. Octavo quoque hujus menſis Die (propter meſſas fruges) celebrari ſolebat *Magorum* Feſtum dictum خزان *Chezân*, i. e. *Autumnalis* Feſtivitas, & *Autumnus* ipſe. Hæc ex *Ph. Gj.* At in *Nim. Laud.* exponitur *Autumnalis menſis, & cujuſque menſis* XVIII *Dies*, ut ſuprà notavimus p. 195, 196; ubi etiam adducitur ut alicujus menſis *Yezdegherdæi* nomen ordine reſpondens *Octobri*.

VII. Septimus (*Gjelalæus September*, vetus *Januarius*) eſt مهر *Mihr*, ex primitivâ vi vocis primariò *Amorem* denotans, deinde *Solem*, qui *Amore* complectitur totum Orbem eúmque illuſtrat & calore fovet & fructiferum reddit, qui aliàs in tenebris & frigore & ſterilitate ac omnium rerum inopiâ relinqueretur. A quibuſdam *Mihr* habetur quædam Intelligentia quæ regit Solem, ut *Azur* eſt Intelligentia quæ regit Ignem: eſt ſcilicet nomen Angeli qui cenſetur præeſſe omnibus rebus in hoc menſe, ejúſque Die XVI actis, aut agendis; præſertim omnibus rebus quæ *Amorem* & *Amicitiam* ſpectant. Ab eo quoque pendet omnis totius Populi حساب و شمار *Computus & Numeratio*, & in ejus manu ſunt ثواب و گناه *Præmia & Pœnæ*. Scilicet, Dei juſſu, ejus eſt cum populo Die Computi numerare de præmiis, atque de pœnis, pro peccatis ſuis. Is enim in Die Judicii extremi præficiendus eſt *Ponti* dicto *Tchînavad-pùl*, per quem tranſituræ ſunt omnium morientium Animæ, quas ibi in medio Ponte ſiſtit, & cum eis numerat pro anteactâ vitâ; & in Bilance, quam in manu habet, omnium Actiones ponderat, omnia tam bona quàm mala Opera benè perpendens: &, ſi Bona malis præponderant, vel unius ciliaris pili pondere, ad *Paradiſum* mittit; aliàs ad *Gehennam*. Et ibi pro Meritorum aut Peccatorum qualitate, in VII diſtinctis *Cælis* & totidem diſtinctis *Gehennis* Præmia & Pœnæ eis decernuntur & parantur.

Hujus XVI Dies, ut diſtinguatur à *Mihr-menſe*, vocatur مهر روز *Mihr-rûz*, i. e. *Mihr-dies*, eſtque *Magorum & veterum Perſarum* Feſtum (excepto *Naurûz-châſſa*) omnium maximum, aliàs vocatum in plurali مهرگان *Mihraghân*, ſeu, ut Arabes ſcribunt, مهرجان *Mihragjân*, i. e. *Mithralia*, ſeu *Mithriaca*. Hoc Feſtum celebratur per VI Dies, quorum primus eſt XVI dictus مهرگان عامه *Mihraghân âmma*, i. e. *Mithriaca vulgaria*, ſeu *communia*: & hujus Feſti finis eſt Dies XXI dictus مهرگان خاصه *Mihraghân châſſa*, i. e. *Mithriaca pecu-*

peculiaria, ſeu *propria*. In quodam *Syrorum* Calendario دوروز مهرجان *Naurûz τῆς Mihragjân* ſcil. communis) adſcribitur XIV Diei *Septembris*, minùs bené.

Hujus Feſti Celebrationis aliquot rationes à Perſis adferuntur; ſcil. quòd Deus, hoc Die, primò Terram ſtraverit, & Corpora fecerit Spirituum receptacula. Sed hoc non coincidit cum Creationis ordine ſuperiùs ab illis aſſignato. Sunt qui volunt hoc Die Angelos tuliſſe opem τῷ آهنگر کاوه *Câvæ Fabro-ferrario* in cæde τοῦ ضحاکی *Dahâk*, quem quidem Perſæ, ex dedecore & probro, vocant ده آگ *Dah-âgh*, i.e. *Decem vitia*, quæ huic Tyranno annumerant. Is enim erat, طاغی *contumax*, & perditiſſimus Homo, ſub quo Populus tormentum & moleſtiam paſſus eſt. Alii dicunt *Phridûn*, hoc Die, primò in Solio ſediſſe, ante illud tempus quo dictus *Câva* iſtum *Dahâkum* profligavit. Alii dicunt quòd, iſto Die, *Phridûn* primò inſurrexit in *Dahâk*, eúmque peſſundedit; adeò ut populus in terrâ *Babel*, qui ſub eo erant, in ſupplicio & moleſtiâ, (eo in montem *Dumâvand* ablegato ibique incarcerato,) à tyrannide & oppreſſione liberati ſunt. Ideóque (pergit *Ph. Gj.*) Perſæ in ſuâ Religione عون دمودن وهمه لشکر ایزدی بیرداختند *in ſuas Stationes revertendo, totum Dei exercitum luſtrarunt*, ſeu *completum reddiderunt*, atque Præfectos ad Amorem in Subditos hortati ſunt, & ut (ſecundum *Mithriacorum* ſignificationem,) *Amorem* continuare vellent; & quòd ideò huic Diei tale nomen impoſuerunt. Quocirca, in poſterum, Perſæ hoc Die ſolebant facere peculiarem aliquam زمزمه *Zémzema*, ſeu *Muſſitationem* ſolennem, recitantes quædam مناجات *Soliloquia*, laudem Dei & آذر *Ignis* continentia, وبوقت طعام و شراب باز گرفتند یعنی سکوت می دمودند تعظیم خدایرا جل جلاله & *tempore edendi & bibendi arripiebant Bâz*, ſeu *Taciturnitatem, in Honorem Dei Optimi Maximi*. Sic ille. Sed fallitur in re Hiſtoricâ, ponendo *Phridûn* filium ante patrem *Dahâk*. Pergit verò dictus autor, "*Alii dicunt quòd Perſis fuit Rex quidam iniquiſſimus,* "*nomine Mihr*, qui کار را بر خلایق تنگ گرفته *res à populo arctè* "*exegit:* & is deinde medio menſe (ſc. Die XVI) obiit: quocirca "aliqui hunc Diem dictum volunt *Mihraghân*. Sunt qui dicunt, quòd "*Mihr* eſt وفات *obitus*, ſeu *mors*, & گان *Ghân* eſt *Princeps*; quaſi hic "Dies ſic dictus fuerit propter *obitum Principis.*" [Sed nemo novit in quâ linguâ hæ voces hanc ſignificationem habent.] Tandem addit, "Alii volunt quòd *Ardeſhîr Babecân*, hoc Die, primò induit Coro-"nam, in quâ *Mithræ*, ſeu *Solis*, figura inſculpta fuit: quocirca ei

"ſucce-

" ſuccedentes Reges hoc Die Coronam, Solis figurâ inſculptam, in caput
" ſuum & in capita filiorum imponere ſolebant; & fauſtioris ominis
" ergò, oleum *Bân*, ſeu *Glandis unguentariæ*, corporibus inungebant.
" Et quòd hinc, quidam Regum Perſarum filii, hoc Die nati, facti
" fuêre موبدان *Præſules*; & τὴν خوان هفتن ἑπταπάπεζαν (in quâ erant
" *Saccharum, Oryza, Mala Perſica, Granata,* عناب *Syzipha, Uvæ*
" *albæ*, & کنار *Lotus)* ſecum tulerunt; quia Perſæ crediderunt quod
" quicunque, hoc Die, de dictis Fructibus comederet, & corpus ſuum
" oleo *Bân* innungeret, & Roſaquam biberet, per totum illum annum
" plurima infortunia ac mala ab eo averruncanda fore. Hoc die, fauſ-
" tum eſt Infantes ablactare, eiſque Nomen imponere. p. 25." De
Feſto *Mihrgjân* D. *Golius* legit ex *Nuveiri*, *Mos Perſarum eo Feſto erat, ut eorum Reges in benedictionem inungerentur Oleo Bân. Item Rex induebat ſubtilem & variegatam veſtem, ornatus* τῇ *Tâgj*, ſeu *Cidari, ſupra quam erat Solis Imago conſtricta ambiente orbe. Primus verò qui ad illum ingrediebatur, erat* الموبدان Al Mubedân [pro موبد الموبدان Mubed Al Mubedân.] *Magorum Archi-præſul, ferens Paropſidem in quâ Citria, Fruſtum Sacchari, Lota, Cydonia, Syſipha, Poma, Albarum Uvarum botrus, & ſeptem Myrti baccæ, ſuper quibus muſſitabat. Eodem modo deinde accedebat populus ſecundùm dignitatis gradus. Præceperunt autem Ardeſhîr & Anuſhirvân, ut Feſtis Mihrgjân & Naurûz, omnia veſtium & ſtratorum genera, ex Apothecis deprompta, populo juxta ordines ſuos diſtribuerentur. Ferunt enim, Reges hyberno tempore haud fuiſſe uſos veſtibus æſtivis, nec æſtivo hybernis; neque iis morem fuiſſe veſtes in Apothecis aſſervare, nec vulgum in actionibus ſuis imitari.* p. 26. D. *Golius* ex *Nuveiri* Arabe tradit, *Mihr* ſignificare antiquis Perſis *Vindictam & Talionem*; & quòd hoc Feſtum ita dictum volunt, quia *Ferudîn* [lege *Feridûn*] Perſarum Rex, victo *Dahâc* tyranno, Avi ſui *Gjemſhîd* cædem vindicabat. Hoc vult *Ibn Tâhir* Poeta, inquiens, *Significatio ejus eſt, quòd illo Die Perſæ vicerunt, & inde vocatus eſt Juris animæ aſſertor*, ſeu *vindicialis*; ſcil. Dies vindicatæ cædis. At *Mes'ûdi* dicit *Mahr* eſſe nomen cujuſdam regis Perſarum injuſti & exoſi, à cujus morte, tam ille Menſis, quàm Dies ejus XVI dictus fuerit *Mahrgjân*, q. d. *Deceſſit eo die anima Mahr*. Hæc autem non ſunt fide digna. Sed poſt hæc omnia, mihi videtur, quòd non ſit cauſa tot rationes tentandi: nam res plana eſt, quòd ſc. cum *Mihr* ſignificet *Solem*, inſtituta fuerint *Mithriaca* in honorem Solis; ſc. ſecundum *veteres*, in *Januario*, ſeu Solis acceſſu, & ſecundum *recentiores*, in *Septembri*, ſeu

Solis

Solis receſſu, quaſi fuerit Feſtum *Valedictorium* Soli, circa *Tropicum Capricorni* in Autumno.

Inſuper D. *Golius* in Notis ad *Alpherganium* fallitur, vel ſaltem ejus Arabes falluntur de Feſto *Mihragjân*, dicendo id ab Arabibus vocari ليلة الوقود *Nox Accenſionis*, ſeu *accenſi Ignis*, cujus hyperbolicam deſcriptionem affert ex *Ibn Hagjágj* Poetâ. Et Feſti rationem reddit, quòd eo tempore Rex *Kejomáras* filios & filias in matrimonium collocaverit, & eorum nuptias tunc celebraverit: vel aliàs, quòd *Afraſiâb*, Turcarum Rex, qui tunc fuit in Perſide Dominator & Oppreſſor, eo tempore ejectus fuerit. His autem miſſis, dicta *Accenſionis Nox* in *Ph. Gj.* ponitur in menſe *Behman:* ſed reverà pertinet ad menſem *Dey*, ubi videas.

Ex antedictis lucem fœneratur *Euſtathii* locus p. 1834 de Perſarum Rege, ſcil. quænam fuerit ejus ἡμέρα μιὰ *Dies unica*, in quâ ſoli Regi licebat inebriari; Ἐφίεται τῷ βασιλεῖ μεθύσκεσθαι ἡμέρᾳ μιᾷ ἐν ᾗ τῷ Μίθρᾳ ἔθυον, ὅτε καὶ τὸ Περσικὸν ὠρχεῖτο· τῶν δὲ λοιπῶν, ἐδεῖς τηνικαῦτα. Nempe hoc fuit in dicto Feſto *Mihraghân*, quod maxima *Mihræ* Feſtivitas, quam ſuperiore aliquo Capite tetigimus.

VIII. Octavus menſis *(Gjelalæus October*, vetus *Februarius)* eſt *Abân*, qui ſecundum *Indo-Perſas* eſt Angelus Coadjutor τῦ *Churdâd*. Sed ſecundum alios, cenſetur nomen Angeli qui præeſt Ferro, & omnibus rebus Menſis *Abân*, & ejuſdem nominis Diei X, dicto آبان روز *Abân-rûz*, vel آبانگان *Abânaghân*, quem, ut *Naurûz* & *Mihraghân*, pro Feſto celebrant, eò quòd زو *Zav* Rex τῆς *Irân*, deſinens bellum facere cum *Afraſiâb*, eum è regno ſuo, hoc Die, ejecit: & quia, poſt V aut VII annos Famis, hoc Die plueret. † In eo bonum eſt neceſſitates noſtras à Deo & Principibus ac Magnatibus petere, & Arma parare. Sunt qui volunt Deum, die *Abânaghân*, condidiſſe Terram & Flumina, &c.

Apud vetuſtiſſimos Perſas, *Abân* fuit Menſis XII, ſeu totius Anni ultimus: ideóque Appendicum Feſtum, etiam uſque hodiè, à Perſarum Magis in fine hujus Menſis celebratur; quod eſt antiqui Menſium ordinis indicium certiſſimum, quòd *Circularis Emboliſmi* magna Periodus abſolveretur initio regni *Yezdegherd*, tunc quando intercalandi vices ad hunc menſem perveniſſent. Hoc autem Appendicum Feſtum durabat per X Dies; ſcil. à viceſimo ſexto hujus Menſis Die ad finem V Appendicum: ideóque Libri *Mu'gj.* autor narrat, quòd

† v. ſuprà in *Tîr*.

Menſis

Menſis *Abân* XXVI & ſequentibus Diebus Magi ſolebant Pulmenta & alios cibos parare, quos in ſummis Turrium tectis ponentes relinquebant, ut ارواح بزرگان *Magnatum* ſeu *Heroum Spiritus*, ſive *Genii*, illuc venientes, eorundem nidoribus oblectarentur & reficerentur. Hocce itaque Appendicum Feſtum *decendiale* (annum terminans) excepit alia Novi anni Feſtivitas in primo *Adur*: adeò ut hoc totum tempus, per XI Dies durans, feſtivale fuerit.

IX. Nonus Menſis *Gjelalæus November* (vetus *Martius*,) eſt آذر *Azer*, ſeu *Ader*, ut ſæpè vulgus ſonat: à peritioribus autem ſonatur *Azur*, ſeu *Adur*. Ab *Indo-Perſis* ponitur tantùm Coadjutor ترذ *Erdibebiſht*. Sed ſecundum alios doctiores, eſt nomen Angeli qui præficitur Soli & Igni & Focis, (ut *Ardibebiſht*,) & omnibus rebus hujus menſis & diei ejus IX, qui eſt Magorum Feſtum magnum dictum آذر روز *Azur-rûz* & آذرگان *Azuraghân*, quo die, feſtivos Ignes accendunt, & Pyréa benè fricando mundant, atque quantum poſſunt exornant: quia *Zerduſht* præcepit ut hoc die præ cæteris Pyréa viſitent & تورادها کنند *Turânas faciant*. Dictus dies nonus aliquando vocatur آذرخش *Azurchùſh*, ſeu rectiùs *Azuràchſh*, contractè pro آذر رخش *Azur-rachſh*, i. e. *Ignis ſplendor*, intelligitur ſc. *Fulgur*. Eo autem nomine vocatur iſte dies, quia omnia circumquaque Ignibus feſtivalibus fulgent, & tota vicinia ſplendet, quaſi coruſcationibus fulgureis illuminaretur. Hoc die, fauſtum eſt ungues præſcindere & crines radere. Per præſciſſionem unguium & abraſionem crinium apto die & fauſto tempore, innuunt abjectionem ſordium peccati, quæ per excrementitia iſta ſignificantur.

Et quidem ad Menſem *Adur*, in *ordine antiquo*, referenda ſunt Inſtituta & Præcepta omnia à *Zerduſhto* profecta & ad Menſem *Adur* quoviſmodo ſpectantia: alias enim allocabuntur ad Anni tempus à primo eorundem inſtituto prorſus diverſum. Quod idem dicendum de reliquis Feſtis & Ritibus *antiquis* in aliis menſibus. Et hoc voluiſſe videtur *Pharhangh Gihânghîri* autor, (quem nos ſequimur,) qui prætendit ſequi antiquiſſimum ordinem, ſed reverà ſequitur recentiorem ordinem *Gjelalæum*. Ego quidem nolui mutare, ne loco rei antiquæ, rem ex proprio ingenio confictam tradidiſſe viderer. Id autem monendum duxi, ut Lector totam rem æſtimare & expendere poſſit, & ſuo judicio uti valeat. Ideóque ad Menſem *Adur*, ſeu *Martium* in Epochâ antiquiſſimâ, referenda eſt Arabicè dicta رکوب کوسج *Rukûbi Kûſagj*, ſeu *Equitatio imberbis*, quæ erat Ludus publicus menſis *Adur*

die

die primo, vel ſecundum *Mugj.* viceſimo primo, celebrari ſolitus. D. *Golius* in Notis ad *Alpherganium*, Arabum more, ſonat *Keuſagj*, non ſatis rectè; cùm ſit vox *Perſica*, cujus nec ſonum nec ſenſum ſciunt *Arabes*. *Keuſagj* in *Camûſo* exponitur ناقص الاسنان *Edentulus*, quam ſignificationem Perſæ non agnoſcunt. Eſt enim vox *Arabizata*, ſeu in formam Arabicam redacta, ex Perſico کوسه *Cûſa*, quæ apud Perſarum Lexicographos exponitur آز سقلي *parum barbatus*, ſcilicet vel *imberbis*, vel *rariori barbâ præditus*, uti ſunt *Chinenſes* & *Tatari*. Quòd iſte Ritus celebrari ſolebat initio Veris, teſtatur *Abulpheda* his verbis, ركوب كوسج في اول فصل الربيع *Equitatio τῦ Keuſagj erat in initio Quadrantis verni*.

Ritum verò ipſum ex *Meſ'ûdi* ſic narrat D. *Golius* in Notis ad *Alpherganium*; *Exibat illo die Kéuſagj*, ſeu *Edentulus* [meliùs *Kûſagj*, ſeu *imberbis*] *mulo inſidens in regione Irâk, ſeu Babyloniâ, atque in Perſide. Eique per aliquot dies edenda offerebantur Nuces & Allium & Caro pinguis, quique hæc excederent cibi & potus calidiores frigori arcendo idonei. Et cùm ipſe frigus depellere videbatur, affundebatur in illum frigida; unde tamen ſe moleſti aliquid ſentire diſſimulans, exclamabat idiomate Perſico Ghermâ, Ghermâ*, i. e. *Calor, Calor! Hoc autem tempus Perſis erat Feſtum quo exultabant ipſi, atque hilaritatem commonſtrabant*. Scilicet hæc feſtivitas videtur inſtituta propter finitam Hyemem, abeuntem, vel brevi abituram, hoc Symbolo hominis Frigus abigentis & Calorem jam ſentientis expreſſam, unde à populo gaviſum. Ad hoc autem eligebant aliquem homuncionem, tam actionibus, quàm aſpectu ridiculum, qui populo riſum moveret.

Dictus Ritus à Perſis vocatur کوسه بر نشین *Cûſa ber-niſhîn*, i. e. *Imberbis inſidens*, ſeu *inequitans*, & in Libro *Ph. Gj.* paulò fuſiùs narratur, ſequente modo: *In novilunio hujus menſis, ſeu primo ejus die, eſt Magorum Feſtivitas dicta* Cuſa ber-niſhîn, *quo die, talem* کوسه مضحکي *Imberbem ridiculum* (ſeu *ridiculoſum agentem) equo imponentes, ei offerunt cibos calidos, & medicamenta calida ejus corpori inungunt: vel ille ſponte hæc facit. Iſte homo ridiculoſus in manu habet Flabellum quo ſe ventilat, de calore conquerens, dum alii homines eum glacie & nive impetunt. Ille autem Magnatum fores adiens, ab ipſis aliquid petit: quod ſi non dent, tum ſtatim atramento & cæno & offuſcantibus, quæ ſecum habet, eorum veſtes inquinat*. Referentibus aliis, *Ex ollâ argillaceâ, quam ſecum habet, (in quâ eſt Rubrica Sinopica aquâ macerata,) negantium veſtes commaculat & inquinat*. Ab aliis dicta *Imberbis Equi-*

tatio ſic narratur: *Illo die, hominem quendam Cûſa*, ſeu *rariori barba, præditum (qui & monoculus eſſe debet,) nudum faciunt equitare ſuper Aſinum. Iſte alterâ manu Corvum, alterâ verò Flabellum tenet, quo ſe ventilat. Et omnes famuli Regis ſeu Gubernatoris civitatis (nam in urbibus fieri ſolet,) juxta equitantes, eum concomitant, & per plateas urbis circumducunt; dum ipſe à quavis officina Nummulum petit accipitque. Quòd ſi per unum momentum ibi expectaret, omnia ex tali Officina tanquam prædam diriperent: ideóque quando Cûſa appropinquat, priùs quàm accedat, talem Nummulum porrigunt. Hodie autem* [inquit Autor, qui ante CC annos tunc vixerat,] *ex his Nummis, quotquot accipiunt à ſummo mane uſque ad preces primas, pertinent ad dictum Regem, ſeu Gubernatorem: & quotquot inde ad Preces ſecundas accipit, pertinent ad ipſum Cûſa; qui ſc. catervam concomitantem, quæ cum eo erat, deſerit, aufugitque uſque ad tempus Precis ſecundæ.* [Hoc ſc. fit cùm inter *Mohammedanos* ſunt, qui talia precandi tempora obſervant.] *Quòd ſi poſt illud tempus eum inveniunt, benè verberant* جناندكه دلخواهي ايشان بودى *quamdiu volunt. Eodem modo, hoc tempore* [ſc. tempore Autoris,] *quibuſdam Civitatibus collocant ſeu conſtituunt Principem Nauruzium* [ſic enim pro دور روميي lego نوروزي] *& gaudium agunt. Hocque ideò faciunt, quia illud tempus (quod eſt initium Azur*, ſeu *Martis) concurrit cum Solis ingreſſu in Arietem: illo enim die hilaritatem commonſtrant & lætitiam agunt propter finitam hyemem.* Hactenus ille. Inquit *Ph. Gj. Ajunt quòd hoc die Gjemſhîd primus è mari eduxit margaritas: & in eo, Deus cuique, vel miſeriam, vel felicitatem, decernit. Et quicunque hoc die, antequam verbum protulerit, Malum Perſicum comedit, aut Citrium olfacit, toto illo anno fauſtus erit.*

Hinc conſtat de antiquiſſimo Menſium ordine, & quòd hæc Feſtivitas collocata & celebrata fuit primo Die *Azur* antiquorum, ſeu *Martii*, non *Azur* recentiorum, qui *November*. Sunt ex orientalibus qui credunt dictam *Equitationem* eſſe innovationem, nec à *Zerduſht* inſtitutam. Sed ex dicti autoris ſententiâ falluntur. Et (quod ſuprà monuimus,) idem dicendum eſt de aliis quibuſdam Feſtivitatibus & Obſervationibus quæ in his Menſibus occurrunt; quòd ſcil. accipiendæ ſunt quaſi in *Epocha antiquiſſima*, ubi *Azur* erat *Martius*, Menſium primus, & *Abân* ultimus. Quia verò *Magi*, hodie ſub *Mohammedanis* viventes, publicè utuntur Menſium ordine *Gjelalæo*, (niſi fortè privatim inter ſe veteres Ritus obſervare libeat,) Libri *Ph. Gj.* autor eodem ordine incipit à *Phervardîn*, ſeu *Martio* recentiorum, & reliquos

Menſes

Menſes ſecundum Signorum ordinem proſequitur: ego etiam illum imitatus, hoc idem feci. Nam quamvis plerique horum dictorum Rituum intelligendi ſint de alio antiquiore Menſium ordine, quia tamen aliqui Ritus recentiores ab illo cum his commixta ſunt, nec novi hos ab illis diſtinguere, ideò, inquam, dicti Autoris, in digerendis Menſibus & Feſtis, methodum ſecutus ſum, nec ab eâ receſſi. Cuique interim liberum erit de Rituum antiquitate aut novitate judicare, eoſque, vel antiquiori, vel recentiori Menſium ordini adſcribere, integrum. Et ſupradictum Menſium *Ordinem Gjelalæum* quoque ſecutus eſt Libri *Mugjizât* autor Perſa talia tractans: adeò ut non haberem qui me in antiquo ordine deduceret, aut inter recentiora ac antiquiora diſtingueret.

Priuſquam verò hunc Menſem relinquam, notandum eſt, quòd hic menſis (ut prope initium hujus operis explicavimus,) ſic dictus fuit ab *Igne:* & propter honorem *Azur*, ſeu *Ignis*, multæ hinc ſumptæ ſunt rerum & locorum denominationes, quarum aliquas heic recenſebo. Imprimis itaque ab hoc nomine *Azur* denominatum fuit آذرآباد *Azur-abâd*, i. e. *Ignis manſio*, celeberrimum Pyréum in urbe *Tabrîz*, (ut ſupra tetigimus;) quin & ipſa Urbs eodem nomine vocata fuit. Et deinde tota eadem regio (quæ *Ptolemæo* Ἀδιαβήνη, & *Procopio* τὰ Ἀρδαβιγάνα,) Perſis dicta eſt in plurali آذرآبادگان *Azur-abâdaghân*, i. e. *Ignis manſiones*, idque, quia *Zerduſht* ultimo Menſis die *Anirân* illuc concedens, ibique primò Pyréa extruens & Ignis cuſtodiam ibidem inſtituens, id nominis dedit eidem regioni, anteà fortè dictæ لر *Lùr*, quod nomen etiam unà cum altero huc uſque durat. In Libro *Ph. Gj.* in voce خرد بسوز legitur,

ارآنجا بتقديم آرادگان *Illinc conductu Nobiliorum*
درآمد سوي آذرآبادگان *Ingreſſus eſt in Azurabâdaghân.*

Pro خرد بسوز, apud alios legitur خود بسوز *Chûd-buſûz*, de quo ſupra. Supradictum nomen aliàs ſcribitur آذربادگان *Azurbâdaghân* & آذربايگان *Azurbayaghân*, & آذربايجان *Azurbâyagjân*, ut ſuprà notavimus. A nomine *Azur* denominatum eſt veterum Perſarum Inſtrumentum, hodie nobis dictum *Æolopyla*, Perſicè آذر افروز *Azur-aphrûz*, ſeu آتش افروز *Atèſh-aphrûz*, i. e. *Ignem accendens*; & aliàs vocatur آذر افزا *Azur-aphzâ*, ſeu *Azur-phizâ*, i. e. *Ignem augens*. Ab *Azur* eſt quoque آذرشاپ *Azur-ſhàp*, ſeu *Azuraſhp*, vel آذرشسپ

vel آذرگشپ *Azurghuſhàp*, ſeu آذرگشسپ *Azurghuſhàſp*, quibus nominibus inſignitur Angelus ferociſſimus & truculentiſſimus, qui præficitur cuſtodiæ Ignis, in cujus medio ſemper degit. Secundò, hiſce nominibus vocatur inſigne Pyréum in urbe *Balch*, ſeu *Bactris*, à Guſhtaſpe extructum, qui ibi recondidit omnes ſuos Theſauros qui durârunt uſque *Alexandrum Bicornem*, qui ſuo tempore illud Pyréum devaſtavit, & omnes ibi repoſitos Theſauros abſtulit. Tertiò, his nominibus ſignificatur *Fulgur:* nempe *Azurguſhàſp* & *Azur-guſhtàſp* exponitur i. q. آذر جهنده *Azur-gjehánda*, i. e. *Ignis Saliens & ſubſultans*, uti alibi notatum eſt, ubi de Rege *Guſhtaſpe* agimus. Porrò, ab *Azur* denominatus eſt آذرکیش *Azur-kîſh*, i. e. *Igneæ-Religionis* homo, i. q. *Ateſh-perèſt*, vulgò *Ignicola*. Et ab eodem eſt آذرگون *Azurghûn*, ſeu ſecundum *Ph. Gj.* آذریون *Azuryûn*, i. e. *Ignicolor* flos, ſc. *Anemone* foliis rubris & medio nigro: ſecundum alios eſt *Giraſole*, ſed minùs appoſitè. Atque آذر همایون *Azur-Homâyûn*, i. e. *Ignis fauſtus*, ſeu *benedictus*, fuit nomen famoſæ Sagæ ex familiâ ταξ *Sâm* patris ταξ *Zâl*.

X. Decimus in Anno *Gjelalæo* Menſis correſpondens *Decembri*, in Anno veteri *Aprili*, eſt *Dey*, ſeu *Dî*, ex nominibus *Dei*, ſc. ex Διός. Cenſetur quoque nomen Angeli qui præeſt omnibus rebus & negotiis, tam hujus Menſis, quàm omnium Dierum, ab eodem nomine incipientibus, uti ſunt *Dey cum Adur*, *Dey cum Mihr*, *Dey cum Dîn*. Hic Menſis, in veterum Epochâ reſpondens *Aprili*, aliquando vocabatur خرم *Chórrem*, i. e. *Hilaris*, quo etiam nomine gaudet VIII ejus Dies *Dey cum Adur*, item dictus خرم روز *Chórrem-rûz*, ut diſtinguatur à Menſe. *Ph. Gj.* autor tradit, quòd *Hoc die* (unde apparet nominis ratio) *veterum Perſarum Reges, à Throno deſcendentes, & veſte alba induti, ſuper albis equis equitantes, & omne Velamen ſeponentes, tam Nobilitati quàm plebi onera imponebant, & de Subditorum rebus occupati erant: & Agricolæ ac Ruſtici unà cum Rege in eadem menſa conſidebant, & abſque alicujus mediatione petitiones ſuas Regi offerebant: & Rex hujuſmodi confabulatione cum eis utebatur, Ego ſum unus è vobis, & noſtra ſubſiſtentia eſt per ſationem & ædificationem quæ à vobis ſunt: & nos ſine vobis eſſe non poſſumus, uti nec vos abſque nobis: & nos & vos ſicut duo Fratres concordes ſumus.* Sic *Ph. Gj.* At in Libro *Mu'gj.* paulò aliter; *Menſis Dey aliàs vocatur* خرم ماه *Chórrem-mâh*, i. e. *Hilaris Menſis, & ejus Dies primus* خرم روز *Chórrem-rûz*, i. e. *Hilaris Dies, in quo Rex è Solio deſcendens,*

dens, albis veſtibus indutus, ſuper albo ſtragulo ſedebat: & velum removens, circa negotia Subditorum occupari ſolebat. Et tunc, quicunque volebat, tam ex magnatibus quàm ex infimatibus, ſolebat cum Rege colloqui: & Agricolæ atque Coloni unà cum Rege ad eandem Menſam aſſidebant. Et tunc Rex ſolebat dicere, Ego ſum etiam ſicut unus è vobis, & continuatio ac perpetuitas Mundi eſt per ædificationem & ſationem: adeò ut Nos & Vos debeamus eſſe ſicut fratres ſemper concordes. Sic ille. In Notis ad Alpherganium D. *Golius* ex *Cazvinio* fallitur in hoc loco p. 37, pro خرم *Chórrem* legendo حزم *Hizm.*

In Libro *Mu'gj.* hujus Menſis XXIV Dies vocatur عيد سير خور *Feſtum comedendi allium:* eo enim Die comedebant Allium, & carnem cum herbis coquebant; dicentes in hoc eſſe tutamen contra noxam Dæmonum: & in eo Die parabant medicamenta contra loca Dæmonibus infeſtata. Hujus Menſis Die XIII (qui eſt *Dey cum Mihr,*) conficiebant ex عجين *paſta,* aut گل *luto,* Imagines, eáſque in Compitis collocantes, eis omnia ſervitia præſtabant ſicut Regibus fieri ſolebat: & deinde eaſdem comburebant. Hoc die fuit فطام *Ablactatio* Regis *Phridûn,* in quo etiam Tauro inſidebat. Ajunt quòd quicunque mane hujus diei comedit شبث *Anethum* [lege سيب *Pomum,*] & olfacit Narciſſum, toto illo anno benè ſe habebit, & quietus erit: & fumigando, ſeu incenſando سوسن *Iridem,* [ſc. radicem ejus,] per totum illum annum tutus erit à fame, ſeu cariſtiâ, & paupertate. Hactenus *Mu'gj.* Alia ſuperſtitioſa his ſimilia leguntur in die *Deybamihr,* & in *Ghûſh,* ubi videas.

In hoc Loco deſcribemus nocturnum Feſtum *Solſtitii brumalis,* in quo breviſſimus Dies & totius Anni longiſſima Nox (quæ *Nox accenſionis* vocatur,) reputatur eſſe XI Menſis *Dey,* ſeu *Decembris:* quamvis per aliquot Dies ante & poſt XI, nulla ſit ſenſibilis differentia, quin ut dictum Solſtitium per plures dies durare cenſeatur. Hocque Feſtum, cum Anno *Gjelalæo* quadrans, non debet cenſeri inter Feſta vetera à *Zerduſht* inſtituta: nam ſi ita, tum proculdubio concordâſſet cum Anno veteri. Et quidem de hujus Feſti loco ſeu ſitu, in cujuſnam diei Nocte, aut quo Menſe ſit, inter orientales non convenit, ſed planè diſcordatur: quod non eſt mirum, cùm recentiores, quos vidi, Perſici autores veram hujus Inſtituti rationem ignorare videantur.

Ibn Hagjagi Arabs (ut ſuprà notatum) perperam hoc Feſtum confundit cum *Mihraghân.* In Libro *Ph. Gj.* ponitur *Nox X diei*

Menſis

Menſis Behman, qui *Januario* reſpondet in Anno Gjelalæo: D. *Golius* ad *Alpherganium* perperam ponit in XVI Nychthemero Menſis *Bahman,* cui etiam Perſæ dictam noctem inſerunt. In Libro *Mu'gj.* p. 46, collocatur in Menſe *Abân,* ſeu *Octobri* Gjelalæo. Rectiùs autem habent quædam Calendaria mox citanda. Variis etiam nominibus gaudet, ut *Sadà,* & *Sadàk,* &c. de quibus ſuo ordine dicetur.

Dictum itaque Feſtum ejuſque Nox Perſicè vocatur سذا & شب سذه *Sadà,* ſeu *Sazà,* aut *Shabi ſadà, Nox ſadá:* unde *Arabizatum* fit ليله سذق *nox Sadak,* quibus ſignificatur *Nox Incendii,* ſeu *Rogorum:* unde & *Arabicè* vocatur ليله الوقود *Nox Incendii,* ſeu *incenſi Ignis.* Aliquando *Perſicè* ſcribitur ساده *Sâda,* & *Turcicè* سايه *Sâya,* unde vocatur شب سايه *Shàbi ſâya,* ſeu سايه كچه سي *ſâya ghitcha-ſi,* i. e. *Nox* τῆς *Sâya,* ſeu *Accenſionis.* Subinde vocatur *Yeldâ,* ſeu شب يلدا *Shabi Yeldâ, Nox Rogi,* ſeu *Rogorum,* quæ apud *Chalîl Sûphi* Turcicè exponitur يلدا صوك كوز آخر آيينك كچه سي *Yeldâ eſt ultimi Menſis autumnalis Nox poſtrema,* ſc. ultima Nox *Novembris.* In Calendario *Gjelalæo,* Conſtantinopoli conſcripto, شب يلدا *Nox Yeldâ* ponitur incipiens primo die Menſis *Dey,* ſeu *Decembris,* & definens undecimâ Nocte ejuſdem Menſis. In Calendario Syrorum *Nox Yeldâ* ponitur in XII Decembris tantùm.

De ratione nominis *Sadà* multùm, & quidem fruſtrà, laborant Perſæ aliique: & cur ut Feſtum celebretur, rationes reddunt prorſus ineptas. *Shah Cholgji* ſatagit derivare nomen *Sadà* à سد *Sàd,* i. e. *Centum,* quia tunc de hyeme elapſi ſunt C dies, ſi nempe hyemem inchoant ab initio Menſis *Abân,* & πῆν پنجه *Pengja* ſeu *Pentadem* Appendicum in iſtam cenſum non admittunt. Deinde aliam nominis rationem affert; quia ſcil. ab iſto die *Adami* & *Evæ* liberi mares & fœmellæ in *centenarium* numerum excreverunt. Alii volunt hoc Feſtum inſtitutum fuiſſe à Protoparente *Kejomáras,* quia is tunc C liberos, mares & fœmellas, natos habuit; eiſque præcepit, ut cùm ad annos maturitatis perveniſſent & patres ac matres familiarum eſſent, tot Ignes, ſuî numerum indicantes, eâ nocte accenderent: additque autor, Scriptum eſſe per *Sîn,* quia *Sâd* in linguam Perſicam non venit. Quod verum eſt de veteri linguâ Perſicâ. *Ibn Hagjâgj* Arabs dicit quòd *Kejomáras* illo tempore filios & filias matrimonio collocavit & nuptias tunc celebravit: vel

aliàs

aliàs; quòd eo die *Aphraſiyâb* Scytha, qui in Perſide erat Dominator & Oppreſſor, tunc ejectus fuit. Ex *Ph. Gj.* ſunt qui referunt Regem *Hûſhangh*, filium *Siyâmek*, hoc Feſtum inſtituiſſe. Narrant enim illum dicto die ſeceſſiſſe in quendam montem, ubi ſubitò ei apparuit Draco ſerpens: quocirca, ſumpto lapide, eum in Draconem vibravit: aberrando autem, dictus lapis, in alium lapidem aliſus, Ignem excuſſit. Cùm verò dictus Ignis mox diſpareret, *Hûſhangh* propter Ignis apparitionem gaviſus eſt; & reputans illum Ignem fuiſſe Divinum & Lumen cœleſte, Deo Opt. Maximo gratias egit. Vel, ut alii narrant, Ignis dicto modo excitatus & accenſus, ſiccas herbas & arbores circumcirca conſumpſit, quarum incendio Draco quoque periit. Quapropter læti Incolæ ſumpſerunt omen de hoc Igne, & veluti triumphales Ignes ubique extruxerunt, quod etiam quotannis poſteà continuatum. Alia nominis ratio redditur, quia ab hoc die ad diem *Naurûz* ſint L dies & L noctes, quæ junctim faciunt numerum *Centenarium*, ſecundum vim vocis: ideóque nominârunt *Sada*, ſeu *Centenarium*, quod *Arabizatum* ſcribitur *Sadàk*. Hoc autem fit nocturno tempore: unde non tam dies quàm nox ut Feſtum celebrari ſolet. Sic ille. In Libro *Mu'gj.* p. 46, Hoc dictum عيد سذه *Feſtum Sadà* videtur collocari in τῇ δεκάτῃ die Menſis *Abân*, ſeu *Octobris*, quod dicit fuiſſe ex inſtitutione Regis *Ardeſhîr* filii *Babek*, quia سد *Sad* (i. e. صد) *Ssad centum Dies* anni tunc reſtabant. Alii dicunt Hyemem hoc die ex Inferno in Mundum veniſſe. Hac quidem nocte, ubique feſtivales ignes accendunt, & Reges ac Principes accipientes Aves & alia animalia, & eorum pedibus alligantes herbas aridas, eas igne accendunt & ignitas reddunt, & ſic flammantes dimittunt, ut volent & currant per campos & montes, & hoc modo omnia accendant. Alius quidam Perſa refert, quòd Ignes feſtivales ac geniales hac die & nocte accendebant, & omnis generis cibos apparabant, & quòd (ut dictum) Reges ipſi ſolebant Feras ac Volucres capere, & earum pedibus ſiccarum herbarum faſciculos alligantes, eoſdem incendebant, & deinde in aërem & per campos dimittebant nocturno tempore, & hoc modo flammæ Ignis efficiebantur, ita ut totus aër totáque terra accenſa videretur, & tota regio appareret inflammata; cùm dicta animalia per aërem volando, & per campeſtria ac montes diſcurſitando, ſiccatas herbas (ut eſt in oriente,) & aridum fœnum ubique per totam regionem accenderent.

Miſſis

Missis autem ineptis hisce rationibus, vera ac primaria hujus Noctis celebrandæ causa fuit, quia ea erat totius Anni *Nox longissima*, hyeme eâ nocte quodammodo desinente, cùm exinde *dies* inciperent esse *longiores*, & *noctes breviores*. Ideóque, brumâ jam abiturâ, læti Ignes festivales accendebant, tenebricosissimam & longissimam totius Anni noctem hoc modo illustrare & pellere satagentes: eâ enim nocte, vel prope eam, Sol perveniebat ad *Tropicum Capricorni*.

Eodem fundamento niti videtur Consuetudo in *Anglia*, speciatim in *Comitatu Salopiæ*, ut haud procul ab antedicto tempore, scil. nocte diei *Epiphaniæ*, (twelf-night,) Ignes festivales accendantur in summitatibus collium & aliis locis editioribus, in gaudium propter elapsam sævitiem hyemis & spem appropinquantis Veris.

XI. Undecimus Mensis *Gjelalæus Januarius*, veterum *Majus*, est *Bahman*, seu *Behman*, sive *Behmen*[a]; apud *Gilolenses* sonat *Bhaman*. Sed secundum vim vocis (ut exponitur) deberet legi *Bihman*, sc. *bonis moribus*, seu *bonâ naturâ* præditus. Ab hac significatione factum est, ut hoc nomine aliquando notetur *Sacerdos*, quippe qui *Bonitate* & *optimis moribus* præditus censeatur. Iste reputatur Angelorum maximus, cui alii aliquot Angeli famulantur: & præest omnibus Creaturis præterquam homini, cujus curam Deus sibi soli reservavit. Iste est Angelus *Veriloquus Justificus*, qui sedat iram & compescit rixas. Et quamvis habeat generalem præfecturam in Animalia, peculiariter præest Ovibus & Bobus & reliquis Quadrupedibus, & omnibus rebus hujus Mensis & ejusdem Diei II, qui vocatur بهمن روز *Behman-rûz*, seu بهمنجه *Behmàntcha*, in quo celebratur Festum ubi Fruges & Carnes elixant, *Behman* tam rubrum quàm album inspergentes in coctura; & præterea utrumque *Behman* cum herbis & *Saccharo-Kandi* رامیانه *contusum* comedunt; & *Behman* album contundentes cum lacte ebibunt, putantes hoc fortificare memoriam. Hic dies faustus est ad exquirendas & effodiendas radices & herbas medicinales è montibus & vallibus: & in eo bonum est extrahere olea, & conficere suffimenta eáque parare: Et quicquid fit, hoc die erit efficatius. Et eodem die faustum est novas vestes scindere eásque induere, ungues præscindere, crines radere, & ædificia extruere.

In Libro *Ph. Gj.* in hujus X die ponitur *Nox Accensionis*: quæ tamen potiùs pertinet ad X diem Mensis *Dey*, seu *Decembris*; ideóque illuc rejecimus, ubi videas.

a Vid. Append. No. VIII.

De

De Festo *Abrîzaghân* superiùs dictum est in Mense *Tîr*. At Libri *Mu'gj*. autor ait illud in *Ispahân* celebrari solere in Mensis *Behman* XXX die *Anirân*. Et (illo dicente) hujus Festi causa fuit, quia Rex *Phirûz* (qui Avus τȣ̃ *Nushirravân*,) in diebus suis fame coarctatus fuit: unde *Phirûz* instituit Tributum, quod ex Reditibus Pyreorum defalcabat, idque Subditis suis distribuebat, ita ut nemo fame periret. Deinde Deum precatus, inter precandum, ambas manus elevans dixit, *Hæc fames est propter pravitatem morum: id itaque manifestato, & incolis Mundi pluviam mittito.* Et profectò, vix citiùs è Pyréo egressus est, quin ascendit nubes quæ pluviam effudit, adeò ut simile quid eo seculo visum non fuerat. Unde eâdem die [quovis anno] homines in se invicem aquas jacere solebant propter summam lætitiam: quod quidem ab eo tempore pro consuetudine receptum est. Sic ille.

XII. Duodecimus Mensis, *Gjelalæus Februarius*, veterum *Junius*, est سپندارمذ *Spendârmaz*, seu اسفندارمذ *Isphendârmaz*; quod vulgò sonat *Spendârmoz* & *Isphendârmoz*. Hoc nomen dicitur significare *Terram*, & Angelum cui Terræ cura commissa est, & qui eam à pollutione conservat: & (secundum *Indo-Persas*,) ei famulari dicuntur *Dîn* & *Arshásangh*. *Cazvinius* dicit *Isphendârmaz esse Terræ spiritum qui favet fœminis bonis castisque, hocque ex instituto veterum:* adeóque quintus ejus dies Viris Fœminisque sacer, contrahendis matrimoniis & fœderibus pangendis auspicatus. Prætereà *Isphendârmaz* est Angelus qui (ut alii aliqui præcedentes Angeli) censetur præesse Arboribus & Sylvis, & omnibus rebus hujus Mensis, præsertim quinto ejus Die gestis, aut gerundis: qui quidem V Dies (quia coincidit cum nomine Mensis) est Festum: quo etiam Die bonum est Arbores plantare, & novas vestes induere, & medicamenta sumere. Hoc Die fugiens تزاد *Tezâd*, incidit in manus τȣ̃ پیژن *Pîzhen*.

Hoc toto Die V, à Solis ortu ad occasum, ad expellendum Scorpiones & noxia animalcula, solebant scribere رقعهٔ گژدم *Schedulas* (Spels) *contra Scorpiones:* unde & hic Dies *Arabicè* vocatur كسفة الرقاع *Kisphato'l Rikâ*, i. e. *scissio Schedularum*, seu *segmenta Schedularum*. Ex istiusmodi Schedulis solebant tres agglutinare tribus parietibus cujusque Domûs, omisso illo pariete qui in anteriori Domûs parte. Alii اصحاب نیرنجات *Miraculorum editores*, (qui etiam *Persæ*,) referente *Shah Cholgjio*, dicunt, quòd hoc Die *Aphridûn* طلسمات فرمودی *Telesmata instituit*, quibus animalium venena restrinxit.

Et unus ex Magnatibus dicit, ſe audiviſſe ex relatione ابو علي مسكويه *Abu-Ali Meſcûyæ* qui dixit, *Mihi quidem à magnis Doctoribus confirmatum eſt, quòd iſta Schedularum ſcriptio, quæ hoc Die fiebat, erat Teleſma quod ad hoc ipſum opus fecit Aphridûn*, (ſc. contra venenum ſcorpiorum:) *cujus rei indicium eſt, quia* ذازيان *Arabes ejuſmodi Schedulis inſcribunt* سلام علي نوح في العالمين *Pax ſit ſuper Noah inter Creaturas:* nam ſunt quibus *Aphridûn* vocatur *Noah.* Sic ille. Alii hoc referunt ad hiſtoriam quæ accidit *Noæ* in *Arca*, ubi à venenatis beſtiis ablata eſt lædendi facultas durante tempore quo eſſent in Arcâ: eáſque poſteà conqueſtas fuiſſe ſe eſſe defenſione deſtitutas, niſi Deus eis lædendi facultatem reſtituere vellet: quod itaque fecit Deus, & conceſſit, ſub eâ conditione, ut neminem læderent qui precaretur *Pacem Noæ inter Creaturas.* Hactenus ille. Et quidem hujuſmodi ſunt *Sabaitæ.* Iſtas *Chartaceas Schedulas*, verbis incantatoriis inſcriptas, aptis temporibus, recitant tam Mohammedani quàm alii, quod in *Ph. Gj.* dicitur زبور مىخوانند *Scripta recitant*, ut ex vi verborum tollantur ſerpentes & alia noxia animalcula. Libri *Mu'gj.* autor ait iſtam نوشتن رقعة كژدم *Schedularum contra Scorpiones Scriptionem* non eſſe ex *veteribus Perſarum Ritibus*, ſed potiùs rem quandam à vulgo innovatam. Liber *Ph. Gj.* Scorpionum Averruncationem ponit in Menſe *Murdâd*, qui in Anno *Gjelalæo* eſt *Julius*, quo ſcorpiones maximè ſcatent, uti etiam in præcedente Menſe *Junio.* Si autem fuit inſtitutum recentiorum, tum dicendum eſt, eos per præcautionem & maturam Averruncationem pro veniente æſtate id feciſſe in *Februario.*

In Libro *Ph. Gj.* dicitur, quòd, quinque ultimis hujus Menſis Diebus, quotannis celebratur *Magorum* Feſtum dictum مرد گيران *Mardghirân*, i. e. *Viricipes*, ſeu *Viri Capturæ* Dies: alii reſtringunt ſoli Diei V. Hoc (inquit) tempore, fœminæ à veris petunt quicquid volunt, idque accipiunt, & viris planè dominantur. Perſæ enim affirmant quòd, antiquis temporibus, iſtum Diem vocabant *Mardghirân*, quia in eo mulieres in maritos dominari ſolebant, eóſque deſideriis ſuis obſequentes reddebant. In Libro *Mu'gj.* dicitur, quòd hoc Die fœminæ capiunt juvenes, ſcilicet (ut ibi exponitur,) ſeligunt ſibi viros. Sic ille. Et quidem hoc videtur ſimile quid *Europæorum* praxi, quando ineunte Vere (præſertim XIV *Februarii*, qui *Valentini* Dies audit,) naturæ ductu omnes ſibi ſortiuntur pares, ad inſtar Avium & reli-

reliquorum Animalium, quæ tunc, incaleſcente anno, erga ſe invicem incaleſcunt, & copulari atque conjugari geſtiunt.

In Libro *Mu'gj.* legitur, quòd hujus Menſis Dies *Phervardîn*, ſeu XIX, vocatur *Naurûz*, q.d. *Dies celebris*, ſcil. نوروز اذهار ومياه جاري *Naurûz fluminum & aquarum currentium*, in quo, Aquam roſaceam in eas infundunt, & Aromata injiciunt. Hoc eſt ex Ritibus faciendi ſacras Cæremonias aquis, de quâ re videas quæ ſuprà ex *Strabone* notavimus: nam ut ſæpe faciunt Epulas Igni, ſic aliquando Epulas faciunt Aquis, quas etiam ſacras æſtimant.

Cap. XX.

Explicatio reliquorum Angelorum, & Dierum Menſis, qui in præcedentibus omittebantur. De Gabriele & Michaele & de Regionum Angelis.

I. PRimus Menſis *Dies* vocatur اورمز *Ormùz*, ſeu اورمزد *Ormùzd*, & هرمز *Hormùz*, ſeu هرمزد *Hormùzd*, quod eſt ex nominibus Dei. Eſt quoque i.q. برجيس *Bergjîs*, i.e. *Jupiter*, ſeu *Stella Jovis*. At in hoc loco (inquiunt Perſæ) intelligitur Deus Omnipotens & Æternus ex ſeipſo procedens, ex ſui ipſius Luce & Gloriâ ortus, qui creavit Angelos XXXV, ſeu potiùs XXXI, demptis quatuor nominibus Dei. Horum maximus (qui ideò ordine primus, & cui alii aliqui Angeli famulari dicuntur,) eſt *Béhman*, ſeu *Báhman*, cui omnium animantium, præter hominem, cura & cuſtodia concredita eſt. Nam hominum & totius generis humani curam (inquiunt) Deus ſibi reſervavit & in ſeipſum ſuſcepit, per gratiam ſuam ad Bona faciendum inducens. A quibuſdam tamen *Hormùzd* habetur quoque pro Angelo qui, Dei juſſu, huic Diei & omnibus ejus rebus ac negotiis præeſt; quamvis plerumque Angelorum Catalogus incipiat à dicto *Báhman* qui Diei II præeſt. At in primo, *Hormuzd*, bonum fauſtúmque eſt iter ſuſcipere, novas veſtes ſcindere & induere, & Sigillum chartis imprimere, & ejuſmodi alia facere. Sed pecuniam alicui mutuò dare non oportet. Sunt qui credunt (inquit *Shah Cholgji* & autor Libri *Mu'gj.*) hoc Die, ſcilicet tempore verno, creatum fuiſſe Solem, & inchoatam

fuiſſe Creationem Mundi, & Orbes cœleſtes primò in motionem veniſſe ab *initio Arietis:* & hoc Die creatum fuiſſe *Adamum*. Hoc Die fauſta ſibi ſortiuntur, dicentes, Quicunque hoc Die, priuſquam verbum dixerit, portiunculam Sacchari alicui porrexerit, & cum oleo illud ori indiderit, omnia illius anni incommoda eum non tangent. Sic illi. Sed, bonâ eorum veniâ, Solem & Hominem creatos fuiſſe eodem Die, non eſt conſonum, nec cum Hiſtoriâ Moſaicâ, nec cum Creationis Hypotheſi, apud Perſas receptâ, quæ in ſuperioribus præmiſſa eſt. Ideóque iſti autores recentiores locuti ſunt incautè, veterum Perſarum Principiis non ſatis attendentes. Præterea, cùm iſte dies ſit Sabbatum, tenentur eum religioſius obſervare.

VIII. Octavus Menſis *Dies* eſt *Dey-ba-Adur*, ſeu *Dey cum Adur*; ubi *Dey* pro Dei nomine habetur. Vulgò autem *Deybâdur* habetur pro Servo Dei, ſeu Angelo, qui præeſt Menſi *Dey* & omnibus diebus hinc denominatis, & omnibus rebus quæ hiſce diebus aguntur. Eſtque hoc die Magorum Feſtum, (eſt ſc. *Sabbatum*) in quo (præter Feſtivitatem,) bonum eſt Eleemoſynas erogare pro ſanitate tuâ & Liberorum.

XI. Undecimus Dies eſt خور *Chûr*, ut vulgò ſonatur: ſed in *Ph. Gj.* præſcribitur ſonari *Chaùr*, ſeu *Chúr:* quin & iſte etiam Dies ſubinde vocatur خورشيد *Churſhîd*. Hiſce nominibus notatur *Sol*. In hoc autem loco, eſt nomen Angeli qui præeſt Diſco Solis, & omnibus rebus quæ fiunt & accidunt in die *Chúr*.

XII. Duodecimus Dies eſt ماه *Mâh*, i. e. *Luna*. Apud *Perſas* in *India* & apud *Gilolenſes* hic Dies vocatur *Muhu*. Hoc autem Loco, *Mâh* habetur pro nomine Angeli qui tam Lunæ quàm omnibus hujus diei rebus præficitur. Lunæ etiam comperi in Libro *Ph. Gj.* plura nomina Perſica, qualia ſunt مهير *Mihîr*, & ماذک *Mânk*, & ماج *Mâgj*, & لوخن *Lucàn*, & زيرفان *Zîrphân*, & کاک *Câk*, & کوکا *Cûca* ex Libro *Zend*.

XIV. Decimus quartus Dies (quaſi *Arabizata* formâ) eſt جوش *Gjûſh*, ut vulgò legitur: at in *Ph. Gj.* præſcribitur legendum *Gjúſh*. Apud *Perſas* in *India* & apud *Gilolenſes*, magis Perſicè ſonat گوش *Ghûſh*, ſeu *Ghùſh*, ſive *Ghóſh*. Eſtque nomen Angeli qui Servus τῦ *Bâhman*, & qui Pecoribus præficitur, qui & omnibus hujus Diei rebus præeſſe creditur. Hoc die apud Perſarum Magos eſt Feſtum dictum سير خور *Sîr-chûr*, i. e. *Allium edens:* in eo enim Allium & carnes cum herbis elixis comedunt; quod credunt eſſe Securitatem con-

tra

tra مس جن *Tactum Spirituum*, ſeu *Læſionem Dæmonum*: & hoc die parant ſua medicamenta contra morbos à Spiritibus ſeu Dæmonibus provenientes. His ſimilia dicuntur & præſcribuntur in X Menſe *Dey*, ubi videas. Hoc die fauſtum eſt Pueros ad دبیرستان *Dibîriſtân* ſeu *Scholam-ſcriptoriam* deducere, eóſque quamvis Artem docere, ut ſcilicet hoc die incipiant diſcere.

XV. Decimus quintus *Dies* eſt *Dey-ba-mihr*, hoc eſt, *Dey cum mihr*. Aliis *Deybamihr* eſt Famulus Dei, ſeu Angelus, qui huic diei ejúſque rebus præeſt. Hoc die eſt Feſtum Magorum, ſeu *Sabbatum*, in quo (præter Feſtivitatem) fauſtum eſt Eleemoſynas dare, & Principes ac Magnates adire, atque Figuras, ſeu Imagines ex paſtâ, farinaceas aut luteas conficere, & in compitis collocare, eáſque colere & honorare tanquam Reges & Principes, officia & cæremonias (**complements**) eis præſtando, quaſi eſſent in vivis: quas tamen poſteà igne cremant, ut ſuprà in menſe *Dey*. Et quicunque in aurorâ hujus Diei سیب *Sîb* ſeu *Pomum* comederit, & Narciſſum olfecerit, totum ſequentem annum in lætitiâ & tranquillitate aget: & hâc nocte سوسن *Sûſan* ſeu *Iridem* fumigare, per totum annum obtinebit ſecuritatem à fame ſeu cariſtiâ & paupertate. Hoc die fuit فطام *Phitam*, ſeu *Ablactatio* Regis *Fridûni*, in quo etiam Bovi inſidebat. Et hoc die *Zerdùſht* flens & mœrens exivit ex *Irân*. In Libro *Mu'gj*. ſupradictæ cæremoniæ reſtrictæ ſunt ad Diem XXIV Menſis *Dey*.

XVII. Decimus ſeptimus Dies eſt سروش *Surûſh*, ſeu *Sorûſh*, ſive اسروش *Uſrûſh*. Iſte eſt Angelus qui (quaſi ſit کیهان دار *Keppândâr*,) præeſt Bilancibus in *Ponte Judicii*, quas curat & benè cuſtodit; dum alter Angelus *Mihr*, ſeu *Mihr-yezàd*, eſt Inſpector ponderis ejuſdemque Judex, rem pro hac vel illâ parte determinans. Prætereà eſt particularis Angelus hujus diei, qui præeſt quoque ſervis & eorum negotiis, (& omnibus aliis rebus quæ hoc Menſis die occurrunt,) eóſque ſemper regit. In eo, bonum eſt Pyréa adire, ibique preces fundere: nullum autem aliud negotium facere, ſi ſit alicujus momenti.

Dicto nomine *Surûſh* ſubinde intelligitur quiviſcunque *Angelus* in genere, ut etiam nomine امشاسپند *Amſhâſpand*, ſeu امهوسپند *Amhûſpand*; qui linguâ *Indicâ* dicitur دبوته *Dabûta*. Aliquando hoc nomine *Surûſh* particulariter notatur جبرایل *Gabriel*, i. e. *Fortitudo Dei*, qui *Arabibus* habetur رقیب اللیل *Rakîb AlLail*, i. e. *Cuſtos noctis*, utpote qui ſit Angelorum fortiſſimus. Is aliàs *Arabibus* audit الناموس الاکبر *Al Namûs Al Acber*, i. e. *Secretarius maximus*, qui

ſc.

ſc. de præcipuis Dei arcanis participat, eáque in Commentariis deſcribit. Et eâdem de cauſâ in *Targum Jonathanis* ad *Gen.* V. 24, ipſe vocatur ספרא רבא *Saphra rabba*, i. e. *Scriba magnus:* & aliàs audit מיטטרון *Mitatron*. Alibi à *Judæis* diſputatur an *Mitatron* ſit *Enoch*, vel aliàs שר העולם *Sar ha Olàm*, i. e. *Princeps Mundi?* Eſt autem *Gabriel* ex eis qui perpetuò circumſtant Solium divinum, qui præcipuè creduntur eſſe *Quatuor*, ſcil. *Gabriel*, *Uriel*, *Raphael*, & *Michael*. Hujuſmodi ſunt qui generali nomine dicti ſunt כרובים *Cherubim*, i. e. *Propinqui* Angeli, qui ſc. Deo propiùs quàm alii accedunt: nam כרב *Charab* eſt i. q. קרב *Karab*, *appropinquare*, & כרוב, ſeu קרוב, eſt *Propinquus exiſtens*. Hinc in Libro *Turgj*. legitur, کروبیون فرشتگان نزدیک *Cherubini ſunt Angeli propinqui:* & ſic *Echteri*, کروبیان ملایکة وهم المقربون *Cherubini ſunt Angeli*, ſc. *ii qui propinqui ſunt* Deo. Ratione officii, de *Gabriele* in Libro *Turgj*. dicitur جبرایل فرشتهٔ وحي *Gabriel eſt Angelus Revelationum*, ut & *Dan.* IX. 21: de quo etiam *Echteri* dicit, جبرایل ملایکة من مقربین وبر الو ملک آلتی یوز قناي وار *Gabriel eſt Angelus propinquus, ſc. magnus quidam Angelus cui ſunt ſexcentæ alæ*; nempe ut, hoc modo, pernicior factus, Dei mandata velociter exequi poſſit, & *Revelationes* impertire. *Gabriel* is eſt qui ſolet ad magis honorificas miſſiones delegari, ut in Libro *Danielis*. Et in *Novo Teſtamento*, *Ego ſum Gabriel qui ſemper adſto in præſentiâ Dei*; quod dixit ad Beatam *Elizabetham* miſſus, ad *Præcurſoris Johannis* conceptionem annuntiandum, qui etiam, poſt VI Menſes, Immaculatam *Beatæ Virginis* Conceptionem annuntiavit.

XVIII. Decimus octavus Dies eſt رش *Rèſh*, quod eſt Angeli nomen, qui *Indo-Perſis* & *Gilolenſibus* رشن *Reſhn*, ſeu رشني *Reſhni*, vulgò *Rúſhny:* nam vulgus in quamplurimis ſolet vocalem *Phatam* ut *u* aut *o* ſonare. Iſte Angelus creditur Adminiſtrator Juſtitiæ: & præeſt negotiis hujus diei, in quo, cum amicis converſari & iter ſuſcipere vetitum, ne exinde infauſta quædam eveniant. Secundum quoſdam, huic Angelo commiſſum eſt ſupervidere totum Mundum, & omnes humanas actiones perpendere; & eorum, quæ creavit Deus, generalem curam in ſe ſuſcipere, & à Diaboli furore conſervare.

XX. Viceſimus Dies eſt بهرام *Behrâm*, ſeu *Bahrâm*, qui Angelus Viatorum & Itinerantium Cuſtos, cui committuntur omnes res hujus diei. Is etiam præeſt rebus militaribus. Apud *Indo-Perſas* habetur Coadjutor

Coadjutor τῦ *Erdibehiſht*. Et cùm hoc nomine apud *Perſas* denotari ſoleat *Mars* planeta, cujus Orbis eſt tertius, Climatum (quibus præſunt Planetæ) tertio reſpondens ordine, is habetur مربي كشور سيوم *Climatis tertii Patronus*, ſeu *Protector*. Is à colore etiam dicitur بخون *Bachûn*, *ſanguineus*: unde *Behrâm*, propter rubentem aſpectum, Igni præeſſe creditur, & Perſarum *Ignis ſacer* vocatur *Ignis Martis*, ut ſuo loco dicetur. A *Behrâm* fit nomen بهرامه *Behrâma*, & *Arabizatâ* formulâ بهرامج *Behrâmagj*, i.e. *Rubinus*, ſeu *Carbunculus*, quo etiam nomine vocatur *Salix-rubra* arbor; q. d. *Martialis* gemma & arbor: & eâdem de cauſâ etiam بهرمان *Behramân* eandem gemmam notat. Et hinc apud *Arabes* adoptatur Verbum بهرم *Béhrama*, *rubuit*. Et بهرم *Béhram*, ſeu بهرام *Behrâm*, ſive *Behramân*, eſt *Cnicus*, præſertim *Flos Cnici* atque *Flos Iſatidis* Indicæ.

XXI. Viceſimus primus Dies eſt رام *Râm*, i.e. ex vi vocis *lætus*, *hilaris*, *cicur*, *mitis*, *quietus*, quaſi ab آرامیدن *quieſcere*, ut volunt, quamvis *Eliph cum Medda* non ſoleat pati Aphæreſin. Apud *Indo-Perſas* vocatur آرام *Arâm*, & habetur Angelus hilaritatem & mœſtitiam dans hominibus: ſcilicet reputatur Famulus τῦ *Bâhman*, & cenſetur præeſſe Operibus Servorum, & omnibus rebus ac negotiis hujus diei; in quo, Iter non eſt ſuſcipiendum, nec aliquid fœnori dandum. Quin & رام *Râm*, inter alia, eſt i. q. روان *Revân*. Et رام بر زین *Râm ber zîn* eſt quoddam Pyréum. *Indi*, in ſuâ Creationis hiſtoriâ, quam perobſcurè tradunt, ponunt tertiæ ætatis Mundi Inſtauratorem fuiſſe *Ram*; & ſibi invicem benè precantes & ſalutantes clamant *Ram*, *Ram*. Ab *Hebraicâ* ſignificatione petitum videtur illud *Heſychii*, quòd Ραμὰς ſit ὁ ὕψιστος Θεός· ſc. רם *Ram* eſt *Excelſus*.

XXII. Viceſimus ſecundus Dies eſt باد *Bâd*, idem qui *Indo-Perſis* & *Gilolenſibus* vocatur گواد *Ghuâd*, ſeu *Gowâd*, qui Famulus τῦ *Churdâd*. Cùmque *Bâd* ſignificet *Ventum*, hoc cenſetur nomen Angeli qui præeſt Ventis, atque Connubio & Matrimonio, & conductui omnium rerum quæ fiunt hoc die. In eo, bonum eſt Equos & alia Jumenta equitationi aſſuefacere, & novas veſtes ſcindere ac induere.

XXIII. Viceſimus tertius Dies eſt *Dey ba-dîn*, ſeu *Dey cum Dîn*. Præterquam quòd *Dey* ſit nomen *Dei*, iſte reputatur Angelus qui Famulus Dei, & qui præficitur huic Diei, in quo مغان وزمادي *Magi & Zamadii*, ſeu *Azmadæi*, Feſtum celebrant: nam eſt eorum Sabbatum. Hoc die, fauſtum eſt preces fundere ad expellendum malitiam Diaboli, & ad Liberos à Deo expetendum.

XXIV. Viceſimus

XXIV. Viceſimus quartus Dies eſt *Dîn*. Secundum *Indo-Perſas*, iſte eſt Famulus τῦ *Iſphendârmod*. Et cùm hoc nomine ſignificetur *Religio*, iſte cenſetur Angelus qui docet homines Legem Dei, ut eam obſervent, eiſque bonas notiones inſpirat: atque huic Angelo demandata eſt cuſtodia Calamorum ſcriptoriorum. Hoc die, fauſtum eſt Pueros ad Scholam ſcriptoriam mittere, atque matrimonium contrahere.

XXV. Viceſimus quintus Dies eſt ارد *Ird*, aliàs آرد *ârd*, ſeu آراد *Arâd*: eſtque nomen Angeli qui præeſt Religioni, & omnibus rebus hujus diei, in quo commodum eſt novas veſtes ſcindendo formare eáſque induere: ſed in eo non convenit iter facere, nec de loco in locum migrare. Iſte dies ejúſque Angelus apud *Indo-Perſas* & *Gilolenſes* vocatur ارشسنگ *Arſhâſangh*, qui reputatur Famulus τῦ *Iſphendârmod*. Dictus Angelus hominibus dat divitias & intellectum atque memoriam; & is eſt Dominus ſcientiæ, & ipſius eſt omnium Creaturarum neceſſitatibus proſpicere, ex infinito Dei Theſauro ejus Curæ commiſſo.

XXVI. Viceſimus ſextus Dies eſt *Aſhtâd*, *Indo-Perſis* & *Gilolenſibus Aſtâd*, quem reputant Coadjutorem τῦ *Murdâd*: & præficitur Aquis, & rebus ac negotiis hujus diei, in quo, bonum fauſtúmque eſt Petitiones facere, & Eleemoſynas dare, & veſtes novas ſcindere, eáſque primò induere.

XXVII. Viceſimus ſeptimus Dies eſt *Aſomân*, i. e. *Cœlum*, ſic dictum nomen q. d. آس ماندن *âs mânand*, i. e. *molæ ſimilis*, in quotidianâ gyratione & circumvolutione ſuâ. Eſt ſc. *Cœlus*, ſeu *Uranus*, & habetur nomen Angeli qui *Indo-Perſis* eſt Coadjutor τῦ *Shahrîvar*, & qui præeſt mercaturæ, atque etiam mortuis, & conductui rerum hoc die tractandarum. Hoc die, bonum eſt بنصر دور شدن —— nullum autem aliud opus facere aut tractare. Heic extat mendum in exemplari Perſico.

XXVIII. Viceſimus octavus Dies eſt زامیاد *Zamiyâd*, D. *Gravio* & *Scaligero* malè رامیاد *Râmiyâd*. Aliàs autem apud *Orientales* ſubinde ſcribitur جمیاد *Gjamiyâd*, & زمیاد *Zamiyâd*, vel cum *Teſhdîd* ſuper *Ye*, *Zamîyâd*. Iſte, ſecundum *Indo-Perſas*, eſt Coadjutor τῦ *Mordâd*; eſt ſcilicet Angelus qui præficitur terræ, & cui commiſſa eſt cura rerum hujus diei, atque cuſtodia τῶν بهشت حوران *Hurâni behiſht*, i. e. *Virginum Paradiſi*. Harum quoque mentio fit in Libro *Sad-der*; unde conſtat, reverà *veteres Perſas* memorare tales metaphoricas,

ricas, (non reales,) uti etiam faciunt *Arabes Mohammedani*, ut ex *Alcorano* patet. Videri quoque poteſt *Erdavirâph-nâma*. Hoc Die, fauſtum eſt ſemina ſerere, arbores plantare, & ædificia facere. Hoc nomen in Libro *Nim.* & aliis Libris, ſubinde falsò ſcriptum reperi رامناد *Râminâd*, & راميان *Râmiyân*, &c. quod monendum duxi, ne aliquis ſeducatur.

XXIX. Viceſimus nonus Dies eſt مارسفند *Mâriſphand*, ſeu ماراسفندان *Mâriſphandân*, ſeu ماراسپند *Mâriſpand*, ſive ماراسپندان *Mâriſpandân*, vel مهراسفند *Mahriſphand*, ſeu *Mahirâſphand*: tot enim modis legitimè ſcribitur. Sunt ex *Indo-Perſis*, quibus *Mâriſphand* habetur Famulus τȣ̃ *Iſphendârmod*, ſeu *ipſa Bonitas* cum hominibus communicata, ſc. Angelus qui Bonitatem illis impertit. Iſte Angelus præfectus eſt Aquæ & omnibus rebus hoc Die gerendis. Iſto Die, fauſtum eſt matrimonium contrahere & cum amicis conſidere.

XXX. Triceſimus Dies eſt انيران *Anîrân*, pro quo, in quibuſdam Lexicis peſſimè & vitioſiſſimè ſcribitur ايزان *Izân*, tranſpoſitis punctis, ſcribarum lapſu, ut in aliis ſæpè fit. Iſte, apud *Indo-Perſas*, reputatur Famulus τȣ̃ *Shahrîvar*. Eſtque nomen Angeli qui præeſt conjugio, & omnibus rebus hoc die gerendis. Secundum quoſdam, præeſt pecuniæ & divitiis. Hoc Die, *Zerduſht* intravit in *Irân*, ſeu Perſiam, & venit primò in *Aderbayagjân*. Iſto Die, præſtat novas veſtes ſcindere & induere, & ungues præſcindere, & pecuniam fœnori dare.

Dictos dies menſis ſequuntur V Dies Appendices ſuprà recenſiti, qui hodie, & à tempore *Gjelâleddîn*, ab Aſtronomis rejiciuntur in calcem menſis *Iſphendârmaz*, ſcil. in finem Anni *Gjelalæi* Perſarum *Mohammedanorum*, quorum non eſt V Appendices ut Feſtivale tempus celebrare. Hi autem à ſolis *Magis*, ſeu *veteribus Perſis*, celebrantur, quaſi in vetere Anno occurrentes in fine menſis *Abân*; idque, dictis V diebus junctim adſciſcendo V alios ultimos dies dicti Menſis *Abân*, qui omnes ſimul (ut in *Ph. Gj.* dicitur,) faciunt ده روز *Dehrûz*, ſeu *Decendium*; quòd in primo die Menſis *Azur*, apud veteres, excipiebat *Equitatio imberbis* ſuperiùs deſcripta, idque, loco τȣ̃ *Naurûz* recentiorum: nam *Naurûz*, propriè ſic dictum, tunc nondum erat notum. Appendicum itaque Feſtum *decendiale* accipiendum eſt tanquam in fine menſis *Abân*, ſcil. à XXVI ejus die incluſivè: nam cum Appendicum *Pentade* (majoris ſolennitatis cauſâ) conjungebant aliam ex Menſe deſumptam *Pentadem*: ab Appendicibus tamen ſolis (tanquam à præcipuis) denominatur Feſtum, idque, propter gaudium

 feliciter

feliciter finiti anni, & completi quondam Operis Creationis CCCLXV diebus, ſeu uno integro anno abſoluti. Nam in Libro *Sad-der* ſextum Creationis *Tempus* dicitur fuiſſe in پنجي مزديسنان *Pentade ſacrâ*, ſeu *Pentade Verbi Divini*, quippe quæ in Dei Verbo præſcripta, hoc eſt, in Operibus *Zoroaſtris*.

Horum particularia nomina ſuperiùs ſuo loco adducuntur. At quoad generalia nomina in Anno Solari, *Latinè* vocamus *Appendices*, quia in fine Anni veniunt tanquam *Appendix*. Apud *Plutarchum* iſtæ dies dicuntur Επαγόμεναι *ſuperinductæ*. Quo generali nomine apud *veteres Perſas* vocati fuerunt *Appendices*, jam vides: & apud *recentiores* hodie vocantur دزديده *Duzdîda*, *Furtivi*, ſeu پنجه دزديده *Pengja duzdîda*, i. e. *Pentas furtiva*, quia extra menſium ordinem, quaſi furtim, & privatim, anno appenduntur. Hinc de *Perſico Anno* ſcribentes *Arabes*, iſtos dies مسترقة *Muſtéraca* etiam *Furtivos* vocant. [Aliter autem, *Arabico* nomine نسي *Neſi* intelliguntur Lunaris Anni intercalares dies, qui, quaſi per biennium *obliti* & *neglecti*, ad triennalem Intercalationem reſervantur.] Ut verò de Solaris Anni Appendicibus pergamus; hi apud *Chalîl Sûphi* Sionenſem (quaſi à primo horum die اهنود *Ahnavad*) vocantur اهواذن *Ahvând*, in ſingulari collectivè: apud *Nim. Laud.* quaſi in plurali اهـواذـن *Ahvandâz*, malè, pro اهوادان *Ahvandân*. Apud *Alpherganium* ſat commodo nomine appellantur اندرجاهات *Andergjâhât*, quod magis Perſicè dicendum eſſet اندرگاهان *Anderghâhân*, i. e. *intermedia tempora*, ſcil. inter veterem annum & novum.

Quinetiam, præter ſupradictum nomen *Pengji Mazdiyaſenân*, hi dies à veteribus dicti fuêre فروردگان *Phervardaghân*, & *Arabizatâ* formâ فروردجان *Phervardagjân*, & ſubinde فروردجان *Phervargjân*, atque فروردیان *Phervardiyân*, & پوردیان *Pûrdiyân*, ſeu پـوردگان *Pûrdaghân*, ſive فوردگان *Phûrdaghân*, vel *Arabizatè* فوردجان *Phurdagjân*, ſeu فروردیجان *Phervardigjân*, quod nomen D. *Golius* à primi menſis *Phervardîn* nomine deductum putat, quia inter *Iſphendârmaz* & *Phervardîn* intermedii veniunt iſti *Appendices* in Anno *Gjelalæo*: at in Anno veteri non item. Ideóque niſi ad ſolum recentiorem annum pertinuerit hoc nomen, illius conjectura non poteſt eſſe vera, cùm iſti Dies *Phervardigjân* venerint intermedii inter *Abân* & *Adur*, à menſe *Phervardîn* procul disjuncti & remoti. Iſtos enim Appendices, ſeu Adſcititios Dies, propter ſupradictas rationes celebrabant veteres in fine

fine menſis *Abân*, hoc tempus magni facientes, veſtes meliores induendo, & lætitiam agendo & geniis indulgendo, largiore potu & delicatioribus cibis & fructibus epulas inſtruendo & feſtum agendo. In omnibus autem Feſtis diligenter obſervabant matutina tempora precum, priuſquam gaudio habenas ſolverent, Templa adeundo & precando: & ditiores mittebant ad pauperiores *Munuſcula* dicta داشن *Dâſhen*. Ludos quoque publicos exercebant, inter quos erat گازه *Ghâza*, ſeu *Oſcillum*, variis etiam aliis nominibus appellatum: hocque non tantùm à pueris factum, ſed à viris & fœminis, propter ventilationem quam affert in calidioribus illis regionibus. In hujuſmodi Feſtivitatibus ſolebant etiam habere Poëtas & Fidicines & Comœdiarum Actores dictos سازنده *Sâzánda*, quorum Remuneratio pro labobore ſuo dicta eſt پارنج *Pârangj*, i. e. *Pedum labor*, ſc. aliquot Nummi eis dari ſoliti. Antiquiſſimis temporibus (quando habebant Reges ejuſdem Religionis,) hiſce Ludicris aliquando adeſſe ſolebant Reges & Principes induti بساك *Baſâk*, ſeu *Serto* ex floribus, quod in omnibus diebus Feſtis & Nuptialibus Principes & Magnates induebant: ex quorum habitu etiam tunc erat پرگر *Perghèr*, ſeu پرگار *Perghâr*, i.e. *Torques*, ſeu *Collare*, quod in colla ſua, & aliquando in equorum ſuorum colla injiciebant. Erátque peculiaris quædam Saltatio ſeu Tripudiatio à *Magis* uſitata, dicta دستبند *Deſtbend*, i. e. *manuum junctio*, ſeu *commiſſio*, ubi junctis manibus choréam ducebant. Hæcque Saltatio alio nomine etiam dicta fuit پنجه *Pengja*, i. e. *Pentas*, ſeu *Pentadium*, vel quia in *dictâ* dierum *Pentade* præcipuè exerceri ſolebat, vel quia *Pengja* etiam *manûs*, ſeu *prioris pedis*, ſignificationem habet, ubi τῶν *pengja* conjunctio erat.

Feſtivale tempus & Feſtum ipſum ſeu Convivium in genere vocatur چشن *Tcheſhn*, quod potiùs *Medicum*: nam antiquiore nomine *Perſico* vocatur درون *Derûn*, atque میزد *Meized*, quod reſpondet τῇ משתה *Miſhte Ahaſueri* in Libro *Eſther*, utroque notante *Compotationem*, ſeu *Convivium vini*: & tale *Feſtum celebrare*, erat درون یشتن *Derûn yéſhten*. Talis etiam erat *Babyloniorum* Σακέα, ſc. ساقیه *Sakîa*, *Compotatio*, ſeu *Propinatio*.

At, præter ſuperiùs dicta Feſta ſtata & fixa, erat quoque Feſtum vagum, ſemel quovis anno, quando aliquis voluit, pro libitu faciendum. A *Perſis* in *India* fere quovis menſe fieri ſolet: ſed ſemel in anno non erat à quopiam negligendum. Hoc Convivium, ſeu hæ

Epulæ, plurale habet nomen آفرینگان *Apherînaghan*, i. e. *Benedictalia*, ſeu *Benedicendi Epulæ*, quas vocabimus *Parentalia*, quia hæ Epulæ erant convivium in piam commemorationem Parentum & Amicorum defunctorum, quorum memoriæ benedicebant viventes, piam eorum vitam & felicem exitum recolendo. Si *Romanorum*, apud *Varronem*, vocem adhibere volumus, tales Epulæ vocari poſſunt *Manalia*, ſeu potiùs *Manialia*, in quibus Parentum & Conſanguineorum *Manibus* litari ſolebat. Nam *Romanorum Manes* erant defunctorum *Animæ*, quæ poſt mortem & corporis diſſolutionem *manere* credebantur: unde *Diis Manibus* quædam ſolennia erant Sacra. Dictæ autem Perſarum Epulæ parentales præcipuè fieri ſolebant in diebus *Appendicibus*, quando defunctorum *Manes* è ſuis locis prodire credebantur, referente *Cazvinio*; يزعمون ان ارواح موتاهم تخرج في هذه الايام من مواضع ثوابهم وعقابهم *exiſtimabant mortuorum ſuoram Manes* [ſeu *Spiritus*] *illis diebus prodire ex præmii & ſupplicii ſui locis*. Atque Præceptum in Libro *Sad-der* extans, *Memor eſto animæ patris & matris*, &c. vel huc ſpectare videtur, vel ſaltem ſpectabat ad aliam Solennitatem dictam شب غریبی *Noctem peregrinam*, vel fortè *Noctem peregrini*, in qua Panis & Dulciariorum Eleemoſynam, primâ mortuorum nocte, diſtribuebant propter Spiritûs eorum reunionem cum hominibus. Et talis in oriente conſuetudo comperta eſt ad hunc uſque diem durare, tam inter *Armenos* & reliquos *Chriſtianos* quàm inter *Mohammedanos*: ideoque *Sheich Saadi* in Libro *Guliſtan* memorat صدقهٔ گور پدرت *Eleemoſynam ſepulchri patris tui*, dum aliquem Filium de hac re alloquitur: nam ſuper ipſo ſepulchro diſtribui ſolent tales *Eleemoſynæ*, quæ videntur peculiari nomine Perſico vocari جربک *Gjerbek*, quod in *Ph. Gj.* exponitur, *Id quod in Eleemoſynâ datur pro Spiritibus mortuorum*, dum ſuper mortuorum tumulis Epulas ſtruunt.

Dicta eorum in hoc Capite opinio de Angelorum ſuper res inferiores Præfecturâ, apud alias etiam Gentes orientales obtinens, fundata fuit in *Veteri Teſtamento*, eorum Legiſlatori *Zerduſht* benè noto. Et idem agnoverunt Viri Sancti in *Novo Teſtamento*, ubi Angeli vocantur *Miniſtrantes ſpiritus pro iis qui ſunt hæredes ſalutis*. *Indo-Perſæ* credebant eos ſibi opitulari contra furorem Diaboli, idque ab eis impetrabant, cum aliis aliquando neceſſitatibus, quas Deus, per eorum manum, humano generi porrigendas & adminiſtrandas ordinavit.

Sed

Sed in modo ſubindè errârunt; cùm à Deo roganda eſſent talia, ut, ſi ei placet, Angelos ſuos mittat: illi enim ſine Domini miſſione, nihil agunt motu proprio. At (quamvis ſuperſtitioſa aliquando incautè admiſcerent Perſæ,) aliunde ſatis conſtat, eos credere Deum in omnibus neceſſitatibus primò adeundum, & Angelos non niſi ex Delegatione aliquid facere ſolere, ut oportet Miniſtros qui ſui Domini res promovere debent. Ideoque *Zoroaſtris* Præceptor *Hoſtanes* docebat, *Angelos veri Dei venerationi aſſiſtere, ut, nutu ipſo & vultu Domini territi, contremiſcant.* G. p. 275. Unde conſtat, Perſas eos non coluiſſe, nec credidiſſe quòd divinum aliquem cultum ſibi exigerent.

Sunt autem Angeli ad nutum Domini ſui, tam ad conſervandum & juvandum, quàm ad puniendum & malum inferendum, ut in *Conflagratione Sodomæ*, & in *Peſtilentiâ* tempore *Davidis*, &c. Talia autem omnia ſecundum miſſionem ſuam: nam Αγγελος eſt *miſſus*, ab ἀγγέλλω, ut & *Hebraice* מלאך *Mal'ach* à לאך *laac*, quamvis Radix hodie non ſit in uſu in lingua *Hebraïcâ*; ſed in aliis vicinis linguis extat, ut in *Æthiopicâ*, ubi ሐፀአ *láaca* eſt *miſit*, *legavit*, & ሐፀኣ *lá'ky* eſt *miniſter*, *famulus*. Et in Linguâ *Arabicâ* tam لاك *láaca* quàm الاك *álaca* eſt *miſit*. Et ut in *Teſtamento Novo*, ſic etiam in *Veteri* vocantur משרתים *meſharethîm*, *miniſtri*, *miniſtrantes*, ratione officii ſui. Ut itaque eorum qualitates ex nominibus deductas perſequamur; propter indefinentem curam, & perpetuam in miniſterio divino vigiliam, nunquam dormiendo, in Libro *Danielis* vocantur עירים *Irîm*, *Vigiles*; ſcil. *Vigil*, ſeu ſanctus aliquis Spiritus, ad *Danielem* miſſus eſt, à cœlo deſcendens. Hoc eodem ſenſu uſurpatur dicta Vox in *Chaldæorum Liturgia* in Hymno, ملعا حنوا *Angeli & Homines te laudant Domine*, &c. Et quia præditi ſunt plenitudine potentiæ ad exequendum voluntatem Dei, & omnia juſſa divina præſtandum, ideò à Davide *Pſal.* LXXVIII. 27, emphaticè vocantur *Fortes*, quia omnium Creaturarum fortiſſimi: ſic ibi legitur, לחם אבירים *Panem fortium comederunt*, i. e. Angelorum hyperbolicè, quaſi Angeli ederent, cùm reverà non edant. Apud *Gjeuharium* مقبلات *Moakkibât*, i. e. *Succedentes*, vocantur Angeli Diei & Noctis, quia ſucceſſivis vicibus in perpetuum ſe invicem excipiunt, dicendo سبحان لله *Sobhâna lillâhi*, i. e. *Laudes Deo.*

Perſæ, tam *veteres* quàm *Mohammedani*, credunt quemque habere ſuum Angelum cuſtodem, ſed potiùs duos, bonum & malum; idque à pueritiâ, nam ex dicto *Chriſti*, Infantes etiam ſuos Angelos habent.

bent. De Angelis particularium hominum docet id de *Jacobo*, *Angelus meus*; de *Petro*, *Eſt illius Angelus*; cum plurimis ejuſmodi aliis. Præficiuntur etiam multò magis Regionibus *Archangeli*, (quamvis jam ceſſante Revelatione, de eâ re nunc ſileatur,) ut in Libro *Danielis* X. 13, 20, 21 legitur de Angelo regni *Perſiæ* & *Græciæ*, & de *Michaele*, *Principe Iſraelitarum*, ſeu *Judæorum Cuſtode*, *qui unus ex præcipuis Principibus*, ſc. primi Ordinis: *Principum* enim honorifico Titulo decorantur. De *Michaele* apud *Ecteri* legitur, ميكائيل اسم ملك من المقربين *Michael eſt ex Angelis propinquis*, ſc. ex *Cherubinis*. Is *Perſicè* vocatur بشتر *Beſhter*, & creditur Alimentum populo ſuppeditare: ſic *Turgj. Arabs*, ميكايل فرشتهٔ روزيها *Michael eſt Angelus Alimentorum*, ſeu *demenſorum diurnorum*, ſc. qui alimentum & annonam omnibus ſuppeditat ex infinito Dei Theſauro. In *Targum* ad *Exod.* XXIV. 1, vocatur סרכן חכמתא *Præfectus Sapientiæ*, ſcil. Sapientum, qui & multa ſapit: ſed nil præſcit niſi quid velit Deus, prout decet Servum. De eo legitur in *Targum* ad *Pſal.* CXXXVII. 7, מיכאל רבה דירושלם *Michael eſt princeps* τῆς *Jeruſhalem*: & ad *Cant.* VIII. 9, מיכאל רבהון דישראל *Michael Magiſter* ſeu *Præceptor Iſraelis*, vel aliàs *Princeps* ſeu *Dux Iſraelis*. Cùm itaque conſtet *Michaelem* ſemper fuiſſe *Judæorum* & *Iſraelitarum* Angelum, eorumque Ducem & Principem, qui illorum curam gerebat, haud multùm dubitabitur quin is ipſe fuerit qui luctabatur cum *Jacobo*, & qui innominatus in Veteri Teſtamento toties apparuerit. Regnorum itaque Mundi Inviſibiles Principes fuerunt, & adhuc ſunt, Archangeli dicti *Cherubini*, ſeu *propinqui*, cum quibus junctim numerari ſolebant *Seraphini*, ut in *Pſalmo* legitur; qui videntur ſic dicti, quaſi *Ardentes*, ſeu *Flammantes* tot igniculi ſeu flammulæ, ut alibi in *Pſalmo*, *Facit Angelos ſuos ſpiritus*, *& miniſtros ſuos Ignem flammantem*. Hi a pleriſque habentur diſtinctus Angelorum ordo: ſed cùm Epithetorum combinatio ſolet eſſe exegetica, probabile videtur *Cherubim & Seraphim*, unum tantùm eundemque Angelorum ordinem denotare. Cúmque perpetua ſit Regula, quòd *Heb.* ש *Shîn* in ling. *Chald.* mutetur in ת *Thav*, probabile eſt quòd *Heb.* שרפים *Seraphim* à *Labano* & *Chaldæis* dicti fuerint תרפים *Teraphim*, quorum quidem Angelorum Imagines fingere geſtiebant veteres *Chaldæi*. Hocque de *Seraphim* colligi poſſe videtur ex eo quod habet *Turgjemân Arabs*, اسرافين فرشتهٔ صور *Iſraphîn ſunt Angeli Figurarum*, ſeu *Imaginum*, ſc. *Seraphini* ſunt quorum Imagines formari ſolent.

Judæi

Judæi non fuerunt minimi in assignandis Angelorum Officiis. Apud eos נקיד *Nekîd* erat Angelus qui Cibis præerat, & Panis custodiæ præfectus. Et שבריר *Shabrîri* (quasi à *Shab*, seu *nocte*,) erat Angelus *scotomatis*: ארגיניטון *Argeniton* præficiebatur *Balneis*: יורקמו *Yorkemo* erat præfectus *Grandini*. Alii sunt יוהך *Yûhak*, & סנדלפון *Sandálphon*, & טנדריאל *Tandariel*, & גזרדיא *Gazardaia*. Ex majoribus erat אוריאל *Uriel* Archangelus, qui (2 *Ezdr.* IV. 1, 36, collocutus est cum *Ezrâ*. Talis etiam erat סוריאל *Suriel*, (seu potiùs שוריאל eodem sono,) aliàs dictus שר הפנים *Sar happanim*, i.e. *Princeps facierum*, seu *Præsentiæ*, quia semper coram Dei facie & præsentiâ, in ejus conspectu præstolans & missionem expectans. Volunt enim quòd sic dictus fuerit, quòd coram Deo continuò versetur, & sit חשוב לבוא המלך *dignus versari in conspectu Regum*, ut sit à Deo Legatus ad Reges & Principes, ut legitur in *Berachoth* fol. 51. 1. Item עוזיאל *Uzziel* & ejus Socius שמחזאי *Shámchazai*, sunt Angeli qui deciderunt ex Cœlis, & commixti cum hominibus, genuerunt Gigantes. Proh nugæ! Et לילה *Láyela*, q. d. *Nocturnus*, erat Angelus præpositus Conceptui & Partui. In *Talmude* legitur, *Is accipiens guttam, eam sistit coram Deo & dicit, O Domine Mundi, gutta ista quidnam erit? fortis an debilis, sapiens an stultus, pauper aut dives? Sed non dicit, Justus an improbus?* Rabbini volunt לילית *Lîlîth*, q. d. *Nocturna*, esse *Strigem*, seu *Dæmonissam*, sive *Lamiam* nocturnam, quæ Infantes rapit & occîdit. Unde Judæi (præsertim per *Germaniam*) circa Lectum Puerperæ & in IV parietibus Cubiculi in quo Puerpera cubat, cretâ solent scribere אדם חוה חוץ לילית *Adesto Adam & Eva, sed foràs esto Lîlîth*. Adscribunt etiam tria nomina Angelorum qui Medicinæ & hominum Curationi præficiuntur, qui סנוי *Senoi*, סנסנוי *Sensenoi*, & סמנגלוף *Sammángaloph*. Eandem opinionem de *Strigibus* habuêre *Latini*. Loca adduxit *Clariss. Buxtorfius*, quem videas.

Hæc sufficiunt monstrare Persas non fuisse solos qui Angelorum Ministerium crediderunt, & peculiaria eis Officia assignârunt. In *Talmude Hierosolymitano*, in *Rosh ha Shana* prope initium, scriptum est, *Nomina Mensium & Angelorum ascendisse cum Judæis ex Babyloniâ*, ut גבריאל *Gabriel*, מיכאל *Michael*, אייר *Iyâr*, ניסן *Nisan*, &c. Quibus verbis insinuatur *Judæos* à *Chaldæis* & *Persis* talia didicisse.

Sed, ut suprà dictum, quòd *Michael* fuerit Princeps *Judæorum*, petitum est ex *Dan.* XII. 1, *Michael magnus Princeps qui stat pro filiis populi tui*. Et alibi, *Michael Princeps vester*: à cujus partibus etiam stetit *Gabriel*, qui ad *Christi* nativitatem prænuntiandum missus, dicit,

Ego

Ego ſum Gabriel qui adſto in præſentiâ Dei, ut eò meliùs Annuntiationi ſuæ fidem facere poſſet. Is erat *Dan.* X. 12, 13, innominatus Angelus qui (uti colligitur ex *Dan.* VIII. 16, & IX. 21,) veniebat conſolaturus *Danieli*, eique prædicturus quid eveniret in *ultimis diebus*; quod citiùs fecerat, niſi quòd *Princeps* regni *Perſiæ* ei reſiſtebat XXI diebus, ſeu annis. Sed in ſubſidium ejus veniebat *Michael*, unus ex Archangelis, qui, ex *Judæorum* ſententiâ, ſunt IV; & ex *Apoc.* videntur eſſe VII; ſcil. *VII Angeli cum VII Phialis divinæ vindictæ, & VII Spiritus Dei ſicut tot Lampades coram Throno.* Et dictus ille numerus expreſſè docetur *Tob.* XII. 15. At cùm egreſſus eſſet *Michael*, en Princeps *Græciæ* veniebat, contendens ut *Græcis* ſubjugarentur *Judæi*. *Grbriel* autem (*Michaelis* conſors & Socius,) manſit cum Principibus (qui vocantur Reges) *Perſiæ*; ſcil. contendens & altercans cum illis Angelis, cauſâ *Judæorum*: nam omnium Regionum Principes, ſeu Angeli, ſociati ſunt contra *Judæos* & eorum Principem, uti conſtat ex ultimo verſu dicti Capitis, *Nemo firmiter tenet mecum in hiſce rebus, niſi Michael Princeps veſter.*

Quis fuerit Angelus Imperii Perſarum, expreſſè non docetur. Sed, ſi conjecturæ locus, videatur fuiſſe רפאל *Raphaël*, qui miſſus (ſecundùm nominis ſignificationem) ad *ſanandum Tobiam* & *Uxorem*, *Tob.* III. 17. Iſte Angelus videtur *Perſiæ* & *Mediæ* præfuiſſe, non tantùm quia miſſus eſt ad deducendum in *Mediam Tobiam* juniorem ad *Raguelem* in *Ecbatanis*, ſed & quia agnoſcit ſe aliàs in *Medicâ* regione verſatum fuiſſe, quòd aliquando commoratus fuerit apud *Gabaëlem* in *Rhagis* in *Media*, & rurſus apud eundem diverſatus eſt *Tob.* IX. 5. Et profitetur ſe longè antehac occupatum fuiſſe in *Mediâ* apud *Tobiam* ſeniorem, in memoriam afferendo Preces ejus apud Sanctiſſimum, dum clanculùm ſepeliebat ſuos populares mortuos, quos in irâ ſuâ interfecerat *Sennacherib*, cui *Tobias* erat *Oeconomus*. Adeò ut, haud multùm dubitetur, quin is fuerit Angelus qui iſtius regionis res curabat. In hac itaque expeditione *Raphaël* defunctus eſt tantùm eo quod erat illius Provinciæ & ad illum ex officio propriè pertinebat, ut *Tob.* V. 4, 6: & V. 12, iſte vocavit ſe *Azariam*, ut ſpecie tenùs ſatisfaceret *Tobiæ*. Sed quis fuerit, planè tandem agnoſcit *Tob.* XII. 15, *Ego ſum Raphaël, unus ex ſeptem Angelis ſanctiſſimis qui Deo offerunt Preces Sanctorum, & qui intrant & exeunt in conſpectu Gloriæ Sanctiſſimi.*

Ex ſupradictis *Gabrielis* verbis conſtat, omnium regionum Angelos fuiſſe Bonos, quia *Gabriel* ſupponebat eos debere eſſe ab ejus partibus, quamvis non eſſent: nam id omninò ſupponi nec potuit

nec

nec debuit de Angelis malis ut se sociarent cum *Gabriele*, nec ut is id pateretur. Absonum itaque imaginari *Persas*, aut ullos alios, qui semper agnoverunt Deum, positos fuisse sub dominio mali Angeli, quamvis Princeps eorum pugnabat cum *Gabriele*. Omnis ergo durabilis Præfectura est *bonorum* Angelorum, non autem *malorum*: nam Deus nunquam præficit Diabolum alicui Regioni. Deus quidem, pro tempore, permittit Diabolo punire, ut in casu *Jobi*. Et alibi minatur, *Mittam Angelos malos inter eos*; ab effectu sic vocando Angelos *bonos*, rei malæ nuntios & ejusdem executores, ut in destructione *Sodomæ* & *Peste Davidica*, &c. ad puniendum pro brevi tempore. Tales erant IV Angeli alligati in flumine *Euphrate Apoc.* IX. 14. Nam bonorum Angelorum sæpè fuit mala missio, ut *Apoc.* XV. 6, *Septem Angeli è templo Dei egressi sunt cum VII Plagis*. Tales sunt Angeli Perditores, ab officio sic dicti. Et quamvis hæc essent tantùm in Visione, Visiones semper repræsentabant res possibiles & quæ veræ esse possent.

Quid autem sentiemus de bonorum Angelorum inter se dissentione? Videntur quidem contra se invicem pugnare (i. e. disputare) sub diversis Missionibus; ubi quisque suam tuetur Missionem, donec veniat Dei, tanquam supremi Judicis, Decisio & definitiva sententia. *Grotius* dicit, *Quòd, veniente Christo, sublata est ista Angelorum inter se contentio*. Sed ubi ejus opinio fundetur, non constat. Nec opus est ut tollatur talis eorum contentio, cùm non sit hostilis, sed tantùm amicabilis disputatio, seu altercatio, cujus necessitas & usus hodie est, æquè ac olim fuit. Et quamvis hoc imperfectionem arguat, nemo miretur: nam cùm Angeli sint Creaturæ, non possunt esse æquè perfecti ac eorum Creator: sed planè videntur suas habere imperfectiones, uti colligitur ex primo eorum peccato & lapsu; & ex *Job* IV. 18, *Non confidit ministris suis, & Angelis suis imputat stultitiam*. Cúmque naturâ suâ non sint tantùm peccabiles, sed & verè peccaminosi, & hodie, æquè ac olim, inobedientiæ & contumaciæ capaces, non est cur diffidamus post primum lapsum rursus cecidisse alios, & hodiè etiam dari labentes & lapsuros. Hæcque omnia tam ad præcavendum mixtum aliquem in cœlo statum, quàm ad præstitutam hujus Mundi constitutionem, ex bono & malo mixtam, obtinendum; quam sapientissimi Creatoris prævisio duxit necessariam. Hæc sunt problematicè dicta. Nam ut non innotuerat nobis Lapsus primus, nisi per divinam revelationem, sic nec absque eâ possumus esse certi de Lapsu aliquo secundo.[1]

1 Quæ sequuntur ad finem usque capitis, prima Editione legebantur Append. No. IX.

Lingua *Perſica* (ut vides) Angelorum nominibus abundat; ut & *Hebraïca*, ſi Judæis fides: & ſic lingua *Arabica*. Quoad Angelorum nomina, ea quæ reverà talia ſunt, (apud illas Gentes quæ S. Biblia amplectuntur,) ex ipſis Bibliis petita ſunt, ut *Michael*, *Gabriel*, &c. Alia à *Rabbinis conficta*, & ad horum normam compoſita, in *Europæorum* Libris circumferuntur. Et ut dantur nomina Bonorum Angelorum, ſic & Malorum, ſeu Diabolorum; uti conſtat ex nomine *Beelzebub*, qui Diabolorum Princeps; & ex *Chriſti* quæſito, *Quid eſt nomen tuum?* cui ab illius *Legionis* Duce ſtatim reſponſum eſt nomine numerum indicante. Ea, quæ in S. *Bibliis*, nomina, fortè non fuerunt à Deo impoſita, (cum is vix vocet Angelos ullis nominibus,) ſed ea, pro natâ aliquâ occaſione, ſponte aſſumpta ſunt ab ipſis Angelis, qui talia nomina ſuæ naturæ ſuóve Officio adaptâſſe præſumantur; ut, *Ego ſum Gabriel*, &c. Sed cùm cœlites (prout nobis videtur) nec inter ſe, nec cum Deo, utantur ſermone aut loquelâ, conſtat talia Nomina aſſumpta fuiſſe noſtrî causâ, condeſcendendo ad captum noſtrum, cùm nobis, diſtinctionis gratiâ, Nomina ſint neceſſaria: illi autem inter ſe aliam converſandi & intelligendi rationem à noſtrâ prorſus diverſam & nobis inexplicabilem habent. In Angelis itaque, tam Nominum, quàm externarum Formarum, aſſumptio eſt tantùm in accommodationem ad captum humanum; cùm in cœlo, nec Nomina nec externas Formas habeant, nec inter Deum & illos unquam eſt ſermocinatio, aſſâ voce, aut diſertis verbis, in ullâ Linguâ, ſed tantùm communicatio per intuitum, ſeu mentalem quandam intuitionem & intelligentiam nobis incognitam. Ideóque futulis eſt quæſtio, *Quænam lingua erit in cœlo, an Hebraica vel alia?* cùm ibi non futura ſit ulla lingua, nec *Hebraica*, nec alia. Sed quamvis Beatorum Animabus in cœlo non neceſſarius ſit Sermo, refictis tamen corporibus, in novâ terrâ, à Divo *Paulo* memoratâ, neceſſarius erit. Quænam itaque in terrâ renovatâ & reparato Mundo futura ſit lingua (in omnium rerum reſtitutione,) poteſt eſſe quæſtio. Si autem in cœlo nullæ ſint voces, nec ſoni, ſed altum ſilentium & perpetua tranquillitas, illæ *Laudes* & *Cantationes* & *Celebrationes* quæ in Sacris Scriptis memorantur, non factæ, nec faciendæ ſunt, audibiliter & vocaliter, ſed intelligibiliter & intentionaliter & mentaliter per Exertionem Divinam & Intelligentiam pluſquàm humanam, quâ Creaturæ ſuum Creatorem intuebuntur, & agnoſcent, & intelligent, & viciſſim ab eo agnoſcentur & intelligentur. Ut enim Voluntas Divina eſt & erit

erit peculiari modo hominibus revelata & illuminatis mentibus inſpirata, ſic etiam à noſtrâ parte Dei Laudes erunt tantùm cordialiter, ex abundantiâ gaudii in illo, eſſendo Beatificæ Viſionis fruitione felices. Nam Deus, qui *Mens pura*, aliorum omnium *mentes à longinquo novit*, abſque loquelæ ſono: cùm habere opus Sermonis, argueret (quod abſit!) imperfectionem in Deo, qui eſt ὁ Καρδιογνώστης, tam Hominum quam Angelorum cogitationes noſcens, prout dicitur, *novit quid eſt in Corde Hominum*, cum ejuſmodi dictis aliis. Ille quidem aliquando per ſe, aut Angelos, dignatus eſt vocem aſſumere & fingere, ſeu imitari, & audibiliter loqui, gratiâ hominum, qui alia & altiora quàm quæ audiverint, non capiunt; & quæ non viderint, mente non concipiunt nec comprehendunt, nec adæquatam de eis notionem habere poſſunt. Sed tandem, quando mentis oculi erunt aperti, & anima divinâ inſpiratione & cœleſti inſtinctu informata, tum omnia erunt nobis patentia & oculis noſtris conſpicua, & Spiritus, jam inviſibiles, tunc ſuâpte naturâ erunt nobis viſibiles, ſubſtantialem & rationalem eorum Formam videndo. Chriſtus quidem & Beati homines, qui jam in cœlo corporaliter exiſtunt, habentes ſermonis organa, proculdubiò poſſunt naturaliter loqui; ſed eis non eſt opus loquelæ, quia *cognoſcunt prout cognoſcuntur*, & alio modo vident & percipiunt ut Angeli Dei. Deus quidem (quantum nobis mortalibus ex S. Scriptura colligere liceat) nunquam locutus eſt ad homines; ſed quando is dicebatur *loqui*, tum Angelus à Deo & ejus Nomine *loquebatur*; (ut inquit Propheta quidam) *Angelus locutus eſt ad me per Verbum Domini*. Et hoc ſemper ſubintelligendum eſt, quamvis non tam expreſſè dicatur. Ad quid enim habet tot miniſtros, ſi ipſe omnia propriâ perſonâ peragere dignaretur?

Et ut de Angelorum nominibus, ita etiam ſentiendum eſt de Nominibus Stellarum, (ut *Aſh*, & *Aïſh*, & *Chesîl*, & *Arcturus*, & *Orion*, & *Pleiades*, &c.) ſcil. quòd non à Deo, ſed ab aliis pro arbitrio impoſita fuerunt. Nam quamvis Deus dicatur *noviſſe ſtellas, & eas omnes nominibus ſuis vocâſſe*, his verbis non intelligitur omnes Stellas habere nomina particularia, ſed, quaſi haberent, tantùm declaratur maxima Dei potentia, quòd ſc. in genere omnia novit, etiam hominibus impoſſibilia; & pro exemplo, quòd particulariter novit Stellas, non tantùm majores, ſed & minores, quamvis ſint multæ myriades nobis incognitæ & indiſtinctæ quæ *Viam lacteam* faciunt & implent. Non tamen per aliqua nomina à ſe impoſita eas novit, cùm Deus non utatur prolato ſermone, aut colloquio ullo, (niſi ex miſericordiâ erga

homines,) nec eo opus habet, quod in illo (ut dictum) imperfectionem argueret: nam illius *velle*, eſt loqui & præcipere; & illius *velle ſcire*, eſt reverà ſcire. Deus quidem novit ſtellarum nomina à nobis impoſita, (quamvis eis non utatur,) quia eſt omniſcius: nos autem earum paucis, eiſque majoribus, impoſuimus nomina, cùm reliquæ earum turbæ ſint innominatæ. Si quis Stellis daret ſecundùm earum naturam nomina, in genere eas vocaret *Terrellas*, & in ſpecie *has vel illas Terrellas*; cùm ſint Corpora opaca quale eſt Terra, & earum lux ſeu ſplendor ſit accidentalis, à Sole mutuatus; ſintque ſicut totidem Mundi, non quidem habitati, ſed habitabiles, ſi Deo aliquando videbitur.

Quoad Angelorum nomina apud *Perſas* & *Chinenſes* & quaſcunque nationes S. *Biblia* non amplectentes, ea non ſunt profecta ab ipſorum Angelorum ore, ut *Ego ſum ὁ θεῖνα*, ſed ſunt prorſus pro arbitrio hominum qui ea excogitârunt & ſuæ hypotheſi aptârunt. Perſica nomina ſuprà exhibentur. *Sinica* in ſuo *Calendario* extant, ubi inter alia ſunt *Çan-tchegh*, & *Çen-ſhu*, & *Po-ſū*, & *Liè-ſù*, qui IV Anni quadrantibus præſunt. Hoc modo de eis quæ ardua & ſupra nos ſunt, loqui tentavimus: ſi quis nobiſcum non ſentit, liberum eſt ei judicium. Difficile eſt de Deo ſatis dignè loqui: ſi quid de eo indignum protulimus, ipſe pro infinitâ ſuâ miſericordiâ imbecillitati noſtræ condonet, & conatibus noſtris faveat, ut ſemper id quod eſt θεοπρεπὲς, de Deo loquamur ἀνθρωποπαθῶς.

Cap. XXI.

De veterum Perſarum Legiſlatoribus. De Eccleſiæ primitivæ & orthodoxæ Religionis ſtatu: atque de Hæreticis & eorum Hæreſibus ac Sectis, ubi de Manete, Mazdek, &c.

QUibus aliis nominibus vocatus fuit *Abraham* Perſarum Patronus & Legiſlator primus, ſuperiùs dictum eſt. Quamvis verò ſuam Religionem ſoli *Abrahamo* acceptam referre prætendant, conſtat eos poſteà habuiſſe plures diverſis temporibus Legiſlatores, ſed qui fortè *Interpolatores* potiùs dici meruêre. Miſſis itaque temporibus, quibus Perſæ

Perſæ & Medi fuerunt Exarchia *Aſſyriorum*, per plus quàm mille annos, de quibus temporibus nihil ſcimus, properamus ad initium Monarchiæ *Medicæ*, quando, excuſſo Aſſyriorum jugo, veteris Religionis ſtatus renovari cœpit, *Inſtauratore* primo Medorum Rege كيومرس *Keyomáras*, cujus Dogmatum reliquiæ ex *Shahriſtanio* infrà in medium adducentur. Is itaque erat vetuſtiſſimus Medorum Rex, Regni & Religionis Inſtaurator ſemper memorabilis, cujus nomen in modernioribus Libris eodem ſono ſcribitur كيومرث: nam lit. ث apud Perſos ſonat ut *s*. Hoc nomen (quaſi eſſet سب اكد *Chaiomer*,) apud *Chondemîrum* Perſam prorſus ineptè, tanquam ex linguâ *Aſſyriacâ*, exponitur زندهٔ گويا *Vivens qui loquitur*. Ab eo, veterum plurimi amabant vocari *Keyomarſii*, ſeu *Keyomarſitæ*, ſive *Keyomarthitæ*.

Apud *Perſas* in *Indiâ* degentes aliud celebratur nomen Legiſlatoris, quem dicunt fuiſſe *Primum*: qui itaque fortè fuerit idem cum præcedente, quamvis alio nomine vocetur پوريوكشنگ *Porecdekéſhangh*, ſub quo agnoſcunt ſe habuiſſe Religionem in multis diverſam ab eâ quam *reformatam* eis poſteà tradidit *Zerdùſht*.

Igitur poſt prædictum *priorem*, Legiſlator *proximus* fuit زرتشت *Zerdùſht*, qui ab iis itaque habetur & appellatur امام آخر در ملت ابراهيم *Antiſtes poſterior in Religione Abrahami*. Iſte floruit & (ut fidem mereretur,) prophetiam jactitavit tempore *Darii Hyſtaſpis*, cui ſuas opiniones & in Religione Reformationes credendas & admittendas propinavit, & illas ei tandem obtruſit. Is itaque receptam tunc Religionem in multis à *Sabaiſmo* repurgavit, & novos Ritus & Cæremonias condidit, & hoc modo *Hyſtaſpi* tradidit *reformatam*; quam ad hodiernum diem immutabilem retinent, eum ut Prophetam, & ejus Opera ut *Sacra ſua Biblia* (fidei & morum Regulas continentia,) æſtimantes, & ut inæſtimabile κειμήλιον conſervantes. Is ab *Olugh Beigho* & *Abu Mohammed Muſtapha* decoratur Titulo حكيم *Docti*, ſeu *Philoſophi* atque *Mathematici*, qui multos Libros ſcripto conſignavit in *veteri Linguâ Perſicâ* & in *vetuſto Charactere*, quos Perſis ut perennia ſuî Monumenta reliquit: eos enim Libros tam ſacros æſtimant & laudibus efferunt, ut pro Verbo Dei habeant: & quamdiu in Orbe aliquis de veteri illâ Gente ſupererit, illi Libri non intercident. Is itaque primitivam Magorum Eccleſiam pacatam reliquit, quæ diu inconcuſſa manſit.

At

At poſteà irrepſerunt aliquot Innovationes, partim per *Alexandrum Magnum*, & partim per alios: & tandem Regi *Ardeſhîr Bâbecân*, circa ducentis poſt Chriſtum annis, ſuborta ſunt quædam in Religione Dubia. Unde, ne Religio intercideret, & ut Rex in orthodoxiâ contineretur, ei ſatisfacturus ſurrexit alius Perſarum Legiſlator *ultimus*, cui nomen ارداویراف *Ardâvirâph*, ſeu ut illi ſonant, *Erdâvirâph*, qui aliquando, disjuncto nomine, vel *Erdâ*, vel *Virâph*, ſubinde dici ſolet. Iſte Rex fuit Religionis *Zerduſhti* Aſſecla, illiúſque Fidei Defenſor publicus. Sed cùm quædam dubia & ſcrupula de futuro ſtatu privatim ei ſuborirentur, ad eorum ſolutionem convocavit totum regni ſui Clerum (vel potiùs *Præſules*) ad Concilium generale, & convocandi cauſam coram omnibus declaravit, prout ſequente modo in dicti Legiſlatoris Libro traditur;

چو پیش تخت شد انبوه دانا	*Cùm coram Solio eſſet multitudo Doctorum,*
بدیشان گفت شاهنشاه یادا	*Eis dixit Rex Regum prudentiſſimus,*
که آن دینی که یزدان گفت زرتشت	*Eam Religionem quam Deus dictavit Zeratuſhto,*
بدان دین گشتش شاهنشاه هم پشت	*(Cujus etiam Religionis Rex fuit ſuſtentator,)*
دمایند آن بمن تا شک زگیهان	*Demonſtrent eam mihi, nt Dubium è Mundo*
کنم دور وبدیرم دین یزدان	*Procul arceam, & Dei Religionem amplectar.*
همی خواهم که زآن برهان دمایند	*Cupio ut mihi demonſtrationem afferant,*
حقیقت بر همه گیهان دمایند	*Et veritatem toti Orbi demonſtrent.*
چو شاهنشاه بگفت این موبدان را	*Cùm Regum Rex hæc Præſulibus dixiſſet,*
فرستادند ایشان قاصدان را	*Ipſi emiſerunt Curſores*
بهر جای که موبد بود ودستور	*Ad omnem locum ubi fuit Præſul aut Antiſtes,*
اگر نزدیک وگر بودند از دور	*Sive prope eſſent ſive procul remoti:*
خبر دادند از آن گفتار وکردار	*Notitiam dederunt Dictorum & Factorum.*
بدان حالت همی جستند شان بار	*Eo momento quæſiverunt ſibi viam.*

Quando

چو بشنیدند آن موبدان سبک راه	*Quando hoc audiverant viri leviter euntes,*
بیاوردند دستوران را سوي شاه	*Adduxerunt Præſules ad præſentiam Regis:*
همان دانا که بودند اندر عالم	*Tot inquam Doctos qui erant in Mundo,*
زتخم موبدان وهیربد هم	*De ſemine ſimul Præſulum atque Sacerdotum.*
بدرگاهي شه از دستور وموبد	*Ad Aulam Regis Præſulum atque Antiſtitum*
بیامد چل هزاران فاضل از رد	*Venerunt quadraginta millia, qui apprimè erant Sapientes.*

Iſta *Præſulum* ſeu Antiſtitum Synodus *Paradiſi* & *Gehennæ* ſtatum ad Regis ſatisfactionem fusè repræſentandum curârunt, ut in Libro *Erdâvirâph-nâma* (unde hæc deſcripſi,) prolixiùs docetur. Perſarum Sacerdotes in *Indiâ* hanc dictam hiſtoriam paulò aliter ſequente modo narrant: *quòd* ſcil. *dictus Rex Ardeſhîr, de aliquot rebus magni momenti in Religione conſulturus, omnes ſui regni Præſules ad generale Concilium convocavit, numero* 80,000, *è quibus rurſus ſelegit* 40,000, *ex his rurſus* 4000, *ex quibus* 400, *ex his* 40, *è quibus* 7, *ut omnium ſapientiſſimos, ſibi ſelegit. Et inter hos Septem, invenit alicujus Deſtûr, ſeu Præſulis, filium nomine Erdâvirâph, qui ab utero fuit moribus probus & à mali imputatione prorſus immunis. Hunc Rex pro Religionis ſuæ Reformatore aſſumpſit; cùm quædam in ſui temporis Religione ei non arriderent, nec tamen novam Religionem, niſi à cœlo deductam, amplecti voluit.* Illum itaque ad cœlum aſcendiſſe (ſeu potiùs in ecſtaſin cecidiſſe) hoc modo tradunt: ſc. *Corpore benè loto & novis veſtibus induto, is ſuper menſâ mundo linteo opertâ dormitum ivit, poſtquam reliqui ſex Præſules vini ſoporiferi tria vitra ei propinâſſent. Deinde alio mundiſſimo linteo opertus dormiens, ecſtaſin paſſus eſt, quo tempore Anima è corpore exiviſſe credita. His factis, Rex corporis ejus cuſtodes aſſignavit VI illos Præſules, cum quibus & ipſe in propriâ perſonâ adfuit. Iſtis interim per VII integra Nychthemera cum jejunio juxta eum orantibus, poſt dictum Septendium, Animâ ejus in corpus redeunte evigilavit, &* (enthuſiaſmo imprægnatus) *dixit ſe fuiſſe apud Deum; & narrando quanta mirabilia in altero Mundo vidiſſet, accerſivit Scribam qui omnia ſcripto conſignavit.* Sic illi. Et profectò miri, & penè incredibiles, ſunt iſtiuſmodi apud eos potionum effectus, de quibus fortè aliâ occaſione plura.

Vide-

Videtur itaque, *Zerduſhti* Religionem multis mutationibus & innovationibus penè labefactatam fuiſſe, &, ut reſtitueretur, Sacerdotes hanc excogitâſſe artem, quâ Rex deluſus putaret veteris Religionis Confirmationem à cœlo ratam. Nam in Libro *Shahnâmaneſr*, quem poſſideo, in dicti Regis Vitâ narratur; *Quòd Ardeſhîr Babecân, Alexandri Magni Ordinationes incaſſans, Guſhtaſpis Sectæ tolerationem conceſſit: & Zerduſhti Religionem renovaturus, à Magorum Præſulibus & Sacerdotibus poſtulavit Miracula, quæ præſtiterunt. Ea itaque videns Rex, Zerduſhti Religioni fidem adhibuit, & alios omnes ad eandem amplectendum coëgit.* Deinde in eodem Libro, in Vitâ *Shâbur*, memoratur; *Quòd quando in regno inauguratus eſſet Ardeſhîr, ipſe Rex à Magorum Præſulibus miracula poſtulavit; quæ cùm præſtiterant, tunc Erdavirâph, per totam Septimanam pro Religione argumenta proferens, omnia quæ de Gehennâ & de Paradiſo vera ſunt, in medium adduxit, & miracula etiam patravit: unde aliqui, ejus Miraculis fidem adhibentes, ipſius Religionem amplexi ſunt; dum alii fidem ei non adhiberent, dubitationem & ſcrupulum tunc adhuc retinentes; quorum numerus erat* 80,000 *hominum. Cùm autem Rex Shâbur ad Solium regni Perſidis evectus eſſet, Præſules & Sacerdotes, Religionis ſtatum intelligentes, eum de hac re certiorem fecerunt. Et tum Rex ab omnibus Præſulibus & Sapientibus poſtulavit ut omnem dubitationem tollerent, ita ut homines, indubii facti, rectam Religionem in pedes erigerent. Tum ſurgens quidam Præſul, dictus Adurabâd Mahrâſphand, in ſe ſuſcepit, ut ſi Rex juberet, ille omnem dubitationem & ſcrupulum removeret. Rex quæſivit quomodo id facturus eſſet? Ea* (inquit) *quæ Erdavirâph de Gehennâ & Paradiſo in medium adduxit, ego ulterius explicabo, & à capite ad pedes nudus ſedebo, dum XVIII libras liquefacti Æris in corpus meum fuderint: & quando illud Æs, inſtar Ignis ardentis, in corpus meum ex catino effundunt, ſi corpus meum, vel in uno aliquo loco, indiguerit Emplaſtro, tunc omnia quæ Erdavirâph dixit, reputabuntur falſa. Sed ſi ne unus in me pilus aduratur, tum omnia reputabuntur eſſe vera. Omnes itaque iſto Experimento contenti ſunt. Tum Adurabâd Mahráſphand, qui ex Erdaviraphi familiâ fuit, nudato corpore ſedebat, dum XVIII libras liquati Æris, ad inſtar Ignis ardentis, in corpus ejus fuderunt: quo facto, ne pilus quidem in membris ejus læſus eſt, nec ullus in corpore ejus locus Emplaſtro opus habuit. His factis, omnis dubitatio ſublata ac amota eſt, & univerſi hanc Religionem amplexi ſunt.* Hoc modo, iſte dictus Religionis Confirmator, in eâdem etiam quaſi Legiſlator haberi debet.

Præter

Præter ſupradictos in Religione *Legiſlatores*, memoratur celeberrimus quidam Magus, dictus *Zavâghâr*, ſeu *Zhavâghâr*, de quo nihil peculiare memoriæ proditum eſt, niſi quòd in hac Religione fuit *Antiſtes maximus:* ſed quo tempore floruerit, & an aliquod monumentum ſuî ſcripto conſignatum reliquerit, non dicitur. De eo *Ruſtemi Epitomator* Turcicè refert, زواغار كشيشلر اراسنده مشهور بر كشيشدر *Zavâghâr inter Sacerdotes celeberrimus quidam Sacerdos fuit.* Apud alios زواغار نام مغيست از مجوسيان *Zavâghâr ex Maguſæis nomen cujuſdam Magi eſt.* In Libro *Halîmi Perſico* legitur *Turcica* explicatio, زواغار اوده طپان كافرلر اچنده بر اولو امامك آديدر *Zhavâghâr, inter Ignicolas infideles, eſt alicujus magni Antiſtitis nomen.* Sic, ut vides, iſte *Mohammedanus* Scriptor non ſatis decenter memorat religioſiſſimi Magi nomen, quod ſuprà monuimus expectandum. At Lector heic monendus eſt, quòd ut pleraque MS *Lexica Perſica* Scribarum erroribus ſcatent, ſic in hoc loco inſignis eſt Scribæ ignorantia & incuria, ubi in Libro *Nim. Sion.* in hacce explicatione, pro امام *Imâm, Antiſtes,* legitur ايام *Ayâm, dies* in plurali, ſine ſenſu commodo: & hinc *Ruſtemus* in ſuâ Explicatione legit, براواو گوندير *eſt magnus quidam Dies,* ſc. Feſtus: pro eo quod debuerat legiſſe براولو امامدر *eſt magnus quidam Antiſtes.* Et tamen erroneam illam Interpretationem ſecutus eſt D. *Golius* per lit. G. citatus in *Caſtelli Lexico Perſico* erroribus ſcatente.

Hoc modo, antiqua Religio, per *Erdavirâphi* & Sacerdotum prudentiam & aſtutiam, reſtituta fuit, & ſuper veteri fundamento ſtabilita. Sed, ut in pleriſque regnis, Eccleſia haud ſolet eſſe diu tranquilla ejuſque Pax durabilis, quin ab Innovatoribus & Hæreticis & Diaboli inſtrumentis ſæpiùs turbetur; ſic fuit in iſtâ *Magorum* Eccleſiâ, cujus ſtatus haud diu ſolebat manere pacatus, quin ab improbis hominibus & Sectariis, tanquàm è Tartaro pullulantibus, turbaretur. Nam hæc Eccleſia non fuit diu quieta, antequam dictum Regem *Shâbur* ad Hæreſin ſeduceret ac pelliceret *Manes* Perſa, in eorum Libris dictus ماني دغاش *Mâni pictor:* nam talis fuit profeſſione ſuâ; à quo nomine denominatus eſt ماذوي *Mânavi, Manichæus,* ſeu in plurali ماذويون *Manaviyûna, Manichæi.* Ille apud *Ibn Shahnam* Hiſtoricum *Arabem* vocatur ماني الزنديق *Manes Saducæus:* apud *Shahriſtanium,* ماني بن فاتن الحكيم *Manes Ibn Phaten Doctus,* ſeu *Philoſo-*

phus. At pro *Phâten* legendum *Phatec:* nam Pater fuit Πατέκιος, & Mater Κάροσα. Iſte Hæreticus voluit eſſe Legum novarum in Religione Lator, ex Libris hæreticis, unde hauſit virus ſuum lethale, præſertim ex *Scythiani* Evangelio & aliis, de quibus poſteá. Iſtius Religio (inquit *Shahriſtâni*) media fuit inter eam *Dualiſtarum* & eam *Magorum*; ego addam, & inter eam *Chriſtianorum*.

Epiphanius docet, quòd iſtius Hæreſis Sator primus fuit *Scythianus*, Vir literatus, qui ſcripſit IV Libros, quorum unum nuncupavit *Evangelium*. Hujus Opiniones & Libri poſteà derivati ſunt ad *Terebinthum*; qui in *Perſiam* concedens, ut meliùs celaretur, tranſtulit nomen ſuum in *Buddam* (rectiùs بطم *Butm*, ſeu *Budm*,) *Terebinthum* ſignificans. Iſte autem ab alicujus domûs Tecto præceps ruens (dum miraculum jactaturus eſſet, ut fecerat etiam *Scythianus*,) miſerè periit. Unde tam dictæ Opiniones quàm Libri, hæreditario jure, ceſſerunt huic *Mâni*, quem *Epiphanius* dicit ſeipſum hoc nomine donâſſe à מאן *Mân*, quod *Babylonicâ* Linguâ eſt *Vas*, quaſi inſinuaret ſe eſſe ſelectum Vas ad bonum opus deſtinatum: quòd autem verum ejus nomen fuit *Cubricus*, vel ut D. *Auguſtinus* habet, *Urbicus*. Verum quidem eſt, quòd in Linguâ *Aſſyriacâ* & *Chaldaicâ* מאן *Mân* ſeu מנא *Manâ* (*Syris* ſonat *Mono*,) ſit *Vas*. Sed cùm, dicente *Epiphanio*, is fuit genere *Perſa*, cur ejus nomen petatur ex Linguâ *Chaldaicâ*, potius quàm ex *Perſicâ*, non ſcio. Cùm itaque in omnibus *Arabum* & *Perſarum* libris conſtanter vocetur ماني *Mâni*, hoc verum ejus nomen *Perſicum* fuiſſe tutò credamus. Hinc *Græcis* & aliis vulgò audit Μάνης.

Utcunque tamen fuerit, impius iſte *Mâni*, cùm eſſet profeſſione *Pictor*, impiorum Dogmatum ſuorum Librum (ut ſpecioſior appareret oculis, & eo nomine multò gratior eſſet,) eleganter, quà potuit, depinxit, & varii generis picturis ornavit & decoravit, & Perſicè illum vocavit ارتنگ *Ertèngh*, ſeu ارژنگ *Erzhèngh*, ſive ارجنگ *Ertchengh*, vel abbreviatè چنگ *Tchèngh* & تنگ *Tengh*. Quia verò *Manetis* picturarum Liber dicebatur *Tengh*, inde, apud Perſas, hoc nomen tranſlatum eſt ad quemvis alium picturarum Librum, ſive *Zeuxis*, ſive aliorum. Hinc in Libro *Pharh. Gj.* legitur تنگلوش *Tenghi-Leux*, & تنگلوشا *Tenghi-Leuxe*, perperam, pro eo quod rectiùs legi debet تنگزوش *Tenghi-Zeux* & تنگزوشا *Tenghi-Zeuxe*, i. e. *picturarum Liber Zeuxis*. Sic enim ibidem exponitur تنگزوش تنگار نامهٔ دقاش روم

Tenghi

Tenghi Zeuxis eſt picturarum Liber pictoris Græciæ, ſcil. *Europæi*; prout ارتنگ نگار نامهٔ نقاش چین *Ertengh eſt picturarum Liber pictoris Chinæ*, ſcil. *Aſiatici*. Apud *Ruſtemi* Epitomatorem legitur, چگل نگار خانه چین یعني اول بتخانه که چین مملکتنده مانی استاد نقش اتمشدر *Tchighîl eſt picturarum domus Chinenſis, ſcil. illud Delubrum quod in regno Chinæ Manes Magiſter pinxit.* Quod autem dicunt de *Chinâ*, intelligendum eſt de *Turkiſtân*, ubi *Manes* commoratus eſt. Et ibidem eſt alia Eccleſia dicta غلبیله *Ghalbîlâ*, quam *Manes* picturis ornavit. Et ibi eſt urbs *Tchighîl*. Ille enim nunquam fuit in *Chinâ*. Ut autem nefandum ejus انگلیون *Enghelion*, ſeu *Evangelium*, ex nomine diſtinguatur ab *Evangelio Chriſti*, *Perſæ* docent, quòd ubicunque *Chriſtus*, *Chriſtianus*, *Crux*, *Zona*, *Syrus*, aut ſimilia, cum eo nomine commemorantur, ibi intelligendum eſt *Chriſti Evangelium*. At ubi cum illo nomine commemorantur *Pingere*, *Pictura*, *Roſa*, *Tulipa*, aut colorum varietas, ibi intelligendum eſt *Manetis Evangelium* pictum, ſeu *Ertèngh*, ſc. Picturarum Liber in quo Dogmata ſua & Revelationes ſcripſit, unde ſuum venenum hoc modo fucatum hominibus propinavit.

Hujus Hæretici hiſtoriam prolixè narrat *Epiphanius*, quem videas: nolo repetere. *Shahriſtâni* in Libro *de Religionibus Orientis* de eo refert; *Mâni apparuit tempore Shâbur filii Ardeſhîr, & occidit eum Behrâm filius Hormuz filii Shâbur. Ille Amplexus eſt Religionem inter Magiſmum & Chriſtianiſmum, aſſerens Prophetiam Chriſti, ſed non aſſerens Prophetiam Moſis. Mohammed Ibn Harûn, dictus Ibn Iſa Al-Warrâk, dicit, Originitùs fuit Magûſæus, agnoſcens Sectas populares. Manes enim opinatus eſt Mundum eſſe compoſitum & factum ex duobus Principiis æternis, quorum unum Lux, & alterum Tenebræ, quæ credidit eſſe à priori æterna, & non defectura, nec abolenda: & negavit aliquid exiſtere quod non eſſet à principio æterno. Opinatus eſt nunquam abolendas facultates ſenſitivas audiendi & videndi*, cum multis aliis. Deinde pergit narrare, *Quòd Manichæi inter ſe diſſentiebant de mixtione Lucis & Tenebrarum, & de causâ Liberationis*, quæ narratu prolixa & futilia.

Megjdi, Hiſtoricus *Perſa*, narrat varias fuiſſe *Manichæorum* Sectas. ut حروفي *Literales*, نقطوي *Punctuales*, تناسخي *Metempſychoſios*, &c. *Et quòd Rex primò Manichæiſmum amplexus eſt: at poſteà reliquit, &*

ad Magiſmum rediit. Orientales ajunt, quòd ex pictoriæ Artis, quâ excellebat, ſuperbiâ elatus, ſe Prophetam venditavit. Ferunt eum potuiſſe ad XX ulnarum longitudinem ducere lineam, in quâ applicando normam nulla curvitas deprehendi potuit. *Perſarum* Hiſtoricus *Chondemîr* narrat; *Quòd Manes, Saducæus, fuit egregius Pictor & Sculptor: qui poſtquam audierat quòd Jeſus ſe Paracletum declarâſſet, Diabolus lapideæ cordis ejus tabulæ inſculpſit ſuggeſtionem, ipſum eſſe dictum Paracletum. Quòd tempore Shâbur filii Ardeſhîr Babecân prophetiam jactabat: cùmque Shâbur eum interficere quæreret, aufugit in Turkiſtân, ubi multos ſeduxit. Poſteà ibi inveniens ſpeluncam, ubi optimæ aquæ fons erat, ibi clanculùm repoſuit annonam ad unius anni ſpatium duraturam, & Aſſeclis ſuis prætendebat ſe ad cœlum aſcenſurum, & poſt unius anni ſpatium ſe rurſus ad eos deſcenſurum. Quocirca ſeipſum ab eis ſubducens, in dictam ſpeluncam abiit, ibique ad præſtitutum tempus permanſit. Et deinde rurſus comparens, produxit Tabulas egregiè pictas, quas Ertengh-Mâni vocant, affirmans ſe eas à cœlo accepiſſe: unde plurimi ei fidem adhibuêre. Deinde in Perſidem feſtinans, Regem Behrâm ad ſuam Religionem invitavit; & quidem Rex fuit ex primis qui ejus dictis fidem adhibuit: & cùm Aſſeclæ ejus multi evaderent, Magorum Doctoribus præcepit ut cum eo diſputarent. At tandem omnes qui ſervitio ejus addicti erant, Regis Behrâm juſſu, occiſi ſunt, & fervoris ejus ignis hoc modo extinctus.* Sic ille. Nam Rex *Behrâm* interfecit *Dualiſtas*, & *Manetem* in portâ urbis crucifixit. Cauſam verò cur morte plexus eſt, narrat *Epiphanius:* quòd ſcil. dum Regis filio ægrotanti medicinam adminiſtrare prætenderet, dictus filius ſub ejus manibus obiit. Quocirca Rex, meritò iratus, miſerum iſtum arundine excoriari juſſit. Et dicitur, quòd cutis ejus, paleis impleta ac infercta, diu in Perſide ſervata eſt. *Ibn Shahna* dicit *Manetem* ſcripſiſſe *Philoſophiam* quam vertit in Linguam Perſicam: eúmque extitiſſe Autorem Inſtrumenti Muſici dicti *Arabibus* عود *Oud*, i. e. *Teſtudo, Chelys.*

Hoc modo, viſis & perpenſis *Orientalium* de *Manete* ſententiis, deinde videbimus quid alii de eo corraſerunt. Profligatiſſimus iſte Nebulo, qui perditiſſimus *Veneficus* & omnis nequitiæ ſentina, apparuit circa initium Imp. *Probi*, circa annum *Chriſti* CCXC. De eo *Euſebius Eccl. Hiſt.* lib. 7, p. 155; *Chriſti formam & perſonam induere conatus eſt: & interdum Paracletum ſe vocans, Spiritum Sanctum de ſe prædicavit: & interdum ad inſtar Chriſti, XII Diſcipulos delegit.*

Peſſima

Peſſima ſua dogmata, tanquam venena, de Perſarum regione in noſtras partes tranſtulit.

Peſſimi iſtius Hæretici Hiſtoriam narrat *Cyrillus Archiep. Hieroſol. in Catecheſ.* 6. *In Ægypto erat Scythianus quidam, genere Saracenus, nihil commune cum Judaiſmo, nihil cum Chriſtianiſmo habens. Vixit Alexandriæ, vitam Ariſtotelicam imitans, & compoſuit IV Libros:* 1, *Evangelium, non Chriſti facta, ſed nudum nomen, continens:* 2, Κεφαλαίων *Capitum:* 3, *Myſteriorum:* 4, *Theſaurorum. Scythianus decreverat doctrinam ſuam propagare in Judæa: ſed obiit. Hujus Diſcipulus erat cui nomen Terebinthus, qui in Palæſtinam conceſſit; at in Judæa cognitus atque damnatus, ſtatuit ire in Perſidem: & ne agnoſceretur, vocavit ſe Buddam. Illic verò Adverſarios habuit Mithræ Sacerdotes, à quibus diſputando victus eſt. Ideóque ad viduam quandam confugiens, & in ſuperiorem partem domûs aſcendens, aërios advocavit Dæmones, quos, ad hunc uſque diem, Manichæi* ἀπὸ τῆς μυσαρᾶς ἰοχάδος *ſuper deteſtandâ caricâ invocant: & ibi Dæmonio correptus & de cubiculo dejectus, animam efflavit. Dicta vidua, cùm non haberet filium, pecuniâ emit puerum, nomine Cubricum, quem in Perſarum diſciplinis erudiendum curavit. Is, ſervitutis nomen exuens, appellari voluit Manes,* i.e. *Linguâ Perſicâ* Ομιλία: *nam quia Dialecticus alicujus nominis eſſe videbatur, ſe Manem, q. d.* Ομιλιτὴν *appellavit. Paracletum ſe eſſe jactitavit, & quæ hominem exuperant pollicebatur: & ſuſcepit per preces curare Regis Perſiæ filium ægrotantem, qui tamen obiit. Unde in carcerem miſſus eſt, & à Rege ſuſpendi juſſus. At è carcere fugiens, in Meſopotamiam venit, ubi Archelaus Epiſcopus diſputando eum confutavit. Tandem ibi rurſus fugam capeſſit: & Regis Perſiæ Satellites, omnimodâ inquiſitione eum quærentes & perſequentes, illum capiunt. Rex Mani jubet Perſico more detrahi pellem, quæ ad inſtar utris præ foribus ſuſpenſa eſt. Præcipui hujus diſcipuli tres fuerunt,* Θωμᾶς, *&* Βαδδᾶς, *&* Ερμᾶς.

Ομιλιτὴς, ſeu *Scholaſticus*, talis eſt qui apud *Maimonidem* in *More Nevochim* vocatur מדבר *Medabbèr*, ſeu متكلم *Motakéllim*. At ſupradicta vocis *Mâni* ſignificatio hodie non comparet in Linguâ *Perſicâ:* videat ergò *Cyrillus* unde habuerit illam interpretationem. De *Manetis & Manichæorum* dogmatibus, videas multa apud D. *Auguſtinum*, qui per IX annos fuit *Manichæus*. Præcipuè autem videatur *D. Tollii Itinerarium Italicum*, ubi Notæ Doctiſſimæ ad Fragmentum *Græcum*, quod eſt Solennis formula de *Manichæorum* reſipiſcentium Receptione in *Chriſtianam* Eccleſiam.

His

His proximè ſubjiciemus ea quæ corraſit *Beyerlink* p. 20. *Manes* Suidæ, è Brachmanûm gente, aliis *Perſa*, ſub *Probo* Imp. *Anno Chriſti* CCLXXVI, dæmoniacus naturâ & inſanus fuit. Ex virgine natum ſe, & in montibus educatum, ajebat. Præceptorem habuit *Buddam*, ſive *Terebinthum*. Diſcipulos XII vocavit: ex his tres, *Thomam*, *Hermam*, & *Addam*, Hieroſolymam, multo inſtructos auro, pro Libris *Biblicis* comparandis miſit. Ipſe interim, ut Dogma ſuum propagaret, filium Regis Perſiæ curare ſe poſſe profeſſus eſt: verùm *Magicâ Arte* malè ſuccedente, eum interfecit. In carcerem abripitur, & multo auro redimitur. Pòſt, cùm in caſtello *Arabione*, inter Meſopotamiam & Perſiam degeret, à Perſarum Rege comprehenſus, arundine vivus fuit excoriatus. *Vetus Teſtamentum* rejecit, & Deum illius convitiis laceſſivit. Duos enim æternos & ingenitos ſtatuit, Deum *Lucem*, & Materiam *Tenebras*. Chriſtum in *Phantaſmate* tantùm apparuiſſe. Semetipſum *Spiritum* S. profeſſus eſt. Mundum à Deo malo factum eſſe dixit, & prodigioſa multa finxit. Fatum induxit. Hominem non à Deo, ſed à Principe Materiæ, quem *Saclam* nuncupavit, factum fuiſſe. Coæternas Deo hominum animas, diverſa corpora ſubire, quam μετενσωμάτωσιν vocat *Suidas*. Elementa eſſe animata, & reliqua Corpora omnia. Baptiſmum ſuſtulit. Euchariſtiam cum ſemine humano ſumere juſſit. Sectatores ipſius Dæmones colebant, Elementa adorabant: Deos Ethnicos invocabant, animatis abſtinebant, nuptias tollebant: ut ſiquis duceret uxorem, μετεμψυχώσει in corpus migraret muliebre. Fœminæ conceptum, *Carcerem Dei* appellabat. Magiſtratus civiles à Deo malo conſtitutos dicebat: Bella quoque damnabat, & Agriculturam, utpote multorum homicidiorum ream: nam ſi quis plantâſſet arborem, aut vitem, ipſo mortuo, animam illius ramis alligari, neque tranſcendere illos poſſe. *Magos* & *Aſtrologos* ſectabatur: & ſe ſuóſque peccare non poſſe ajebat. Animas ſuorum in Lunæ Globum recipi, & hinc Plenilunia exiſtere, quando impletur Animis: decreſcere autem, quando à Lunâ, minore veluti à Scaphâ, in Solem deportantur. Paradiſum vocabat Mundum: ardores ejus eſſe Concupiſcentias. Animas ſolas abſque corporibus reſurrecturas ajebat. Arundinibus incubabat. Judicium extremum tollebat. Diem quo *Manes* occiſus eſt Βῆμα vocant & religioſe colunt: [ſc. aliquod Βῆμα *Sellam elevatiorem*, ad quam per gradus aſcendebatur, eo die pretioſis pannis tectum collocabant.] In *Græciâ* Diſcipuli non *Manetem* (ἀπὸ τῆς μανίας,) ſed Μαννίο χέον (ἀπὸ τᾶ χέειν μαύνα) vocabant. Hactenus *Beyerlink*.

Plura

Plura autem (ut ſuprà monuimus) ſciri poſſunt ex *Fragmento Græco* de *Manichæis*, & ex *Notis* quas adjecit Doctiſſ. *Tollius*; ubi inter alia, hæc leguntur: *viz.* Vixit *Centuriâ Tertiâ* ſub *Aureliano* Imp. cujus anno *quarto*, ſeu *Chriſti* CCLXXIV, per *Meſopotamiam* locáque contermina Hæreſeωs ſuæ venenum ſparſit. — *Mannichæos* ſe vocari volebant, ſicut à מנחה *Mannacha*, *Requies*. — Græcis, *Budda*. Empedoclis Opinionem amplexus dicitur, duo rerum pugnantia inter ſe principia ſtatuentis, Φιλίαν καὶ Νεῖκος *Amicitiam & Contentionem*. Verùm rectiùs à Perſarum Magis accepiſſe videtur, qui Ἀγαθὸν Δαίμονα & Κακὸν Δαίμονα ſtatuebant. — D. *Auguſtinus* ait eum ſecutum antiquos Hæreticos *Marcum & Cerdonem*, atque *Gnoſticos*, quorum Autor *Carpocrates*. —— Hæc duo ejus doctrinæ fuêre capita: Duo rerum eſſe Principia contraria, & æterna, & ingenita, quorum alterum Bonum eſſet, alterum Malum. Bonum, *Deum* ſeu *Lucem*, Malum, *Materiam* ſeu *Tenebras* appellabat. A Bono Deo, inviſibilem, infinitum, ac divinum Mundum creatum: à Malo, viſibilem ac malum, profundâ ac immensâ magnitudine: hoſce verò duos Mundos conjunctos bonæ malæque naturæ participare. Divinam partem ex omni Mundi parte quotidie purgari, & in ſua regna revocari, eandem per terram exhalantem, & ad cœlum tendentem, incurrere in ſtirpes & plantas, &c. quæ in Electis, comedendo, purgata liberataque, in cœlum redeant. Mundi tenebrarum, ſeu terræ peſtiferæ, quinque eſſe *Elementa*, ſeu *Antra Elementorum*, aliud *Tenebris*, aliud *Aquis*, aliud *Ventis*, aliud *Igne*, aliud *Fumo* plenum. Hæc Elementa Principes ſibi proprios genuiſſe; quorum Dux ac Princeps ſummus in *Fumo* moraretur. In *Fumo* nata animalia bipedia, indéque homines originem ducere: in *Tenebris* ſerpentia: in *Igne* quadrupedia: in *Aquis* natatilia: in *Vento* volatilia. His V Elementis malis debellandis alia V Elementa de de regno & ſubſtantiâ Dei miſſa eſſe, & in illâ pugnâ fuiſſe permixta, *Fumo* aëra, *Tenebris* lucem, *Igni malo* ignem bonum, *Aquæ malæ* Aquam bonam, *Vento malo* Ventum bonum. Animam hominis duplicem eſſe: harum alteram bonam, à Luce creatam, partem eſſe Dei: adventitiam alteram, malam, de gente Tenebrarum, quam non condiderit Deus, ſed quæ tamen Deo ſit coæterna. Hanc propriam corporis eſſe: nam & Corpus productum à Tenebris. Rationalem Animam, ſeu divinam, brutis quoque animalibus ineſſe, ut & plantis: ab adverſario verò Dei correptam, in ſpurcum corporis carcerem fuiſſe conjectam. Ab animâ bonâ, omnia homini bona provenire: contrà, ab animâ malâ, quicquid illi accidat mali. Animas tranſire

in

in alia corpora; item in pecora, & plantas. Auditorum verò ſuorum Animas in Electos revolvi, aut feliciore compendio, in Eſcas Electorum; ut jam inde purgatæ in nulla corpora revertantur. Animas in arboribus & plantis divina non poſſe percipere præcepta, nec ſapientiores fieri: veruntamen vivere, & audire voces noſtras, & verba intelligere, & corpora motúſque corporum intueri; cogitationes denique ipſas perſpicere: ſentire etiam & dolere cùm lædantur, nec ſine cruciatu evelli carpíve poſſe. Solem & Lunam *Navigia* eſſe, quibus tam hominum quàm brutorum animæ, jam repurgatæ & lucidæ, in cœlum ſubvehantur. Lunam minus eſſe Navigium, ex *Aquâ bonâ* factum; quod acceptas primùm animas, poſt decimum quintum diem, Soli, ſeu majori Navigio, ex *Igne bono* facto, tradat. Ab hoc, Beatorum Animas in cœlum tranſvehi: cujus vitæ cœleſtis nulla fiat Anima particeps, quæ non *Manetis* diſciplinâ fuerit imbuta. In his *Navibus* ſanctas ineſſe virtutes, quæ ſe in maſculas transfigurent, ut fœminas diverſæ gentis illiciant, & per has illecebras, commotâ earum concupiſcentiâ, lumen de illis fugiat, quod membris ſuis permixtum tenent, quo purgetur ſuſceptum ab Angelis Lucis, purgatúmque illud navibus imponatur ad regna propria reportandum. *Adamum* & *Evam* commotâ adverſâ parte animæ malæ, à tenebrarum Principibus generatæ, ad concubitum declinâſſe: ita eos lapſos eſſe, & peccâſſe; ſed poſteà ſanctiùs vixiſſe. Legem *Moſaicam* à Principe Tenebrarum datam: inde quoque Prophetas ſua accepiſſe; omnéque adeò *Vetus Teſtamentum* eſſe rejiciendum. *Chriſtum* de maſſâ lucidiſſimâ molis divinæ profectum ad ſalutem humanam, non natum de *Mariâ Virgine*, quia carni concerni nequibat, niſi ſimul inquinaretur, ut ait D. *Auguſtinus lib.* V. *Confeſſionum*. Apparuiſſe illum *κατὰ φαντασίαν καὶ δόκησιν, ſpecie tantùm*, non reverà: caruiſſe enim humanâ naturâ, ſolâ præditum divinâ: atque ita quoque non reapſe paſſum, ſed pati viſum, exteriore homines ſpecie fefelliſſe. Fuiſſe eundem Serpentem in Paradiſo: ab eóque illuminatos *Adamum* & *Evam*, ut cognitionis oculos aperirent, & bonum à malo dignoſcerent. Veniſſe *Chriſtum*, ad Animas liberandas, non autem ad ſervanda corpora. Promiſſionem Chriſti de *Paracleto*, ſeu Spiritu Sancto, in *Manete* fuiſſe completam: ſeſe enim eſſe Spiritum Sanctum ajebat, ſéque eapropter *Apoſtolum Chriſti* vocabat. Fatum omnia regere; Fato fieri omnia. *Manichæiſmus* diviſus in aliquot Sectas, ſc. *Catharistas*, *Macarios*, & *Manichæos* ſpeciatim ita dictos. *Catharisti*, ſeu *Purgatores*, à purgando nomen accepêre. Exceptum namque farinâ ſemen virile in concubitu, ut id

pugarent,

purgarent, divinámque partem liberarent, hi boni viri comedebant. Hoſce tamen alii, pudore moti, à ſe repellebant. *Macarii* apud eos *illuminati* quoque dicebantur. — *Manichæi* porrò è duabus profeſſionibus Eccleſiam ſuam conſtituerunt, hoc eſt, *Electorum*, & *Auditorum*. *Electos* τελείους ſeu *perfectos* vocabant, quod omni vitio carerent. — Ex his Electis XII erant quos appellabant *Magiſtros*. *Manes* enim, ad imitationem Chriſti, XII Apoſtolos habuit. Hiſce tertius decimus præerat Magiſtrorum Princeps, uti Manes ſuorum erat Diſcipulorum. Ab his Magiſtris, è reliquo Electorum numero, LXXII ordinabantur Epiſcopi: & hi ſuos rurſus ordinabant *Presbyteros* ac *Diaconos*, qui idonei viderentur ad errorem hunc ſuum, aliis in locis, in quæ mittebantur, tuendum atque propagandum. Secundi gradûs *Auditores* erant, è quibus fuit *Auguſtinus* per IX annos, qui ait, *Auditores* apud eos appellantur qui carnibus veſcuntur, & agros colunt, &, ſi voluerint, uxores habent: quorum nihil faciunt qui vocantur *Electi*. Sed ipſi Auditores ante Electos genua figunt, ut eis manus ſuppliciter imponantur; non à ſolis *Epiſcopis*, vel *Presbyteris*, vel *Diaconis* eorum, ſed à quibuſlibet Electis. Prætereà Auditores, Electis ſub pœnâ tardioris *Metempſychoſis*, optima quæque de cibariis exhibere tenebantur; cùm interim Electi nihil operis agerent, ſed meditationibus vacarent: quibuſdam ſcil. omnia jam religionis arcana communicata erant, à quibus Auditores arcebantur. Porrò tria *Signacula* apud *Manichæos* erant Electorum; *Oris*, *Manuum*, & *Sinûs*, ut his tribus caſti eſſent & innocentes. *Os* continebat omnes ſenſus in capite: *Manus* omnem operationem: *Sinus* omnem libidinem ſeminalem. Tribus enim Deum offendimus; Cogitationibus, Verbis, Factis. Quàm verò parum obſervantes fuerint horum Signaculorum, plurimis oſtendit exemplis D. *Auguſtinus* in Libro de *Moribus Manichæorum*. Hactenus D. *Tollius*.

Ex dicto Fragmento *Græco* p. 41 innoteſcit, quòd *Manichæi* propriâ urinâ ſe lavabant & ſordes ſuas abluebant, metuentes aquam puram polluere. Et certè urina vocatur *Lotium*, à lotione, à multis noſtratibus uſurpata, propter abſterſivam facultatem ex inhærente Sale. Ex *Manetis* Libris p. 143, memorantur *Liber Epiſtolarum*, *Evangelium vivum*, *Theſaurus Vitæ*, *Liber Myſteriorum*, quo Legem & Prophetas ſubvertere conatur. *Liber Apocryphorum*, ac *Apomnemoneumatûm*, ſc. *Manetis* Dictorum & Factorum memorabilium commentarius. Liber inſcriptus *Adæ*, & *Adimantis*, & *Moſis*. Item *Agapii Heptalogus*, & *Ariſtocriti Theoſophia*, ubi conatur monſtrare *Judæorum*

& *Græcorum* & *Chriſtianorum* Religionem unam eandemque fuiſſe; utque vera dixiſſe videatur, *Manetem*, ut malum hominem, inceſſit ac traducit. p. 145, Manetis Pater Πατέκιος, & Mater Κάροσα. Τὸν Σαρσᾶν unum fuiſſe ex Manetis Diſcipulis: ſic & *Thomam*, qui conſcripſit Evangelium, &c. Dictus autem Σαρσᾶς longè diverſus eſt ab antiquo Ζαρσᾶμ, de quo alibi diximus. Pro Deo, *Principem hujus Mundi* colunt, ſc. malum Mundi Principem: nam Patrem cœleſtem ſolius futuri ſeculi poteſtatem habere nugantur. p. 131, Aſſerunt Adamum nobis diſſimilem formatum: verùm à *Sacla*, ſcortationis Principe, & *Nebroda*, quam materiam eſſe ajunt, Adamum & Evam factos fuiſſe: & illum ferino vultu creatum, hanc autem ſine Animâ, &c. D. *Tollius* p. 142 memorat, Manetis Libros *Palmyreno* & *Syriaco* ſermone ſcriptos fuiſſe; quorum unus in XXII partes diviſus. Η τῶν Γιγάντων Πραγματεία, ſeu *Giganteus Liber*, ab Heracliano confutatus. *Theſaurus minor:* Liber *Precum: Evangelium ſec. Philippum: Acta Andreæ Apoſtoli: Epiſtola* XV *ad Laodicenſes:* τὰ Παιδικὰ τοῦ Κυρίου. Qui autem plura cupit, adeat ipſum Fragmentum *Græcum* in Bibliothecâ publicâ *Oxonienſi*.

Hoc modo (*Manete* occiſo, & *Manichæiſmo* abolito,) *Zerduſhti* Religio reſtituta eſt, & *Magia orthodoxa* priſtinas vires recuperavit. Sed hæc non diu duravit: nam poſt breve tempus prodiit alius Hæreticus dictus مزدك *Mézdek*, ſeu *Mázdek*, ſive مزدك *Mazhdak*. Iſte in eorum Libris vocatur مزدك الزنديق *Mázdek Saducæus*.

Shahriſtâni Arabs refert; *Mazdekæos eſſe, maximâ ex parte, ut Manavitæ*, ſeu *Manichæi, in* الكـوذيين والاصليين *Originibus duabus & duobus Principiis: niſi quòd Mazdek aſſereret Lucem agere ſecundùm intentionem & delectum, Tenebras verò fortuitò & per accidens; & quòd Lux ſcienter & ſenſibiliter ageret, Tenebræ verò ignoranter & cæcé.* Et poſt alia quædam, addit; *quòd Mazdek dehortatus eſt homines à diſſentione & odiis & cædibus. Cúmque pleraque horum contingerent propter Mulieres & Opes, ille ideò Mulieres & Opes communes eſſe voluit, & omnes de eis participare debere ſicut participant de Aquâ & Igne*, &c. Plura apud *Shahriſtâni* leguntur, quæ recitatione vix digna.

Referentibus Perſis, iſte Nebulo oriundus eſt ex urbe *Neiſhábur*, & prodiens tempore Regis *Kobâd*, (qui *Græcis* Καυάδης, ſeu Καβάδης ſonat,) prophetiam jactitavit: & ut dicto Regi viro mulieroſo placeret, æqualitatem Opum & communitatem Mulierum & Uxorum licitam eſſe pronuntiavit; adeò ut ſi pauper, aut peregrinus, rogaret, non

non erat reſpondendum, *Non habeo quod dem tibi.* Cúmque talem Sectam اباحت *Licentiæ* propagaret, (ſcil. omnium *Opes* & *Uxores* eſſe *communes*,) hæc Religio placuit juvenibus & puellis, & omnibus ſtolidioribus, qui itaque eam libenter ſecuti ſunt, & multi inopes & peregrini ejus ſequaces fuêre : & tandem Rex *Kobâd* manum ejus corroboravit, ejúſque Religionem ipſe amplexus eſt, & eandem ab omnibus amplectendam eſſe publicè promulgavit : & res eò tandem devênit, ut Divitum Uxores & Opes in raptum & rapinam cederent. Hinc autem factum eſt, ut Perſidis Magnates conſentientes *Kobâdem* depoſuerunt, & incarcerârunt, filium ejus *Gjâmaſp* in ejus locum ſubſtituentes. Quocirca *Mazdek* fugâ ſibi conſuluit. At Rex *Kobâd* interim, conſilio & aſtu uxoris ſuæ, è carcere evadens, abiit ad Regem *Hayâtilæ*, opem ab eo petens : & revertens reſtitutus eſt. Sed *Mazdekiſmum* non ſecutus eſt ampliùs.

Cùm autem defunctus eſſet *Kobâd*, ejus Succeſſor *Nuſhirravân* in Solio conſtitutus, initio adminiſtrationis ſuæ, *Mazdek* ejuſque Aſſeclas interficiendos curavit : & ab iis qui à gladio & cæde ſuperſtites manſerant, abſtulit opes quas injuſtè ab aliis rapuerant, & propriis dominis, ſeu priſtinis poſſeſſoribus, eas reſtituit. Narrant, quòd cùm *Mazdek* audiret *Nuſhirravân* jubentem eum trucidari, dixit, *Deus præfecit te ut ſervares, non ut perderes*, &c. Cui Rex reſpondit, *O fili meretricis, nonne meminiſti, te petiiſſe à Kobâd ut pernoctares cum Matre meâ, &c.* Deinde proclamavit occidendos omnes *Manichæos* & *Mazdekæos*, & *Magiſmum* ſtabilivit in Perſide. De iſto dicto *Mazdek* prolixè agit *Megjdi* Perſa in Vitâ *Kobâd*, & in Vita *Nuſhirravân*, ſi alicui libet ulteriùs inquirere : nos enim rem tantùm breviter perſtrinximus.

Alio tempore, prodiit *Hæreticus* dictus خواف *Chuâph*, de quo in ſequente Capite agetur.

Cap. XXII.

Perſarum Opiniones primitivæ (eæque hactenus continuatæ,) de Religionis ſuæ Principiis ſeu Articulis primis, ex Damaſcio & Plutarcho & Shahriſtanio, atque ab Indo-Perſis.

SUperiùs Perſarum religioſa Dogmata tetigimus, quæ jam ulteriùs explicare præſtat.

Zoroaſtres, eorum Propheta & Legiſlator, ejúſque Aſſeclæ Perſarum *Magi*, ex *Geneſeως* Hiſtoriâ & ex quotidianâ cum captivis *Judæis* in Perſiâ converſatione, didicerunt ſua Principia *Lucis* & *Tenebrarum*, quibus intelligitur *Deus* atque *Diabolus*, ut ſupra monuimus. At aliqui eorum paulò aliter ſtatuunt, ſi vera ſunt quæ *Damaſcius* ex *Eudemo* refert, quòd ſc. apud Magos & omnes eorum Sectas *Marticolas*, omne *Intelligibile*, ſeu *ſub ſenſum cadens*, reputatur, vel *Locus* vel *Tempus*, ex quibus prædicta colligunt. Locus ſic ſe habet in Libro περὶ Αρχῶν MS, Μάγοι δὲ καὶ πᾶν τὸ Αρειον γένος, ὡς καὶ τοῦτο γράφει Ευδημος, οἱ μὲν Τόπον, οἱ δὲ Χρόνον καλοῦσιν, τὸ νοητὸν ἅπαν καὶ ἡνωμένον· ἐξ οὗ καὶ διακριθῆναι καὶ Θεὸν ἀγαθὸν καὶ Δαίμονα κακὸν, ἢ Φῶς καὶ Σκότος πρὸ τούτων, ὡς ἐνίους λέγειν. οὗτοι δὲ καὶ αὐτοὶ μετὰ τὴν ἀδιάκριτον φύσιν διακρινομένην, ποιοῦσι τὴν δίτην συστοιχίαν τῶν κρειττόνων· τὴν μὲν ἡγεῖσθαι τὸν Ωρομάσδην, τὴν δὲ τὸν Αρειμάνιον.

Plutarchus in Libro *de Iſide & Oſiride* eſt paulò prolixior in Magorum opinionibus deſcribendis: viz. *Sunt qui putant duos eſſe Deos, quaſi contrariis deditos artibus, ut bona alter, alter mala opera conficiat: eum qui eſt melior, Deum: qui deterior, Dæmonem dicunt:* ὥσπερ Ζωρόαστρις ὁ Μάγος, *ſicut Zoroaſtres Magus, qui illum vocat* Ωρομάζην, *iſtum vero* Αρειμάνιον. *Addiditque hoc Enuntiatum, De rebus ſub ſenſum cadentibus, illum maximè ſimilem eſſe Luci; hunc Tenebris & Ignorationi: horum medium eſſe* Μίθρην; *quæ eſt cauſa cur Mithram Perſæ* Μεσίτην, *Mediatorem* ſeu *Intermedium, nuncupant. Docuitque ad illum pertinere* Ευκταῖα καὶ Χαριστήρια, *ad hunc verò* Αποτρόπαια καὶ Σκυθρωπὰ: *herbam enim quandam, vocatam* Ομωμι, *concidendo & in mortario tundendo, invocant* Αδην *Ditem, &* Σκότον *Tenebras: tum admixto Lupi jugulati ſanguine, efferunt & abjiciunt in locum* ἀνήλιον, *quò Solis radii non pertingunt: nam & de Plantis, quaſdam judicant boni Dei eſſe, & quaſdam mali; & Animalium quædam, ut Canes, Aves, & Echinos terreſtres,*

tres, Bono; Aquatica Malo adjudicant, itaque & beatum illum prædicant qui plurima interfecerit. Enimverò illi quoque multa de iis fabuloſa narrant, cujus generis eſt quod referam. Oromazen natum ajunt è Luce puriſſimâ, Arimanium è Caligine; eóſque bellum inter ſe gerere. Oromazen feciſſe ſex Deos; primum Benevolentiæ, ſecundum Veritatis, tertium Æquitatis, reliquos Sapientiæ, Divitiarum, & Voluptatis quæ honeſta conſequitur: Arimanium totidem numero his adverſa effeciſſe. Deinde Oromazen ſeſe triplicâſſe, & à Sole tanto ſe intervallo removiſſe, quanto Sol à terra abeſt; ac Cœlum Stellis decorâſſe, unamque ante alias tanquam Cuſtodem & Spiculatorem conſtituiſſe, Sirium. Alios porrò deos XXIV condidiſſe & in Ovo poſuiſſe: ac totidem numero factos ab Arimanio Ovum illud perforâſſe, hinc mala bonis eſſe permixta. Appetere porrò fatale tempus, quo neceſſe ſit peſte, & fame ab his adducta, Arimanium omninò perdi atque aboleri: Terrâque æquabili & plana factâ, unam Vitam unámque Civitatem Beatorum hominum univerſorum, unaque lingua utentium, fore. Theopompus ait, de ſententia Magorum, vicibus ter mille annorum alterum Deorum ſuperare, alterum ſuccumbere; & per alia tria annorum millia bellum eos inter ſe gerere, pugnare, & alterum alterius opera demoliri: tandem Ἀδην *Plutonem deficere, & tunc homines fore beatos, neque umbram edentes: deum porrò qui iſta machinetur, quieſcere ad aliquod tempus; non quod longum ſit Deo, ſed rectum & mediocre tanquam hominis dormientis.*

De alterius Mundi ſtatu, eandem cum nobis Chriſtianis notionem habuêre, quamvis eum, ad captum humanum, aliquando deſcriberent tanquam *Paradiſiacam Civitatem*, ut ſuprà *Plutarchus*; de quâ re etiam conſulatur Liber *Sad-der*. Et cùm talia ſtatuerint *Magi Deicolæ*, quis non credat tam hos, quàm eis contemporarios Judæos, à primis Patriarchis talem ſuam Paradiſi notionem habuiſſe, quamvis nihil dicatur in *Veteri Teſtamento*. Hæc autem præmiſſa de Magis, ſunt *Græcorum* imperfectæ quædam ſtricturæ, ex quibus haud multa de eorum rebus colligenda ſunt. Proximè itaque ſubjiciemus ea quæ accepimus ab *Indo-Perſis*, à quibus ſequens Relatio petita eſt: in quâ malorum Angelorum Lapſûs, & Creationis & Durationis Mundi & ultimi Judicii hiſtoria continetur. Noſtræ autem Interpolationes Uncis incluſæ. *Perſæ, credentes Angelos eſſe Dei Servos & Miniſtros ad ejus Mandata exequenda, affirmant, quòd poſtquam Deus feciſſet Bonos Angelos, primum eorum aſſignavit Opus ut crearent Cœlos, idque XLV diebus. Et quòd deinde apparuit Tenebroſitas quædam horribilis* [nam Tenebræ tunc erant ſuper faciem Abyſſi,] 9600 *Paraſangis circumquaque*

circumquaque à Deo distans. [Nam Diabolus reputatur Tenebrarum Autor: at hæ Tenebræ totaliter & semper limitatæ sunt, ut interponeretur Lux regens diem.] *Hinc Deus citò perspexit esse Inimicum quendam, & mox Diabolum esse deprehendit, eúmque valdè fortem & numerosum. Quapropter quatuor Angelis fortioribus* Erdibehisht, Azur, Sorûsh, & Behrâm, *rem commisit ut pugnarent cum Diabolo ejúsque copiis, eúmque debellarent & captivum adducerent.* [Significatur Angelorum contra Deum prima in cœlo Rebellio & defectio, propter quam è cœlo dejecti & lapsi sunt in terras.] *Nam postquam Diabolus conscripserat exercitum, jam tempus erat ut Deus sibi prospiceret: qui itaque IV dictos Angelos misit ad pugnandum cum* Ahreman, *& ut eum coram Deo sisterent in cælo, unde perrupto carcere aufugerat.* [Diaboli actualis lapsus insinuatur.] *Hinc aliud Bellum acre, in quo Diabolus ad incitas & extremitatem redactus, veniam petiit, & se Victoris arbitrio submisit. Nihilominùs tamen Deus noluit eum perdere & annihilare; secum perpendens, quod si Diabolum prorsus perderet, eúmque cum his omnibus & totâ Diabolorum Familiâ aboleret & radicitùs extirparet, Dei misericordia & gloria non esset tam illustris, nec tam evidenter compareret. Nam si non quodammodo permitteret Diabolo existere & crudelitatem exercere, nulla esset inter bonum & malum distinctio, nec inter vitia ac virtutes differentia. Propterea Deus noluit Diabolum perdere, sed eum in Mundo reliquit, sub hac conditione, ut quicquid Mali eveniret, id attribueretur Diabolo; & quicquid Boni accideret, attribueretur Deo. Et quòd tempus Durationis Mundi & Diaboli à Deo ordinatum est, ut Mundus à primâ suâ Creatione duraturus esset* 12000 *annos; quorum* 3000 *tunc, eo tempore quo Diabolus à Deo devictus est, expiraverant & elapsi sunt: & restantes* 9000 *annos Deus trifariàm dividens, erexit tres Digitos, permittendo Diabolo ut utrum horum vellet eligeret, ut scilicet, eo tempore durante, crudelitatem suam in humanum genus exereret & tentationibus suis exerceret. Quapropter Diabolus, rem benè perpendens, elegit sibi Digitum medium, adeoque tempus medium dictorum annorum. Unde colligitur, quòd per fatalem hujus Decreti necessitatem omnes res humanæ subjiciantur incertitudini, nec dari posse rerum statum diu duraturum. Primis enim temporibus, Justitia, Moderatio, Temperantia, & erga Deum ac Homines Pietas, floruerunt, dum in pace & tranquillitate esset Mundus. Sed tandem cùm ex nimia pace & otio homines per superbiam deviarent & contra Deum rebellarent, Diabolo permissum est homines infestare & Mundum Diabolicis suis artibus turbare. Nam quando, in contrarium priorum Virtutum, superiores es-*

sent

ſent Injuſtitia, Violentia, Inimicitia, Intemperantia, Superbia, Libido, Avaritia, & omnis generis Impietates in Deum & Homines perpetratæ, ad ſummam exorbitantiam excreviſſent; & harum rerum conſequentiæ ſeu effectus (utpote ſunt Bella, Diſtractiones, & Dei Flagella, Fames & Peſtilentia,) humanum genus affligerent, Deus noluit pati ut hæc æternùm graſſarent, ſed contra Diaboli furorem & malitiam, tempus reſpirationis, & felicitatis, & tranquillitatis, benignè interpoſuit. Et cùm jam tandem ex 12000 *annis pro Mundi duratione primò decretis atque conſtitutis, ſupereſſent* 953, *tunc deinde expectanda eſſet ſupremi Judicii Dies & Mundi Diſſolutio, quando reſurrecturi eſſent omnes mortui & in judicio ſiſtendi. Et quòd deinde ſtatim juſti reſurgentes, Beatifica Dei viſione fruituri eſſent, in Cæleſtibus Manſionibus, eorum in terris operibus bonis meritiſque proportione aptatis, permanſuri. Et quòd improbi, poſtquam in Animabus ſuis Tormenta & Supplicia, peccatis ſuis paria, eiſque per Angelos Mihr & Surûſh decreta & parata paſſi fuerint, tandem in Judicii Die ſunt etiam reſurrecturi, & per infinitam Dei miſericordiam eorum peccata condonanda, iique admittendi in quaſdam exteriores Manſiones, ubi ad juſtam diſtantiam Beatificam Viſionem percepturi erunt: ſed tamen à Juſtis per unam nigram in fronte maculam diſtinguendi. Et quòd tandem in extremi Judicii die, Diabolus cum omnibus malis ſuis Angelis erunt judicati & condemnati, & eorum regnum in æternum deletum & perditum.* Talis eſt iſtorum Hypotheſis, partim ex *Biblicâ Hiſtoriâ* collecta, & partim à primorum temporum Traditione accepta.

Quoad ſupradictam inter Deum & Diabolum pugnam, non debemus culpare iſtos talia narrantes, cùm nos ipſi etiam talia credere ſupponamur, (malorum Angelorum lapſum indigitantia,) eáque ex *Apoc.* XII. 7, 8; *Et fuit Bellum in cœlo, Michael cum Angelis ſuis pugnavit contra Draconem. Et Draco cum Angelis ſuis etiam pugnârunt: ſed non prævaluerunt, nec locus eorum ampliùs in cælo inventus eſt.* Et *Verſu* 12, ejus Tentationes ſignificantur, *Væ incolis terræ & maris, nam ad vos deſcendit Diabolus furibundus, quia novit tempus ſuum eſſe breve.* Supradicta *Zoroaſtris* & *Magorum* longè ante *Apocalypſin* conſcripta ſunt; & in *Apocalypſi* ad nos continuata eſt traditio à *primis* accepta *Patriarchis:* unde colligimus eam fuiſſe ſemper receptam inter Orthodoxos Orientis opinionem, & eorum loquendi modum de hiſce rebus.

At

At in Magorum opiniones deſcribendo, cæteris fuſior eſt *Shahriſtâni* in Libro *de Religionibus Orientis* Arabicè conſcripto, ubi docet eorum Reges ſemper habuiſſe quem conſulerent مرجع *Márgji*, ſeu *Redeundi-locum*, ſcil. *Adeundum*, ſeu *appellandum quendam*, quem tanquam Oraculum conſulerent, ad quem deferretur Appellatio pro ſententiâ ſuâ definitivâ in caſibus difficilioribus: is erat *Archimagus*, ſeu eorum *Archipræſul*, à cujus deciſione non recedendum, ſed in eâ acquieſcendum ſine ulteriori Appellatione. Iſte apud *Perſas* talis erat qualis *Turcarum* مفتي *Mufti*. Dictus autem *Shahriſtâni* ſequenti modo narrat; ſc. *Omnes Perſarum Reges fuiſſe de Religione Abrahami, & omnes Subditos ſemper fuiſſe de Religione Regum ſuorum. Et Regibus fuiſſe* مرجع *Márgji*, ſeu *Appellandum quendam, qui erat* موبذ موبذان اعلم العلماء واحكم الحكماء *Præſul Præſulum, Doctiſſimus Doctorum, Sapientiſſimus Sapientum, à cujus Mandato non recedebant, nec niſi ad ejus Sententiam redibant: &, quòd ei exhibebant Reverentiam talem quam Principes Chaliphis regnantibus exhibere ſolent.* Additque; *quòd Maguſæis peculiaris ſit* الثنوية *Dualitas, adeò ut ſtatuant* مدبرين قديمين *Ductores*, ſeu *Gubernatores duos æternos, qui dividuntur in Bonum & Malum, & Probitatem ac Improbitatem, Emolumentum ac Nocumentum. Horum unus nominatur Lux, & alter Tenebræ, ſc. Yezdan*, ſeu *Deus, & Ahreman*, ſeu *Diabolus. Eorúmque Religionem eſſe ſecundum hanc diviſionem* ſeu *diſtinctionem: & quòd omnes Magorum Quæſtiones vertantur ſuper duobus Cardinibus, quorum unus eſt Explicatio cauſæ Miſtionis Lucis & Tenebrarum, & alter eſt Explicatio Liberationis Lucis à Tenebris. Et quidem, quòd Miſtionem ſtatuant* مبداء *Initium*, ſeu ſtatum à quo, *& Liberationem* معاد *Reditum*, ſeu ſtatum ad quem. Hæcque myſticè explicant; & meliore luce deſtituti, in tenebris diſputant.

Supradictus *Shahriſtâni* pergit narrare; *quòd Magi ſtatuant* الاصلين *Principia duo, ſicuti dixerat: ſed quòd* المجاس الاصليه *Magi originales non exiſtiment expedire ut ambo ſint* قديمين ازليين *cöæterna ab initio; ſed quòd Lux ſit* ازلي *æterna ab initio, & Tenebræ* محدثة *productæ. Et quòd tum, differant de modo* ſeu *cauſâ productionis ejus; cùm à Luce producitur tantùm Lux, quæ non producit ullum Malum; & quomodo ergò productum Principium Mali, aut alîus cujuſvis rei, cùm nihil adjunctum* (ſeu *par fuerit*) *Luci, quoad primam ejus productionem & æternitatem!* Deinde narrat; *quòd ſtatuant Initium primum eſſe à Perſonis,*

Perſonis, quæ ſunt كيومرث Keiomáras; *dein* زروان كبير Zervân † *magnus: & tandem alius propheta cui nomen* زردشت Zerduſht. *Et quòd* كيومرثية *Keyomarthitæ volunt Keyomárath fuiſſe Adam, prout occurrit in Indorum & Perſarum Chronologiis, quibus tamen contradicunt alii Chronologi. Et quòd dicti Keyomarthitæ, qui auctores* ſeu *aſſertores* المقدم الاول *Antiſtis primi Keyomárath, ſtatuant* Yezdân & Ahreman, *aſſerentes* Yezdân *fuiſſe* ازلي قديم *ſine initio æternum, &* Ahreman *fuiſſe* محدث مخلوق *productum & creatum.* Yezdân *cogitâſſe ſecum, Niſi fuerint mihi Controverſiæ, quomodo erit? Hancque cogitationem pravam, naturæ Lucis minùs analogam, produxiſſe tenebras, dictas* Ahreman, *qui naturâ diſpoſitus ad malum, & diſſidium, & improbitatem, & noxam, & omnia nocumenta: & prodiens contra Lucem, eam oppoſuit tam naturâ* (ſeu facto) *quàm dicto. Et deinde emergente Bello inter exercitum Lucis & exercitum Tenebrarum, mediatores erant Angeli: & tum facta eſt inter eos pax, ſub eâ conditione, ut Mundus inferior integrè eſſet τῷ* Ahreman *pro* 7000 *annis: & tum Mundum dimittens, eundem redderet Luci. Eos autem qui, ante initam Pacem, in Mundo fuerant, perdidit & prorſus delevit. Et tum de novo incepit cum homine dicto Keiomaras, & animale dicto Tauro, quos ambos mactavit, & ab hominis cadavere pullulavit Ribâs,* ſeu Ribes: & ex hujus Ribâs radice prodiit Vir dictus* ميشه *Miſha, & Mulier dicta* ميشانه *Miſhâna; qui fuerunt* ابو البشر Protoparentes. *A cadavere Tauri pullulârunt Pecora & cætera Animalia. Porrò opinati ſunt Lucem elegiſſe homines ut Adjutores, dum adhuc eſſent Spiritus abſque Corporibus; idque, vel ut elevaret eos è locis τῷ* Ahreman, *vel ut eos Corporibus veſtiret ad præliandum cum* Ahreman. *Elegerunt itaque Veſtitum Corporum & Belligerationem cum* Ahreman, *eâ conditione, ut auxilium haberent à Luce & tandem victoriam in copias τῷ* Ahreman. *Et poſt illum devictum & copias fuſas ac deperditas, futura eſſet Reſurrectio. Ejuſmodi fuiſſe cauſam Miſtionis, hanc verò cauſam Liberationis.* Paulò aliter rem explicare ſatagunt aliqui ex *Græcis*, qui exponunt has eorum Quæſtiones de Luce & Tenebris, eſſe de ſolo Animæ in corpus *Deſcenſu* (qui *Mixtio Lucis & Tenebrarum,*) dicto Κάθοδος: & Liberationem Lucis à Tenebris, eſſe Animæ *Reditum*, qui Ανοδος. Animarum ſeparata Creatio, quam innuit *Shahriſtâni*, convenit cum opi-

† Vid. Notam pag. 78, quæ prima Editione legebatur Append. No. III.
* Vid. Append. No. IX.

nione *Platonicorum* & *Pythagoreorum*, quam *Zaratus*, ſeu *Zoroaſtres*, Pythagoræ Præceptor, eum docuit, & (ut fertur) *Dyada* eſſe numerorum *Matrem*, *Monada* verò *Patrem*: Animam eſſe alatam, quæ, confractis Alis, in Corpus præceps lapſa eſt: at denuò, pennata & refectis Alis, ſuperna repetit & ad ſuperos revolat. Videri poteſt *Plotinus* Lib. 8 *Enneadis quartæ*. De Animæ Deſcenſu in Corpus, & quomodo frangat Alas, plura collegit *Cæl. Rhodiginus*, p. 643, 644. Et *Macrobius* Lib. 1. cap. 12 docet, *Quomodo* (ex ſententiâ Veterum Ethnicorum) *Anima ex ſuperiore Mundi parte ad inferiora hæc delabatur*, ſc. *per duos Tropicos Cancri & Capricorni, qui Solis Portæ à veteribus vocantur. Per has Portas Animæ de cælo in terras meare, & de terrâ in cælos remeare creduntur: ideo Hominum una, altera Deorum vocatur. Hominum Cancer; quia per hunc in inferiora deſcenſus eſt: Capricornus Deorum; quia per illum Animæ in propriæ immortalitatis ſedem & in Deorum numerum revertuntur.* Ibidem videas plura. Altera Magorum Secta originalis, ſunt *Zervanitæ, qui aſſerunt Lucem produxiſſe Perſonas ex Luce, quæ omnes erant Spirituales, Luminoſæ, Dominales: ſed quod harum maxima Perſona, cui Nomen* Zervân, *dubitavit de re aliquâ; & ex iſtâ dubitatione emerſit Satanas.* [Per hoc fortè volunt lapſum Angelorum.] *Sunt ex eis qui aſſerunt, non eſſe dubium quin* Zervân *ille Magnus ſtetit & muſſitavit* 7999 *annos, ut poſſet habere Filium, & non habuit. Tum novum quid animo molitus, cogitavit ſecum quòd fortè hic Mundus nil valet. Ideóque emerſit* Ahreman *ex tali ſolicitudine* [ſeu ſolicitâ cogitatione] *unicâ: & emerſit* Hórmuz *ex tali ſcientiâ: & quòd dum hi duo eſſent ſimul in uno ventre, &* Hórmuz *eſſet exitui propior, ſubtiliter agens* Ahreman, ſeu *Satanas, matris ventrem diffidit, & tum prior exiens occupavit Mundum.* Et poſtquam prolixè proſecutus eſt opiniones eorum ineptas, deſcribit quales ſint المشتية *Meſchitæ* & الخرمدنية *Chorremdinîtæ*, i. e. *feſtivæ Religionis homines*, qui ſunt ex Sectis *Zervaniorum*, ſeu *Zervanitarum*.

Hæc ſunt metaphorica & allegorica. Et ab his non multùm abludunt quæ apud *Photium* habet *Theodorus* Mopſueſtienſis Presbyter, qui ſcripſit de Perſarum Magiâ, ubi *Exponit nefandum Dogma quòd* Zaſrades *introduxit, ſive* Zaruàm, *quem Principem omnium facit, & Fortunam appellat.* Deinde tradit, *Hunc Libationem feciſſe ut Hormiſdam gigneret, quem & genuit, uti & Satanam. Item, de eorum* Αιμομιξία. *Ubi etiam eorum perobſcœnum Dogma verbatim exponit & refellit.* Hæc ille. *Zaſrades* autem perperam legitur pro *Zarades*; quem inſuper videtur

videtur malè confundere cum *Zaruàm*, qui mille annis ante alterum vixit, de quo ſuperiùs egimus. Quoad *Sanguinis Miſtionem*, fortè ſit tale fabuloſum quod in Libro *de Iſide & Oſiride* (ut ſuprà) affert Plutarchus; *Quòd ſc. Magi herbam Omomi in mortario tundentes, Ditem invocabant & Tenebras: & deinde, admixto Lupi jugulati ſanguine, efferebant & abjiciebant in locum obſcurum, ad quem Solis radii non pertingerent.* Sed (quod res eſt) *Plutarchus* non videtur ſatis diſtinxiſſe inter *Magos veneficos*, & *Magos Perſarum Sacerdotes*, quorum erat ſolam Θεῶν Θεραπείαν intelligere & curare, dicente *Cicerone*. Quin & ut, in quâvis Gente, inter Bonos mixti ſunt Mali, ſic & hiſce Magis melioribus admixti fuerunt aliqui Malefici, ut fit inter Chriſtianos; qui tamen non ſunt omnes damnandi ut Malefici, pro paucorum culpâ. Inter primitivos Angelos fuerunt aliqui Diaboli. Injuſtè itaque tam *Plutarchus*, quàm *Theodorus Mopſueſtienſis*, Perſis impingunt Diabolicam Magiam, cùm *Diog. Laertius* ex *Ariſtotele* affirmet veteres Perſas illicitæ Magiæ ignaros fuiſſe. Verum quidem eſt *Medicinam* & *Philoſophiam naturalem* & *Herbarum vires* ſtudebant: ſic *Xenophon* Lib. VIII. *Herbarum & eorum quæ è terrâ naſcerentur vires, à pueritiâ Perſæ diſcebant, ut noſcerent quæ ſalutaria corpori, quæ contrà noxia eſſent, ut illa, ſicubi uſus poſceret, conquirere; hæc vitare & fugere.* Fortè nimium aliquando Herbis tribuerint, ſi verum ſit quod tradit *Plinius* XXI. 11. Νυκτήγρετον (q. d. nocturnas agens excubias,) *erui poſt æquinoctium vernum radicitùs, ſiccarique ad Lunam* XXX *diebus, ita lucere noctibus. Magos Parthorúmque Reges uti hac herbâ ad vota ſuſcipienda. Eandem vocari* Χηνόμυχον, *quoniam Anſeres à primo conſpectu ejus expaveſcunt: ab aliis* Νυκτάλωπα, *quoniam è longinquo noctibus fulget.* Videtur fuiſſe eandem quæ *Flavio Joſepho* Βααρὰς, ſcil. בערה Βααρὰ, *ardens, ſuccenſens*, quæ *Meſopotamienſibus* Arabicè audit حشيشة البـراق *Herba fulgurationis*, ſeu *ſplendoris*, noctu lucens: quæ virens, (ſine ſiccatione, utpote glabra & viſcoſa,) non comminùs, ſed eminùs obliquè intuenti ſplendet: cujus itaque locus longo baculo notandus. Hæc Magorum, non erat pejus quam *Rachelis* opinio de *Mandragoris*, quaſi eſſent Ἀναλάμψεως.

Alia Magorum Secta originalis, eáque præcipua, ſunt *Zerduſhtii*, ſeu *Zerduſhtitæ*. *Hi* (inquit Shahriſtâni) *fuerunt Aſſeclæ τῦ Zerdùſht Sapientis, filii Pûrſhàſp, qui apparuit tempore* يشتاسف *Hyſtaſpis. Ex regione Aderbayagjân fuit Pater ejus, & ex urbe* ري *Rey orta eſt Mater, cujus nomen fuit* دغدو *Dôghdu. Iſti opinantur Perſis fuiſſe Prophetas & Reges, cujus primus fuit Keiomáras qui rexit*

Terram totam, ejúſque locus fuit in urbe Iſtáchr. Deinde poſt alia plurima, affert miram Creationis hypotheſin, quòd ſcil. iſtius Sectæ homines putent *Deum, à tempore quod in Codicibus præſtantiſſimis & Libris ſummis expreſſum, creâſſe ex regno ſuo populum ſpiritualem. Et poſtquam effluxiſſent* MMM *anni, tranſmiſiſſe Voluntatem ſuam, in formâ Lucis fulgentis compoſitæ in figuram humanam, quam comitabantur* LXX *ex Angelis honoratioribus. Creâſſe quoque Solem, & Lunam, & Stellas, & Filios hominum: hæcque fuiſſe immobilia per* MMM *annos. Deum indidiſſe ſpiritum* τῦ *Zerdùſht in quandam Arborem quæ crevit in altiſſimo altiſſimorum: eam enim plantavit in Aderbayagjân, in jugo alicujus Montis cui nomen* اسموندخر *Aſmuîdacher: & tum miſcuit corpus (ſc. Semen)* τῦ *Zerdùſht cum lacte Vaccino, quod cùm bibiſſet Pater ejus, id factum eſt Semen-genitale, & deinde Fruſtum carnis in utero matris ejus. Illud verò invadens Diabolus mutavit illud. Deinde mater ejus audivit à cælo proclamationem, in quâ indicata eſt liberatio ejus, & liberata eſt. Cúmque naſceretur, riſit tali riſu quem perceperunt omnes qui aderant. Tum dolosè egerunt contra Zerdùſht, ita ut collocaverint eum inter tramitem Bovis, & tramitem Equi, & tramitem Lupi: & horum ſinguli ſurrexerunt in præſidium ejus contra reliquum genus ſuum. Et cùm poſteà adoleſceret, donec perveniret ad annum trigeſimum, tum miſit eum Deus ut Prophetam & Nuntium ad homines: iſque invitans Hyſtaſpem, adduxit eum ad Religionem ſuam, quæ fuit* عبادة الله والكفر بالشيطان والامر بالمعروف والنهي من المنكر واجتناب الخبايث *colere Deum, & renuntiare Diabolo, præcipitque Beneficia-agnoſcere, & vetat ingratitudinem, docetque averſionem à ſpurcitiis,* ſeu vitiis. Deinde addit; *Zerdùſht affirmavit Lucem & Tenebras eſſe* اصلان *duo Principia ſibi invicem contraria: & ſic eſſe* Yezdân & Ahreman, *qui fuerunt* مبداء *initium eorum quæ inveniuntur in Mundo: ex eorum Miſtione* [ſeu *combinatione*] *extitiſſe Compoſitiones; & ex variis Compoſitionibus productas fuiſſe Formas. Et quòd Deus, qui creavit Lucem & Tenebras, utriuſque Autor unicus ſit, ſine Socio, ſine Pari aut Simili, nec ei referenda ſit* وجود *exiſtentia Tenebrarum, ſicut dicunt* Zervanitæ: *ſed Bonum & Malum, Integritas ac Corruptio, & Puritas ac Spurcities exiverunt ex Miſtione* [ſeu *commiſſione*] *Lucis & Tenebrarum: & niſi hæc duo commiſta fuiſſent, non extitiſſet Mundus. Et hæc duo contra ſe invicem inſurgebant, & de victoriâ contendebant, donec Lux vinceret Tenebras, & Bonum Malum. Tum*

poſteà

poſteà ſalvum evaſit Bonum ad Mundum ſuum, & Malum divertebat ad Mundum ſuum: & ſic fuit cauſa Liberationis. Cúmque Deus excelſus hæc duo temperaverat & miſcuerat pro arbitrio ſuo, eaque in Compoſitione viderat, tum inſtituit Lucem, ut originale quiddam, & indixit exiſtentiam ejus ut exiſteret. Sed Tenebræ ſecutæ ſunt ſicut umbra perſonam. Nam cùm videret eas quodammodo exiſtere, ſed non realiter exiſtere, tum planè produxit Lucem, & acquiſitæ ſunt Tenebræ per conſequentiam: nam ex neceſſitate extitit contrarium, quippe cujus exiſtentia fuit neceſſaria, ſc. *ut contingens in creatione, non autem ex primâ Intentione, ſecundùm exemplum quod adduximus de Perſonâ & Umbrâ.*

Porrò iſte (inquit) *Zerdùſht eſt Autor Libri quem compoſuit: alii dicunt ad eum dimiſſum fuiſſe à cœlo: is eſt* Zendaveſtâ, *bifariàm dividens Mundum in* Mínu *&* Ghîti, *ſeu Spiritualem & corporalem, ſive Spiritum & Perſonam, quaſi Creationem dividens in duos Mundos. Dixitque quicquid ſit in hoc Mundo, bipartitum eſſe in* Báchſhiſh *&* Kúniſh, *per quæ voluit Potentiam & Actum; & quidvis determinatum eſſe juxta horum ſecundum.*

Deinde (inquit) *locutus eſt Zerdùſht de aditibus ad ſtudium,* ſeu *laborem,* [ſive *de Tendentiis ad Conatum-humanum,*] *quæ ſunt motiones hominum, quas diviſit trifariàm, in* Mániſh, *&* Ghûyiſh, *&* Kúniſh; *per quæ vult Credenda ſeu Fidem, & Dicenda ſeu Sermonem, & Facienda ſeu Praxin: & hiſce tribus completum eſſe ſtudium ſeu conatum noſtrum. Et quando homo in hiſce deficit, Religionem & Obedientiam* Dei *tranſgreditur: ſed quando in hiſce currit, ſeu procedit, uſque ad* [ultimam] *rei exigentiam & præſcriptam legem, tum hæc eſt Victoria magna.*

Porrò (addit) *Zerduſhitæ jactant de plurimis Miraculis quæ ipſe patraverit; ſicuti quando Hyſtaſpis Equi Pedes in ventrem retracti fuerant, quòd Zerduſht dum eſſet in carcere eos ſolverit: & proinde ſoluti fuerunt Pedes Equi. Et ex iis eſt, quòd ipſe pertranſiens Cæcum quendam in urbe Dînavar, dixerit, Accipite talem herbam, (quam deſcripſit eis,) & exprimite ejuſdem ſuccum in oculos ejus, & tunc videbit: quodque hoc fecerunt, & viſum recuperavit cæcus. Hoc* (inquit Shahriſtâni) *totum erat ab ejus ſcientiâ in proprietatibus Herbarum, nec ulla ejus Miracula aliquid valent.*

Sunt autem (addit Shahriſtâni) *ex Magis Zerduſhtæis genus quoddam, vulgò dictum* Saiſanitæ *&* Bih-aphriditæ, *quorum Caput fuit homo quidam* Neiſhaburenſis, *cui nomen* خواف Chuâph, *ſeu* Quâph, *qui prodiit in diebus potentiſſimi Dynaſtæ* Abu-Múſlim. *Is fuit Muſſitator* [ad modum Magorum,] *& adoravit Ignes. Deinde relinquens hæc, invitavit*

tavit Magos ut desererent Mussitationem, & ut abdicarent cultum Ignium: & posuit illis Librum, eisque præcepit dimittere crines, & vetuit illis Matres & Filias & Sorores, & illicitum pronuntiavit Vinum: & jussit illos ut obverterent se Soli in ortu ejus, adorando in uno genu. Isti recipiebant se in Monasteria, & inter se invicem distribuebant opes, & non comedebant Morticinium, nec mactabant Animalia donec senescerent. Isti erant inimici populo Dei, Mussitatoribus, inquam, Magis; adeò ut Sacerdos aliquis Magorum eum tradiderit Principi Abu-Múslim, *qui illum interfecit juxta Ostium Ecclesiæ-Cathedralis in urbe Neishâbur. Ejus autem Assectæ affirmabant illum in cœlum ascendisse super Burdone; & quòd super eodem Burdone rursus certissimè descensurus sit, & ab Inimicis suis vindictam sumpturus. Isti etiam asseruerunt Zerdúshti Prophetiam, & magni fecerunt illos Reges quos æstimaverat Zerdúsht.* Autor Libri *Ph. Gj.* refert, quòd tunc fuit insignis quidam Magus cui nomen سنبـاد *Sumbâd*, qui, propter aliquam in Religione Controversiam quam defendebat, arctissimam coluit Amicitiam cum illius temporis Principe *Abu-Muslim*, qui etiam, vice versa, ergà eum amicissimus fuit. Quoad superiorem *Chuâphi* prohibitionem, non mactare Animalia donec senescant, id convenit cum hodierno Magorum Præcepto & Praxi in Libro *Sad-der*; atque in Libro *Ph. Gj.* in voce گوره traditur, آنکه کشتن گوساله وبـره و بچه جمیع جانوران در ملتی زردشتی ممنوع استی *quòd Vitulum-annuum, aut Agnum, aut quorumvis Animalium Pullos mactare, in Zerdushti religione vetitum sit.*

Supradictus Hæreticus *Chuâph*, sic dictus est à patriâ suâ, seu ejusdem nominis regione in Ditione *Neishaburensi*, ubi est ejusdem nominis Provincia, in quâ sunt III Civitates & CC Villæ. Jussit dimittere, seu amovere crines: nam Magi nutriebant comam, ut constat ex *Pseudo-Smerdi*, cujus defectus aurium, quas præsciderat *Cambyses*, palam percipi non potuit, donec Pellex ejus, inter congrediendum, eas manu palparet.

Animum aliquando induxeram *Zerdûshti*, seu *Zoroastris*, Vitam dedisse in proximo Capite. Sed quia cum ejus Vitâ, *Darii Hystaspis* Historia adeò intertexta est, ut (nisi frequentes inserantur Digressiones,) hæc absque illâ commodè intelligi nequeat, & in eâ quoque multa ad Persicam Religionem spectantia contineantur; mutavi consilium. Hisque altiùs perpensis, necessarium mihi visum est priùs Vitæ *Hystaspis* breviarium præmittere; ut cùm posteà *Zerdusht* Vitam (quæ prolixior

prolixior eſt) exorſus fuero, eandem abſque Digreſſione ad finem perſequi liceat, nec Hiſtoriæ noſtræ ordo rurſus interrumpatur, aut turbetur.

Cap. XXIII.

Vitæ Guſhtaſpis ſeu Darii Hyſtaſpis breviarium. †

QUIA in ſequentibus frequentior *Guſhtaſpis* mentio, & is quoque ille ſit cujus tempore apparuit *Zerduſht*, qui ſub iſtius Regis Protectione Religionem, de quâ heic agitur, propagavit, Lectori fortè non ſit ingratum pauca de eo delibare, priùs quàm *Zerduſhti* Hiſtoriam pleniùs proſequamur: non quidem integram ejus Vitam & Imperium in medium adducendo, ſed tantùm præcipua quædam ad hujus Operis ſcopum facientia. Alia quædam de eo occurrunt in Vita *Zoroaſtris*.

In Catalogo Regum Perſiæ, ſuo ordine, memoratur كي گشتاسپ *Key-Guſhtâſp*, ſcil. τῶν *Keyân*, ſeu *Illuſtrium*, ultimus qui hoc Titulo gaudebat. Nam omnibus Dynaſtiæ *Medicæ* Regibus præmittebatur Titulus *Key*, uſque ad iſtum Regem incluſivé. Is, tacitâ proſapiâ paternâ, vocatur *Hyſtaſpes*, *Darii pater*, vel, vice verſâ, *Darius Hyſtaſpis filius*. Sed ſive vocetur *Darius*, ſive *Hyſtaſpes*, apud omnes convenit, quòd fuit *Xerxis* pater. Eſt itaque, vel *Darius*, vel *Hyſtaſpes*, vel *Darius* cognomine *Hyſtaſpes*: iſque pater *Xerxis*, qui apud *Herodotum* p. 443 dicit, *Neque enim fuerim Darii (qui fuit Hyſtaſpis, qui fuit Arſamis*, [aliter *Arſacis*,] *qui fuit Ariaramnis, qui fuit Teiſpei, qui Cyri, qui Cambyſis, qui fuit Achæmenis) filius, niſi Athenienſes ultus fuero.* Sic apud *Stobæum* p. 88 legitur, Δαρεῖος ὁ Ξέρξου πατὴρ, *ſeipſum laudans, dicebat, in bellis & rebus periculoſis ſe fieri prudentiorem.* Iſte Rex in omnibus *Perſarum* & *Arabum* Libris vocatur گشتاسپ *Guſhtâſp*, *filius* τοῦ لهراسپ *Lohrâſp*: & de ejus Genealogiâ nihil præterea extat. Hinc *Græcis* factum eſt Ὑστάσπης, unde rurſus *Arabibus* وشتاسف *Wyſhtaſp* & يشتاسف *Yſhtaſp*. Nec mirum eſt ſi *Hyſtaſpi*

† Is aliquando apud *Herodotum* ſimpliciter dicitur *Darius*, in S. Bibliis *Artaxerxes*.

præ-

præmittatur nomen *Darius*, cùm hoc, ſive ut Nomen, ſive ut Titulus, omnibus Perſarum Regibus olim datum fuit. *

Lohraſpem regnum filio ſuo *Guſhtaſpi* reſignâſſe tradit *Bundâri* ex *Dakîki* poetâ *Arabe*, qui fuit primus qui Reges Perſiæ carmine laudavit, & ipſe *Guſhtaſpis* Res hiſtoricè tradidit in M Verſibus. † Ex eo multa ſumpſit *Phirdauſi*, autor Libri *Shahnâmæ*, quem *Bundâri* vertit in proſam Arabicam, ubi legitur, قال الدقيقي لما سلم لهراسب سرير السلطنة الي ولده كشتاسب سار الي ذوبهار وكان متعبد عبادهم يقصدونها للمجاورة وينقطعون فيها للعبادة وكانت عند الفرس بمنزلة مكة الطاهرة المحروسة عند العرب فدخلها لهراسب وجلا بنفسه و اغلق عليه باب متعبده ولبس المنسوج ولازم الخشوع والخضوع وخلع سواره و سدل شعره علي عادتهم واقام علي ذلك ثلاثين سنة يعبد الشمس تاسيا بجمشيد الي ان انتهي اجله *Dixit Dakîki, Quando Lohraſp reſignavit Solium Imperii filio ſuo Guſhtaſpi, conceſſit ad Naubahâr* in Balch, *& in cultu inſtituit religioſos eorum qui illuc contendebant ut adhærerent-templo, & qui ibidem ſecludebant ſe ad colendum : id enim loci apud* Perſas *fuit ſicut* Mecca *(ſanctiſſima & cælitùs cuſtodita) apud* Arabes. *Huc itaque ingreſſus* Lohraſp, *mundavit ſeipſum, & clauſit ſibi oſtium eorum quos in cultu inſtituebat : & induit veſtem-textilem, & aſſiduus fuit in humiliatione & devotione, & exuit armillas ſuas, & demiſit comam ſuam ſecundùm morem eorum. Et hoc modo perſtitit triginta annis, quibus colebat Solem imitando* Gjemſhîdum, *donec appeteret fatum ejus.* Nempe ibidem tandem occiſus fuit, ut poſteà videbitur ſub finem Vitæ *Zoroaſtris*.

Celeberrimus Rex *Guſhtaſpes*, ut perhibetur prudentiſſimus, ſic etiam fortiſſimus : nam inter benedictiones nuptiales, quas in Libro *Zend* Sacerdos recenter nuptis apprecatur, ſequente modo legitur,

 *Sicut Rex Guſhtaſp fortes eſtote.*

Si eiſdem literis & diverſis vocalibus ſonaretur گشتاسب *Gheſhtaſp*, ſatis aptè ſignificaret *Factus Equo*, cùm ex Equi hinnitu factus fuerit

* A *Ptolæmeo* vocatur Βιδάσπης; *Vidaſpes*, & à pleriſque *Hydaſpes*; utrumque malè.

† Præter dictum *Bundâri*, eſt in Bibliothecâ *Mertonenſi* MS *Shahnâma* Arabicè per *Naſſireddîn Tuſæum*, uſque ad finem Regum Perſicorum, complectens quoque Familiam *Othmanicam*. Et talis *Shahnâmæ* verſio *Arabica* per *Abulphat Ali Iſpahanenſem* extat in Bibliothecâ *Leydenſi*.

Rex.

Rex. Hocque, magis obvium quam verum, credidiſſe videtur *Herodotus*, verioris Rationis ignarus: is enim ſui Libri *pag.* 225 de iſto Rege refert: Simulachrum lapideum ſtatuit Hominis Equo inſidentis, inſcriptis his Verbis,

DARIUS, HYSTASPIS FILIVS,

TVM EQVI* VIRTVTE,

TVM OEBARIS EQVISONIS,

PERSARUM REGNVM ADEPTVS EST.

Sed, tacitâ illâ hiſtoriâ, Perſæ conſtanter ejus nomen ſonant *Ghuſhtâſp*, quod duplicem ſignificationem habere dicitur: ſive enim ſcribatur گوشتاسپ *Ghuſhaſp*, ſive گشتاسپ *Ghuſhtaſp*, in Libro *Ph. Gj.* exponitur رویا *Somnium*, ſeu احتلام *Somniatio*; atque in eodem Libro idem aliàs exponitur جهنده و خیزه کننده *ſaltabundus & ſe erigens:* hinc (ut ſuprà) celeberrimi Pyrei nomen, ab iſto Rege extructi in *Balch*, eſt آذر گشتاسپ *Azur-Ghuſhtaſp*, i.e. *Ignis ſaliens*, ſeu *fulgur*; diverſum ab alio Pyreo, à *Lohraſpe* ibidem condito, quod, propter vernantem ornatum, vocabatur نوبهار *Nau-bahâr*, i. e. *novum ver*.

Iſtius (ut videtur) Regis atque aliorum viſuntur ſtatuæ, *Solem* & *Ignem* in pariete delineatos intuentes, propè Palatium *Perſepolitanum*. In iſtis ſtatuis Coronæ (ſeu Pilei) ſunt longè diverſæ ab eâ recentiorum dictâ تاج *Tâgj:* nec tantùm Reges, ſed & Sacerdotes ejuſmodi Pileis induti cernuntur, in Proceſſione ſolenni, quæ ibidem ſculpta cernitur. Talis corona ab *Arabibus* dicitur *Kánkal:* ſic *Camûſi* autor *Phiruzabadius*, قنقل اسم تاج لکسري *Kánkal eſt nomen Coronæ Coſroum*, ſeu veterum Regum Perſiæ, quæ Epitheto تاج کیاني *Corona Keyanæa* vocatur. Hoc autem nomen per *Ludibrium* inditum videtur ab *Arabibus*, quibus *Kánkal* primariò eſt *Menſura* quædam *Aridorum*, qualem *Anglicè* vocamus **an half Peck**, lepidè ſubinnuendo eos Reges Capita ſua tali Menſuræ indidiſſe, eâque tecta fuiſſe. Hæcce talis Corona Perſis dicta eſt گرزن *Ghérzen*, quæ, ut Pileus, pro quotidiano uſu ex leviori materiâ fieri ſolebat, cùm Perſarum Crania ſint tenuio-

* Τὸ ἴνομα λέγων *ejus Nomine inſcripto.*

ra iis aliarum Gentium. At, ut Corona, (nam forma erat eadem,) pro ſolenni uſu, Auro & Gemmis plumata, adeò gravis fuit, ut cogerentur eam de catenâ aureâ ſupra Regum capita in Solio ſuſpendere. Talem Coronam penſilem habuit *Coſrav Pervîz* pendentem LX *Man*, ſeu *Minas* eorum, quarum ſingulæ ſunt duæ *Litræ*, ſeu *Rotala* una. Unde abſq; Metaphora, aliquis Perſiæ Rex, recenter coronatus, conqueſtus eſt, *Quàm gravis eſt hæc Corona!* Quo dicto, eum quaſi tanti honoris indignum depoſuerunt ſubditi. Eæ autem Coronæ fuerunt tantæ capacitatis, ut, uti interiùs, magnam Granorum menſuram, ſic & exteriùs, aliquot Carminum inſcriptionem capere poſſent. Unde *Sheich Saadi* dicit كيخسرو *Key-Coſrois* Coronæ inſcriptum fuiſſe,

چه سالهاي فراوان و عمرهاي دراز	*Quid multi anni, quid vita longa?*
كه خلق بر سر ما بر زمين بخواهند رفت	*Mortales enim ſuper terram capita noſtra calcabunt.*
چنان كه دست بدست آمدست ملك بما	*Perinde ut Regnum à manu ad manum ad nos pervênit,*
بدستهاي دگر همچنين بخواهد رفت	*Sic* [à manu noſtrâ] *in aliorum manus tranſire debet.*

Regis *Guſhtaſp* Baſilica, ſeu Reſidentia ordinaria, erat *Perſepolis*;[1] quæ quondam nobiliſſima urbs & totius Perſidis caput, in quâ *Marmoreum Palatium* ex integrâ Rupe exciſum, & excavatæ ibidem Cameræ, cum multis Animalium figuris & Columnis plurimis: unde olim Perſicè dictum هزار ستون *Hazâr-ſutûn*, i. e. *Mille columnæ*, ſeu (ſi vocem fingere liceat,) χιλιοστύλιον *Millecolumnium*; poſito numero certo pro incerto, & prodigioſo pro vero, quia ſunt ibi Columnæ plurimæ. Hoc Palatium, quia ex Rupe exciſum, *Arabicè* nuncupatum eſt اصطخر *Iſtáchr*, q. d. *è Rupe deſumptum*, ſeu *Rupe conſtans* ſaxeum Palatium, nomine deducto ab VIII Conjugatione Radicis صخر *Sachr*, i. e. *Rupes*. Hoc nomen ſemper authenticè ſcribitur اصطخر, non autem eodem ſono استخر, ut in *Ph. Gj.* perperam fit: ubi etiam minùs arridet dicti nominis allata ratio, quaſi *Iſtachr* ſignificet آبگير *âbghîr*, i. e. *Ciſterna*, *un Tank*, ſeu *Lacus* ex cæſo lapide, quia ibi extat talis lacus: hæc enim ratio non à priori, ſed à poſteriori ſumpta videtur.

1 Vid. Append. No. X.

Prope

TAB. VI.
pag. 307.

Ex Mausoléo Persepolitano Rex *coram* Igne *et* Sole *quasi adoraturus stans, cujus* Anima *seu* Icuncula *in nube ad cœlum ascensura cernitur.*

Honoratissimo et Illustrissimo Viro IOHANNI DOMINO SOMMERS Ba de Evesham, *omnium bonarum Literarum Possessori et Patrono, hanc Tabulam summæ Gratitudinis ergô lubens meritóq humiliter* DDD *Autor* T. H.

Prope hoc Palatium eſt *Mons Regius*, quippe in quo Regum Sepulchra erant, & adhuc ſunt; de quo *Diodorus Siculus* refert; *In orientali Arcis plaga eſt Mons IV inde Plethris (i. e. CCCC pedibus) diſtans, quem Regium vocant: in hoc enim Regum Sepulchra inerant. Nam exciſa illic petra erat, complura in medio Domicilia complectens: in quibus* Σηκοὶ *Septa, ſeu Conditoria defunctorum, quæ nullum quidem aditum manu factum præbebant, ſed inſtrumentis quibuſdam manufactis ſublatos mortuorum Loculos excipiebant.* Sic ille. Sed nuperioribus ſeculis dicta *Septa* (vel ſaltem aliqua eorum) perrupta ſunt, ut aditus omnibus pateat, rimando annon etiam Theſauri unà cum Corporibus conderentur: ubi tamen nec Theſauros nec Corpora repererunt. Dicta Conditoria ſunt in ipſâ Rupe, ſub Statuarum pedibus, Columnis ab humo elevata, & Regum Statuæ eis ſuperimpoſitæ *in Baſſo Relevo*, ex latere marmoreæ Rupis eminentes: ita ut Statuarum ſiniſtra latera Rupis lateri adhæreant, quaſi ſint ſtantes ſuper Sepulchrorum ſuorum Columnis, & præ ſe habentes è regione poſitos *Solem* & *Ignem* ſupernè in Pariete ſculptos. Et juxta, in eodem Pariete, ſupra Statuarum capita, ſculpta cernuntur talium Regum *Corpuſcula volatilia*, quaſi per aërem in Cœlum aſcenſura, (uti à nobis *Chriſtianis* ſupra Sepulchra pingi ſolent Capita alata,) animarum ad Cœlum volatum ſignificantia. Et hinc planè conſtat quid de Paradiſo reverà ſenſerint *Veteres Perſæ*; quamvis ad hominum captum, Paradiſi Gaudia cœleſtia per Amœnitates terreſtres & ſenſuales repræſentaverint, uti & *Mohammedani*. Hinc, atque aliunde, conſtat, quod *Magi* reponant Defunctorum Animas in *Cælo*, in manibus Angelorum uſque ad Reſurrectionem. *Græci*, & *Curdi*, & *Indi*, & *Seres*, eas reponunt in *Beſtiis*, credentes Animam varias ſubire *Tranſmigrationes*, & Pœnæ Gradus, ad Depurationem, eamque tandem ad Cælum, ſeu eorum *Elyſium*, appellere. Hi enim pro Improbis, locum *Pœnæ Temporalis*, & pro Melioratis, *Elyſium* parabant *Æternum*. Videatur quoque *Cyri* ante mortem pia Oratio, in quâ (inter alia) Animæ immortalem ſtatum declarat, in *Cyropædia*. In eodem quoque *Mauſoléo* tales Genii plures quaquaverſus volitantes cernuntur, ad ſuperiores manſiones volaturi; qui repræſentantur per *Corpuſcula inferiùs nubibus involuta*, eáque tam directo quàm reverſo ſitu poſita. D. *Thevenotus* in *Itinerario*, horum *Iconiſmorum* ſcopum haud ſatis percipiens, *Deitates alatas* vocat; perperam omnino. Nec quidem reliqua ſatis intelligibiliter deſcribit; præſertim *aliquid ſupra januam*; ita ut quid ſibi velit, intelligi nequeat. Neque meliùs quidem id quod ſuprà dictas figuras, ſeu *Iconiſmos*, extat, intellexit

tellexit D. *Mandelſlo*, nec ex eo *Herbertus*, qui pro *Animâ in nube ſurſum volante (inter Solem & Ignem,)* exhibet *Serpentem ligno impoſitum & involutum*, ut ſolet eſſe *æneus* Serpens *Iſraelitarum*. In hoc autem peſſimè erratum eſt, inſinuando quaſi Serpentem adoraſſent: illi enim Serpentes maximè odio habent, & eos necâſſe beatiſſimum pietatis opus ducunt. Ille autem quid eſſet nube involutum non diſtinxit.

Perſæ (præſertim ii in Indiâ) ajunt, quòd tandem (interceſſione *Zerduſhti)* à Deo conceſſum fuit *Guſhtaſpi* ut in cœlum aſcenderet: & filio natu maximo *Piſhôtun*, ſeu *Baſhûten*, conceſſum, ut in hoc Mundo ſupereſſet Immortalitate donatus, idque in دماوند کوه *Dummâvand monte*, (rectiùs dicto دنباوند *Dunbâvand*,) unà cum XXX Satellitibus pariter immortalibus, qui jubentur omnes alias creaturas arcere à beatiſſimo illo æternizandi loco, ne fortè ibi etiam evadant immortales. *Ali Bergjendi* dicit, quòd ad ſummum ejus cacumen aſcendi nequit, quia ibi extant vapores *Salis Ammoniaci*. Iſtum autem montem celſiſſimum (ſub nomine *Damoan)* cum multâ difficultate conſcendit *Herbertus* noſtras, (p. 112,) qui dicit ſuperiorem ejus partem conſtare nativo ſulphure, unde noctu quaſi ſcintillare videtur: & quòd ab hoc monte, in communem uſum, *Sulphur* ad omnes vicinas regiones deferri ſolet. Sic ille. Sed illius veniâ, noctu ſcintillatio, ſeu coruſcatio, eſt potiùs à *Sale Ammoniaco*. Utcunque autem hæc de *Guſhtaſpe* ſint fabuloſa, falſò tamen huic fundamento ſuperſtructa eſt alia fabula de ejus perennatione, at in alio diverſo loco: ſic enim *Ibn Shahna* Arabs; كشتاسف هو الذي يزعمون انه باق في حلكندر *Guſhtaſp ille eſt quem ſuperſtitem eſſe credunt in Halacánder*. At pro hoc vitioſo loci nomine *Halacánder*, legendum eſt كنكدز *Gangdiz*, ut rectè habet *Abulpheda*; de quo loco ſuperiùs abundè diximus. Dictus Rex (ut mox videbitur) in animo habens *Indos* ſubjugare, Navigationem eum in finem inſtituit (ut puto) per Fluvium, ab eo itaque denominatum *Hydaſpem*, qui (ſec. *Ptolemæum*) ex *Imao* monte ſcaturiens, influit in *Zaradrum*, qui mox in *Indum*, *Plinio* dictum *Sandum*, pro *Sind*, ſeu *Sindus*; unde tota illa Regio, huic flumini adjacens, vocatur *Sind-Hind*, ſeu *Sindo-India:* nam *Indus* eſt nomen ab aliis impoſitum, Incolis autem ignotum. *Ptolemæus* ponit *Indi* fontes ad *Longit.* 125, *Hydaſpis* fontes ad 128, *Gangis* ad 140. At in Globo *Cæſiano*, *Ganges* eſt circa 120, & in Libro Perſico *Maſâ-*

lik

lik mamâlik eſt circa 107: his ergò nulla fides. At dicente *Herodoto* p. 270, (de quo loco me ſubmonuit Amicus,) *Ille Rex miſit Scylacem & alios ad perveſtigandum ubinam Indus in mare influeret. Et poſt horum navigationem, Darius Hyſtaſpes Indos ſubegit, & eo mari potitus eſt. Scylax itaque & ſocii è Caſpatyro urbe & è terrâ Pactyiâ ſolventes, ſecundo flumine Auroram verſus atque orientem Solem navigârunt in mare: & dehinc per ipſum mare Occaſum verſus; XXX demum menſè tenuerunt eum locum unde Rex Ægyptiorum eos Phœnices (ut anteà dixi) miſerat ad Libyam circumnavigandum.* Ille ergò ab Oriente, idem fecit quod *Pharao Neco* per *Phœnices* fecerat, ab Occidente incipiendo. *Caſpatyrus* (cujus alibi meminit *Herodotus*,) *Stephano* eſt Indiæ urbs *Gandarica* in litore Scythico. Eſtque *Gandara* Regio borealis, in quâ ſunt fontes *Indi* & *Hydaſpis*, &c. multis gradibus citra fontes *Gangis*. Cùm autem *Herodotus* non expreſſè dicat per quem fluvium inſtituta fuerit dicta navigatio, inde exurgit difficultas. Si *Bertii* Chartis *Ptolemaïcis* ſit fides, huic navigationi *Ganges*, curſu tendens ad Notapelioten, meliùs quadrat quam *Indus*, aut *Hydaſpes*. Atqui *Ganges*, qui effunditur in *Sinum Bengalenſem*, parum juvabat ad explorandum oſtia Indi, niſi per totum continentem *Indiæ* circuiendo redierit occidentaliter ad oſtia Indi: quod vix credibile; cùm is tum eſſet hujus regionis ignarus: id autem feciſſe requirebat ut eſſet harum partium valde gnarus. Præterea ſi ille occupaverat regionem *Gangeticam*, tunc erat in Meditullio *Indiæ*, nec opus erat ulterioris invaſionis: cùm nec *Alexander* ultra *Gangem* unquam proceſſerit. Cùm itaque per Indum navigando, & Indos ſubjugando, eo mari potitus eſt, intelligitur illud mare quod eſt ad oſtia Indi. Is enim Indos ſubjugavit, poſt illam navigationem, non ante eam. Ulteriùs ergò diſquirendum, annon potiùs navigaverit per *Indum* ipſum, aut per *Hydaſpem*, qui (ut dictum) in *Zaradrum*, qui in *Indum* influit? Huic quidem ſententiæ aliquantulum obſtat, quòd in dictis Chartis (ſi integra eis fides,) ambo iſti Fluvii tendant planè auſtraliter: adeò ut difficile ſit ſtatuere quo modo per horum alterum ad orientem Solem navigaverit. Meritò autem dubitandum an Chartæ rectè horum fluviorum curſum dederint, cùm eorum flexuræ & divertigia ſæpiuſcule *Ptolemæo* æque ac nobis ignota fuerint. Nam certiſſime omnis Fluvius aliquas flexuras habet: *Ptolemæus* autem *Hydaſpi* nullas tribuit, niſi quòd ejus Commiſtionem cum *Zaradro* & *Indo* ponat ad locum ipſis Fontibus occidentaliorem; quod contra nos facit. Sed per quantum orientalem circuitum priùs (quod pro nobis faceret) illuc forte redierit, non dicitur. Adeò ut, quamvis

quamvis is non notavit, fortaſſis *Hydaſpes* in Meridie tandem deſinens, antea habuerit tales flexuras quæ per multa Milliaria orientaliter tetenderint, ut (ſi per *Hydaſpem* navigaverit) ex dicto *Herodoti* loco neceſſario colligendum & concludendum. Ex hac itaque ſuppoſitione, illum innominatum Fluvium, per quem navigavit, fuiſſe *Hydaſpen* probabile faciunt ſequentia: viz. primò; quia *Hydaſpes* non eſt nomen origine *Indicum*, ſed plane *Perſicum:* unde à Perſis videtur inditum propter aliquam cauſam notabilem, utpote quia *Hydaſpes* Rex per illum navigaverit ad invadendum Indos. 2. Quia apparet quòd iſte Fluvius erat navigabilis, cùm *Arrianus p.* 125 dicat *Hydaſpen* nullibi anguſtiorem eſſe XX ſtadiis. 3. Quia erat commodus ad invadendum Indos, quod comparet ex *Strabone*, qui aſſerit *Alexandrum*, Indos invaſurum, naves ſuas conſtruxiſſe ad *Hydaſpen*. Dictus itaque Perſarum Rex, cupidus explorandi oſtia Indi, videtur ſuam navigationem inſtituiſſe per iſtum Fluvium, ideò ab eo denominatum *Hydaſpen*, influentem in *Zaradrum*, qui in *Indum*, cujus oſtia exploranda erant. Et dicta urbs *Caſpatyrus* videtur ſita ad ripam *Hydaſpis* in boreali parte Indiæ, ut ex *Stephano*, & alio *Herodoti* loco colligitur. Hæc eſt mea ſententia, quam (ut mihi probabilem) modeſtè propono, nemini autem eam impono, meliori informationi libenter auſcultaturus: nam ſemper volo ut cuique liberum ſit judicium. Iſte itaque potentiſſimus totius orbis Monarcha, *Phridûno* & *Alexandro* haud impar, ſuum Imperium dilatavit in ipſam *Indiam* in Orientem, & (ut vult *Herodotus*,) in Occidentem, ſumendo vindictam à *Scythis*, qui anteà Perſiam XXVII annos occupaverant. Et quando iſte Rex tandem *Indiam* poſſederat, ſcientiæ adipiſcendæ ergò, *Brahmanos* conſuluit, ut *Am. Marcellinus* docet; *Hyſtaſpes prudentiſſimus, Darii pater, qui cùm ſuperioris Indiæ ſecreta fidentius penetraret, ad nemoroſam quandam venit ſolitudinem, cujus tranquillis ſcientiis præcelſa Brachmanorum Ingenia potiuntur: eorumque monitu, Rationes mundani Motûs & Syderum, puróſque Sacrorum Ritus (quantum colligere potuit,) eruditus, ex his quæ didicit aliqua Magorum ſenſibus infudit.* Hæc planè ſignificant eum Matheſeωs rudimenta didiciſſe ab *Indis*.

Bundâri alicubi ait *Zerduſhtum* ſe *Guſhtaſpi* applicâſſe anno ejus II, ſi verum ſit. Hoc autem non conſiſtit cum eo quòd *Zerduſht* fuerit ſervus Prophetæ *Iſraelitici*, quod omnes de eo affirmant. Alibi, *Bundâri* dicit rectiùs, poſt annum Regis triceſimum acceſſiſſe *Zerduſht*. Dictus Rex *Guſhtaſp* regnare cœpit anno Mundi MMMCDLXXXIV, ante *Chriſtum* DXIX annis. Et regnavit XXXVI annos.

Quia

Quia verò Perſæ erant Sagittarii optimi, ergò apud *Mauſoléum Perſepolitanum*, in Regum manibus tenetur *Arcus*, (cui innituntur,) ut Perſarum Inſigne. Et apud *Strabonem* in *Darii* (fortè *Hyſtaſpis*) Sepulturâ ponitur Epitaphium; *Amicis fui ἱππεὺς καὶ τοξότης ἄριστος Eques & Sagittarius optimus, venatores fugavi, & omnia facere potui.* Et dicente *Plutarcho* in *Moralibus* p. 211, *Perſarum Numiſma Daricum Sagittario ſignatum fuit.* Talis Nummus, vel apud *Spanhemium*, vel apud *Goltzium* videri poteſt, ubi Rex altero genu flexo jaculatur.* Et, ſi rectè memini, *Suetonius*, in *Caligulâ*, ponit in *Parthorum* Vexillo *Draconem*, & in eorum Vexillo regio *Arcum.*

Fortaſſis propter prædicta fabuloſa, quæ ſuperiùs referuntur, factum fuerit, ut iſti *Hyſtaſpi*, à corruptis *Chriſtianis*, longè poſt *Chriſtum*, affingeretur aliquis Liber *Revelationum de Chriſto*, cujus meminit *Juſtinus Martyr*, qui etiam, hujus Libri deluſionibus deceptus, eundem probat, & bonus ille vir dolet ejuſdem lectionem tunc fuiſſe prohibitam. Vide ejus *Apologiam* p. 66 & 82. Iſte *Hyſtaſpes* apud *Lactantium* lib. 7, cap. 15, vocatur *Hydaſpes*, de quo ibi narratur; *Hydaſpes, Medorum rex antiquiſſimus (à quo Amnis denominatus) — vaticinantis pueri ad memoriam poſteris tradidit, Sublatum iri ex Orbe Imperium*, ſc. *Romanum*, &c. Et cap. 18, eundem cum Vatibus dæmonurgis numerat. Erratur autem in nomine, cùm nullus *Medorum* Rex unquam rectè dictus fuerit *Hydaſpes*, ſed tantùm *Hyſtaſpes*. Iſte autem, ut vides, à quibuſdam corruptè dictus eſt *Hydaſpes*, unde facta eſt unius fluminis in *Indiâ*, & alterius in *Mediâ*, Denominatio.

* Ut quid ſit Δαρεῖκον, ſeu Nomiſma Perſicum *Sagittario* ſignatum, melius compareat, dedimus ex Doctiſſimo *Spanhemio* talem Τοξότην *Sagittarium* Genu flexo jaculantem; qui quidem mos etiam *Græcis* non inſuetus, ut ex *Goltzio* conſtat. Eo enim modo ſemper utebantur *Parthi & Perſæ*, ut, inter jaculandum, Genu dextrum humo applicarent. Arcus quidem tenſus eſt, ut vides: remiſſus verò in contrariam partem revertitur, hac Formâ C, uti conſtat, tam ex Arcu Perſico quem penes me habeo, quàm ex plurimis aliis quos aliquando vidi.

Cap. XXIV.

Zerduſhti ſeu Zoroaſtris Vita.

PErſarum Propheta *Zerduſht*, ſeu (ut ſemel cum vocali *Damma* ſcriptum vidi,) *Zorduſht*, idem eſt qui *Græcis* ſonat Ζωροάστρης, ſeu aliis Ζωρόαστρις in caſu recto. Is in hominum ore vulgò perperam ſonat *Zoroaſter*, cùm apud *Græcos* non detur talis hujus nominis forma. Ideóque miror cur *Doctiſſimus Scaligerus*, ſupponendo illam formam, etymologiam dederit per זרו־אסתר, verba nihil *Hebraicè* ſignificantia, ſed tantùm *Hebracis* literis ſcripta; & nomen Ζωροάστρην interpretando *Vivum Sydus* & Ἀστροθύτου. In hæc animadvertere viſum eſt, ne aliquis tanti viri (aliàs doctiſſimi) autoritate ſeducatur.

Autores avidè arripuerunt *Zoroaſtris* nomen: de ejus tamen ſeculo & patriâ errando, unum eundémque hominem in plures multiplicando, ut videre eſt in *Patritii Zoroaſtre*, & ut mox heic etiam videbitur. At quicquid dixerint, ille fuit tantùm unus, iſque tempore *Darii Hyſtaſpis*, nec ejus nominis plures unquam extitêre: nam antiquiſſimus ille *Bactrianorum* Rex qui eo nomine appellatur, à *Diodoro Siculo* rectiùs Ὀξυάρτης nuncupatus eſt, ut ſuprà monuimus.

Nominis *Zoroaſtris* ſcriptio vitioſa eſt apud *Græcos*, qui ſolent pleraque nomina Orientalia vitiare: idque partim, quia talium nominum Scriptores ſæpè eorundem ſonos, non è Libris, ſed è vulgi ore accipiebant; partimque, quia *Græcorum* literæ non ſunt ad omnes ſonos orientales benè accommodatæ, præſertim deeſt *ſh* ubique, & *h* in medio vocum deſideratur. Deinde rurſus, *Græci* (præſertim *Medici*) aliquando è malè ſcriptis libris *Arabicis*, aut *Perſicis*, hauſerunt nomina, quæ rurſus nobis dederunt corruptiora: ut pro تمله بقره *Támalapátra*, videntur legiſſe ملة بقره Μαλάβαθρα, aut τὰ Μαλάβαθρα, *Malabathrum*. Sic pro بادنجان *Bâdingjân*, legerunt مالنجان *Melongena*: pro بدخش *Badàchſh*, legerunt بلخش *Balàchſh*, *Balaſſius*: pro پدنگ *Pudèngh*, ſeu پدنج *Pudèngj*, legerunt پلیج *Pulêgj*, *Pulegium*, non à necandis *Pulicibus*, ſed ab *orientalis* nominis corruptelâ ortum. In his litera *Dâl* oblongior, propter figuræ ſimilitudinem, à Scribis mutata fuit in *Lâm*; eodem modo quo factum fuit in nomine تدمر *Tadmur*, mutato in پلمر *Palmyr*. Ex ejuſmodi in *Arabum* libris

libris vitiosâ ſcripturâ orta ſunt corrupta nomina *Antimonium*, *Mandragora*, &c. explicatu prolixa, quæ non ſunt ullius Linguæ voces, quas tamen in criticorum malam crucem paravit veterum Incuria. Alia errandi anſa fuit *Orientalium* Nominum ſcriptio cum ſolis Conſonantibus ſine Vocalibus: adeò ut vocibus per ſe ἀφώνοις, pro libitu dederint ſonos, uti & noſtrates aliquando faciunt.

Ut itaque in aliis multis, ſic & in hoc nomine Ζωροάστρης pariter errârunt, ubi ο pro δ, quâ ratione, meliùs ſcripſiſſent Ζωρδάστης. Sed apud *Orientales*, literæ *Vau* & *Dâl* MS ſunt ſibi invicem ſimiles, ut pro زردست *Zorduſt*, ſeu *Zardaſt*, facilè legerint زروست *Zoroaſt*. Scribæ alius error eſt apud *Theodorum Mopſueſtienſem*, ſcribendo Ζάσραδης, redundante σ: & apud alios Ζάθρατος, redundante θ: id enim meliùs ſcripſiſſent Ζάρατος, ſeu potiùs Ζάρατος, vel Ζάρατυς, niſi quod Ῥήσημον Βαῦ vix ſatis eis videretur Terminatio Græca.

Hujus nominis ſcribendi Formulæ apud Orientales ſunt variæ, quaſi alicujus in Religione *Protei* nomen πολύμορφος. Uſitatior ac verior forma eſt زردشت *Zerduſht*, quod tamen aliquando apud Poetas ſonatur *Zerriduſht*: & deinde ſequentibus modis quandoque ſcribitur, ſc. زراشت *Zarâduſht*, & (ſonando *t* pro *d*) زراتشت *Zarâtuſht*, & aliter زردهشت *Zerd-hùſht*, vel Rythmi & Cadentiæ causâ apud Poetas *Zerd-hàſht* & *Zerd-hiſht*. In Libro. *Ph. Gj.* monetur aliquando ſcribi زاردشت *Zârduſht*, & زارتشت *Zârtuſht*, & زرهشت *Zeratùſht*, & زرتشت *Zertùſht*, & زارهشت *Zâr-hùſht*, & زراهشت *Zarâdhùſht*, & زاردهشت *Zârd-huſht*. Quin &, præter has omnes ſcribendi Formulas, in nuperis Apographis, in Linguâ *Péhlavi* ſcriptis, reperiuntur ſequentes Formæ, quas etiam, unà cum ſupradictis, Lectori in hoc loco exhibendas cenſui: ſunt autem

Zaratúſhtriſh, &

 *Zaratúſhtra*, &

 *Zaratúſhtru*.

Quin & hoc nomen (ut ſupra monui,) in Lib. *Nim.* ſcribitur etiam زردشت *Zorduſht*, ſub Ordine Vocalis *Dammæ*, cujus Interpretatio

Scribarum Errore, datur امام مرغان *Antiſtes Avium*, perperam pro امـام موغان *Antiſtes Magorum:* ideóque tales Libri MSS infinitis mendis ſcatentes, peritum Lectorem poſcunt. Iſte idem eſt qui apud *Porphyrium* legitur Ζάβρατος, ſeu Ζάρατος, quem *Pythagoras* conſuluit: nam *Pythagoræ* prælegiſſe *Zabratum* meminit *Porphyrius*. Sic etiam *Apulejus* in *Floridorum II*; *Ajunt Pythagoram (cùm inter captivos Cambyſis Ægyptum adveheretur,) doctores habuiſſe Perſarum Magos, ac præcipuè Zoroaſtrem, omnis divini arcani Antiſtitem.* Clemens Alexandrinus mendoſè legit *Pythagoras diſcipulus Nazarati Aſſyrii*, pro quo meliùs dixiſſet *Zarati Perſo-Medi*. Et hujus Præceptor fuit *Hoſtanes*, ſeu *Soſthenes*, ſive *Zoſtrianus*, cujus *Zoroaſtres* fuit Nepos.

Proximè quid hoc nomen *Grammaticè* & ex Vi vocis ſignificet, diſquirendum. *Bar Bahlûl* Syrus hoc nomen ſeq. modo exponit, ܙܪܕܘܫܬ ܙ ܕܗܒ ܡܠܟ ܗܘ ܕܗܒ ܡܠܟ ܗܘ ܕܐܡܪ ܕܗܒ ܡܠܟ ܗܘ ܙܪܕܘܫܬ ܗܘ ܕܐܡܪ ܙ

Pravus, Malo-aſpectu, deformis Perſona aut Res; q. d. *Aurum pravum* ſeu *deforme*; quæ quidem ſignificatio non multùm quadrat. Propiùs accedit id quod legitur in Libro *Ph. Gj.* زردهٔ دهي *Zerdih-dihì*, & زردهٔ هشتي *Zerdìh-háſhti*, quæ exponuntur زر خالص *Aurum purum* ſeu *ſincerum*, ſcil. *Obryzum*; Sed hæc etiam non ſatisfaciunt.

De ejus Ortu & Patriâ apud *Europæos* dubitatur, & in diverſum itur. Apud *Suidam* memoratur Ζωρομάσδης, *Chaldæus Sapiens, qui ſcripſit Mathematica & Phyſica.* Is videtur idem qui apud eundem *Suidam* audit Ζωροάστρης, *Perſo-Medus, cæteros Aſtronomos ſapientiâ ſuperans. Cedreno* notatur *Zoroaſtres, nobilis apud Perſas Aſtronomus.* Alîus meminit *Zoroaſtris Proconneſii circa Tempora Xerxis.* Dicente *Clemente Alexandrino* p. 223. *Zoroaſtrem Magum fuiſſe Perſam Pythagoras oſtendit.* Et p. 426, *Plato in X Lib. de Republicâ meminit Heri Armenii, genere Pamphili, qui de ſe ſcribit; Hæc ſcripſit Zoroaſtres Armenti filius, genere Pamphilus; In bello occiſus cùm eſſem, apud Inferos à Diis hoc didici. Hunc Zoroaſtrem, cum XII die poſt mortem in Rogo eſſet poſitus, Plato dicit revixiſſe.* Is aliàs audit, *Zoroaſtres Armenius, Zoſtriani Nepos & familiaris Pamphilus Cyri*, ſeu *Zoroaſtres Pamphilus, Cyri familiaris.* Annotator *Arnobianus* habet, *Zoroaſtres Armenius, Zoſtriani filius.* Quia verò *Zoroaſtres* aſſerebat *Oromaſden* & *Arimanium*, erant qui horum utriuſvis filium eum nominârunt, ſubinde etiam ſcribentes *Armenium.* Sic dictus *Clemens*; Ζωροάστρης ὁ Αρμενίυς; & *Agathias*; Ζωροάστρης ὁ Ωρομάσδεως. Hi autem omnes ſunt unus *Zoroaſtres.*

Sed haud mirum eſt ſi *Europæi* hoc modo diſſentiant de homine peregrino, cùm illius populares *Orientales* etiam de ejus proſapiâ dubitent: at de ejus tempore concordant omnes, unum tantùm conſtituentes *Zoroaſtrem*, eúmque in eodem ſeculo ponentes. Sunt ex *Indo-Perſis* qui ſuum *Zerduſht*, ſeu *Zoroaſtrem*, ex *Chinâ* ortum dicunt, Patre *Eſpintaman* & matre *Dodo.* Hæc autem nomina non ſunt *Sinica*, & eorum ſoni eâ linguâ exprimi commodè nequeunt. Alii ex eis ab alterâ Mundi extremitate arceſſentes, eum in Occidente, vel in *Europâ* cretum volunt: fortè intelligunt *Palæſtinam.* Apud *Abulphedam* Vol. 3. p. 58, *Zerduſht* dicitur ortus ex ارمي *Urmi*, ſeu ارميهٔ *Urmia*, quæ occidentaliſſima Civitatum *Aderbayagjân*, in montibus *Gordiæis. Megjdi* & alii Hiſtorici eum ex *Palæſtinâ* veniſſe affirmant, ut ſuprà dictum. In Libro *Pharh. Gj.* ortus dicitur ex Proſapiâ Regis *Phridûn* in Perſiâ. In Libro *Mugj.* fol. 224. 2, ponitur

زردشت بن سدیومان *Zerdusht filius Sad-yumân.* Sed fortè سدیومان *Sad-yumân* perperam sic scriptum fuerit pro سپنتمان *Spintamân*, qui reverà fuit *Zerdushti* pater. Et quidem certè ex sequenti ejus genealogiâ & parentum nominibus planum est, eum fuisse genere Persam. Et hoc non obstat quin in junioribus annis fuerit *Prophetæ Israelitici* servus, suæ fortunæ faber, cùm ejus parentes fuerint pauperes. Nam quòd die *Anirân* ex Occidente primò venerit in *Aderbayagjân*, habendum est pro Testimonio valdè authentico. A talis Prophetæ Miraculis fuerit stimulatus ad similia patrandum, & proinde multas astutias studuerit, prompto Ingenio & forti Imaginatione & naturali Audaciâ & Confidentiâ adjutus: nam si non fuisset audax & intrepidus, totius Nationis Religionem suo modo reformare non tentâsset. At quoad veram ejus Prosapiam, ea in Libro *Sad-der*, optimâ autoritate, fusiùs narratur, زراتشت آنکو بود از پورشسب که اورا نسب بود از پیترسب دگر هیچرسب آنکه از چخشونش زاسفنتمان بود *Zarâtusht qui ortus est à Pûrshàsp, cujus genus à Pîteràsp, dein ab Hîtcheràsp, qui à Tchechshûnesh, qui ab Espintamân fuit.* Sed alibi sæpiùs in eodem Libro, brevitatis causâ, scribitur زراتشت اسفنتمان *Zerâtusht τȣ̃ Espintamân*, q. d. *Filius Espintamân*, qui tamen non tam Pater quàm Tritavus fuit. Sic tamen est loquendi mos apud eos. Et aliquando ipse *Zerdusht* vocatur *Espintamân* simpliciter, & eo solo nomine intelligitur. Et hoc modo, propter insigne patratum facinus, paternæ Genealogiæ istius hominis, aliàs obscuri, memoria usque ad finem Mundi continuabitur. Et ut de Patre conveniunt, sic inter omnes convenit Matris ejus nomen fuisse دغدو *Dôghdu*, quod (liquescente *gh* ut in vocibus Anglicis high, mighty, &c.) apud eos plerumque sonat *Dôdu*; nam sonus *Gain* in medio vocum ferè evanescere solet. Hocque nomen innuit quasi fœcunditate ea similis esset ejusdem nominis *Gallinæ Indicæ*, cujus Icon apud *Herbertum* in *Itinerario* extat sub nomine *Dodo*, cujus etiam Exuviæ farctæ in Auditorio *Anatomico Oxoniensi* servantur. Est autem *Dodo* magna Avis, parvis & exilibus Alis, quæ ad currendum juvant, sed ad volatum non serviunt; unde nec *Volucris* dici queat. Corpus est rotundum & pingue, ponderis L librarum. Cibus pravus, stomacho nauseam movens. Hujus avis vultus præ se fert Melancholiam. Sinciput nudum, Occiput lanugine tectum est, ut & totum corpus. Rostrum à naribus ad mucronem leviter virescit, admistâ Tincturâ subluteâ. Reliqua ex Icone dignoscantur.

TAB. VII.

pag. 316.

Reverendo Viro THOMÆ SMITH S.T.D.ri hanc Tabulam tam priscum veteri Amico D.D.D. Autor T.H. MB. d. et sculp.

cantur. Plurima parit ova, unde & commodum Fœcunditatis Emblema. In Inſulâ *Madagaſcar* & *Bygarroys* præcipuè naſcitur.

Supradictus *Zerdùſht* apud Orientales (ut dictum) decoratur Titulo حكيم *Hakîm*, ſeu *Viri docti* & *Philoſophi*: & in vetuſtis Libris vocatur رد *Ràd*, i.e. *Sapiens*. Is, omnium conſenſu, fuit in *Aſtronomiâ* & in *Aſtrologiâ judiciariâ* verſatiſſimus & peritiſſimus. Unde Doctiſſimus Rex, peritiſſimus Aſtronomus atque Aſtrologus *Olugh Beigh*, in *Aſtrologiâ* ſuâ *Perſicâ* hactenùs inditâ, (agens de نمودارات *Nomudârât*, ſeu *Indicatoribus* Horoſcopi, ſive *Signi Aſcendentis* in Nativitatibus,) *Ptolemæi Indicatori* præfert eum, *Hermeti*: & *Hermetis Indicatori* præfert *Indicatorem Zerduſhti*, وبصواب نزديكتر بزعم احكاميان نمودار زردشت حكيم است *Opinione autem Judiciariorum, vero propior eſt Indicator Zerduſhti Philoſophi*. Adeò ut is de *Judiciariâ Aſtrologiâ* neceſſariò Librum ſcripſerit, in quo etiam ſe aliis peritiorem oſtendit.

Quando *Zerduſht* ſecum inſtituerat Religionem ſuam Perſarum Regi recommendare, ſedem ſibi ſelegit prope Perſarum Regiam, quæ tunc fuit *Iſtachr*, ſeu *Perſepolis*. Sic *Beidavius* Hiſtoriographus Perſicus in Vitâ Regis وشتاسف *Hyſtaſpis* ait; *Hujus tempore Zerduſht Religionem Maguſæam propagavit, & homines à Religione Sabiâ avocavit; in monte* نفشت *Naphàſht, qui eſt in Iſtachr, locum habens.* Ut itaque Hiſtoriam Vitæ *Zerduſhti* ex Orientalibus Scriptoribus proſequamur, primo in loco audiatur Hiſtoricus Arabs *Abu Mohammed Muſtapha* qui in Vitâ *Guſhtaſpis* refert, وبعد مضي ثلثين سنة من ملكه ظهر زرادشت الحكيم وهو صاحب كتاب المجوس وتوقف كشتاسف عن الدخول في دينه اولا ثم صدقه ودخل في دينه وكان هو من تلاميذه عزير سمعه وقراء عليه ثم خالفه فدعي عليه عزير حتي تجذم — فتفاه بني اسرايل من بينهم فسار الي طرف المشرق — ثم الف هذا الكتاب في اثني عشر مجلد كل مجلد في جلد ثور يحمله عجلة واحدة اباح فيه كتابه تزويج الام والاخت واحل شرب الخمر واشحن ذلك الكتاب بكلمات داود النبي بما سمعه من عزير وحلي كتابه المذكور بالنقوش الذهبية واودعه كشتاسف في اصطخر *Poſtquam elapſi fuerant XXX anni regni ejus,* [ſc. Guſhtaſpis,] *apparuit Zerâ-*

Zerâdusht ſapiens, qui fuit Autor Libri Magorum. Primò quidem deſtitit Guſhtaſp ab ingreſſu in Religionem ejus: ſed poſtea fidem ei adhibens, in Religionem ejus ingreſſus eſt. Fuit quidem ex Diſcipulis Ozeir, [ſeu Ezræ] *quem audire ſolebat, eique viciſſim legere aſſuetus eſt. Sed cùm ei contradiceret, aliquid in eum imprecatus eſt Ozeir, donec leproſus evaderet. — Poſteà rejecerunt eum filii Iſrael è medio ſuî, & tunc in plagam Orientis migravit. — Deinde compoſuit iſtum Librum duodecim Tomis: & quivis Tomus* [conſcriptus] *in corio taurino, erat quantum portaret Vitulus. In iſto Libro licitum fecit conjugium cum Matre aut Sorore, & Vini potationem permiſit: Librum verò iſtum inferciebat verbis Davidis Prophetæ, quæ audiverat ab Ozeir. Eúmque Librum adornavit Scripturis aureis, & Guſhtaſp repoſuit eum in urbe Iſtachr.* Quòd autem *Zerduſhti* Opera impleverint XII grandes Tomos quantos portare potuerint tot Vituli, non eſt valdè mirum; cùm *Veterum Perſarum* Characteres ferè majuſculi fuerint, eóſque ipſe craſſiore calamo, ornatûs & Αὐθεντίας cauſâ, ſcripſerit. *Bundâri* narrat eum fuiſſe ſervum alicujus Diſcipuli *Jeremiæ*. *Abulpharagius* vult eum fuiſſe ſervum *Eliæ:* ſed tempus non patitur, cùm iſte propheta CD annis ante illum vixerit. Et apud eundem, lepræ imputatio τῷ *Zerduſht* videtur malè fundata in *Geházi* hiſtoriâ, qui *Eliſhæ* ſervus, ab eo lepræ devotus eſt & dimiſſus fuit leproſus, eò quòd, invito Magiſtro, currens poſt *Naaman* petiit ab eo munus. Rectiùs fortè ſupradictus *Abu Mohammed Muſtapha*, referens *Zerduſhtum fuiſſe ſervum* عزير *Ozeir*, ſeu *Ezræ*, quod veriſimillimum videtur.

Plenius & diſtinctiùs rem narrat *Bundâri* Mohammedanus, ذكر ابو جعفر الطبري في كتابه عن بعضهم ان زردشت كان من اهل فلسطين وكان خادما لبعض تلامذة ارميا النبي ع م خاصا به ايثرا عنده فخانه وكذب عليه فدعي الله عز وجل عليه فبرص فلحق ببلاد آذربيجان وشرع بها دين المجوسية ثم توجه الي كشتاسب وهو ببلخ فلما قدم عليه وشرح له دينه و اعجبه فقسر الناس علي الدخول فيه وذكر ايضا عن بعضهم ان ظهور زردشت عند كشتاسب كان بعد ثلاثين سنة من ملكه و اتاه بكتابه الذي ادعاه انه اوحي اليه فقبله فكتب في جلد اثني عشر الف بقرة خطا في الجلود ونقشا بالذهب وصيره كشتاسب في موضع من اصطخر يقال له زرديشت و وكل به الهرابذة ومنع

ومنع من تعلمه العامة وحكي ابو جعفر ايضا في موضع آخر ان
كشتاسب واباه لهراسب كانا علي دين الصابيين حتي اتاهما
زردشت بما اتاهما *Abu-Gjaphar AlTábari in Libro ſuo ab aliquibus eo-*
rum meminit, quòd Zerduſht fuit ex incolis Palæſtinæ, fuitque Famu-
lus alicui Diſcipulorum Jeremiæ Prophetæ, cui pax, peculiaris ei & æſ-
timatus apud eum. Sed cùm deceperat eum & mentitus fuerat ei, Deum
precatus eſt contra eum, & leproſus evaſit, & conceſſit in Regionem Ader-
bayagjân, ubi incepit propagare Religionem Maguſæam. Deinde conver-
tit ſe ad Guſhtâſp qui erat in Balch: & quando acceſſerat ad eum, ei-
que Religionem ſuam expoſuerat, is admiratus eſt eam, & coëgit homines
ingredi in eam. Meminit quoque ab aliquibus eorum, quòd Zerduſht ma-
nifeſtavit ſe Guſhtaſpi poſt trigeſimum Regni ſui annum, eique attulit
Librum ſuum quem jactabat Revelatione delatum ei. Illum itaque acci-
piens, eundem ſcripſit in coriis 12000 *Vaccarum, excavando* [literas] *in*
coriis, eaſque deaurando. Eundem itaque [Librum] *Guſhtâſp collocavit*
in Iſtachræ loco dicto Zerbîſht, eique præfecit Sacerdotes, prohibens eun-
dem docere vulgum. Refert quoque Abu Gjaphar in alio loco, Guſhtâſ-
pem & patrem ejus Lohrâſpem fuiſſe de Religione Sabiorum, donec ad eos
attulerat Zerduſht id quod ad eos attulit. In eundem ferè ſenſum
Megjdi, Perſa Mohammedanus, in Libro *Zînato 'l Magjâlis* refert,
زردشت مردي بود از فلسطين كه مدتها خدمت يكي از
انبياي بني اسراييل كرده علوم غريبه ياد گرفته بود و آن نبي ازو بسبب
از اسباب رنجيده اورا دعاي بد كرد وزردشت مبروص شده از وطن
هجرت نموده بآذربايجان رفت ودعوي نبوت كرده بعلم شعوذه امري
چند در غايت غرابت بمردم نموده آنرا معجزهٔ او نام كرد از آنجمله
گويند كه بر ستان خفتن تا يكرطل روي را گرم كرده بر سينهٔ او
ريختند وآن روي داده داده بر سينهٔ او منعقد شده هيچ ضرري بوي
نرسانيد ديگر آنكه آتش در دست داشت ودست او نميسوخت وبدست
هر كه مي داد دست آن شخص نميسوخت *Zerduſht Vir fuit ex Palæſ-*
tinâ, qui aliquando fuit Famulus alicujus Prophetæ Iſraelitici; quique Sci-
entias rariores memoriâ amplexus eſt. Ille verò Propheta propter aliquam
cauſam in eum ſuccenſens, ei maledixit: unde Zerduſht leproſus evadens, &
è Patriâ

è Patriâ fugiens, conceſſit in Aderbayagjân, ibique Prophetiam jactitavit: & in Arte præſtigiatoriâ verſatus, res quaſdam miras populo oſtendit, quas Miracula ſua vocitavit: ex quibus fuit, quòd ſupinus jacuit dum bipondium Æris liquefacti ſuper ſinum ejus fuderunt: Æs verò ſuper ſinum ejus granatim concretum, nullum ei damnum intulit. Aliud fuit, quòd Ignem manu tenuerit, & manus ejus non fuit combuſta: & in cujuſcunque manum dederit, alterius quoque manus non fuit combuſta. Sic ille. Addo me quoque vidiſſe tale quid factum ab homine Circulatore, qui Ignem illæſus tractabat, & ignitas prunas edebat (me aſtante) abſque oris aduſtione: & cùm ego (illius rogatu) explorandi cauſâ, digitum meum ſtatim in ejus os immitterem, ibique circumducerem, totum inveni frigidum & illæſum. Mihi autem dixit ſe Os ſuum præparâſſe *Oleo Vermium*, & nulla aliâ re; quod tamen fortè nihil profuerit ad hoc, cùm ſine tali oleo potuerit idem præſtare, ut & aliquis ex noſtratibus facere potuit ſine præparatione ullâ. Mos autem hoc aliter faciendi docetur in Libro quodam *Arabico Seldeniano* Bibliothecæ *Bodleianæ Oxonienſis*.

Quomodo autem talis homuncio ingreſſum ad Regem obtinuerit, Autor Libri *Mugj*. unà cum aliis rebus narrat fol. 224. 2, زردشت --- دعوت نبوت کرد نمي توانست بگشتاسپ ملک رسیدن تا یکروز در ایواني نشسته بود سطح سقف ایوان بشکافت و شخصي از آنجا بیرون آمد وبعضي گریختند و مجلس مشوش شد ملک از جاي خود نجنبید زردشت بدو ازو سوال کرد که تو چه کسي گفت من رسول خدایم ملک گفت اگرچه فرود آمدن تو از سقف بود لیکن بدین اقتصار نکنم پیش علما و حکما هستند من ایشانرا جمع کنم تا با تو مناظره کنند اگر گویند اتباع تو باید کرد اتباع تو کنم آنگه بفرمود تا میان او وعلما جمع کردند و علما آن زمان &c.

Zerduſht --- prophetiam jactitavit. Sed non potuit ad Regem Guſhtaſp accedere, donec aliquo die dum Rex Guſhtaſp in quodam Æſtivario ſederet, iſte planum tecti findere non dubitavit. Cúmque aliquis inde prodiret, aliqui fugerunt, & Conſeſſus turbatus fuit: Rex verò è loco ſuo ſe non movebat. Mox compertum eſt quòd Zerduſht fuit, à quo quæſivit, Qualiſnam es tu? Reſpondit, Ego ſum Propheta Dei. Regeſſit Rex. Quamvis à tecto deſcenderis, hoc tamen non ſufficit ut

me

me tibi addicam: ſed apud nos adſunt viri Docti & Sapientes, quos colligam ut tecum diſputare poſſint. Et, ſi illi dixerint te ſequendum eſſe, tum te ſequar. Tunc præcepit congreſſum inter illum & Sapientes habendum. Poſtea illi homines ad Regem redeuntes referunt, Hujus hominis ſententia recta eſt & opinio vera, nec eſt in verbis ejus error. Sed unum reſtat, ut ſc. ab eo poſtulemus Miraculum quod modum ordinarium excedat. Rex dixit, Quale erit Miraculum? Reſponderunt, Eum firmiter ligabimus, & quibuſdam Medicamentis quæ benè novimus, corpus ejus inungemus; & tunc بكمن *Bipondium Æris liquefacti ſuper eum fundemus. Et, ſi eâ ratione perit, tum ejus negotium factum erit: at ſi ſalvus evaſerit, tunc oportebit nos eum ſequi. Et Zerduſht contentus fuit. Deinde obtulit Librum dictum* اسفنا *Eſtâ, quem jactitavit à Cælo ad ſe deſcendiſſe: dixitque, O Deus, ſi hunc Librum ad me miſiſti, tum noxam Æris à me propulſato; ſi autem non, tum aliter. Et mox juſſit ut ſuper ſe effunderetur, quod ſanè per ſinum ejus abiit ſine læſione. Hoc facto, Guſhtâſp eum benignè excepit, & præcepit ut per totum ſuum regnum extruerentur Pyréa.* Cúmque Guſhtaſpi perſuaſerat ſuam Religionem ſequi, tum (referente *Bundâri*) *Plantavit juxta portam Pyrei in Kaſhmer Cupreſſum, in cujus trunco ſcripſit, Quòd Guſhtâſp acceptaverat Dei Religionem, quod teſtaretur iſta Cupreſſus. Et cùm grandeſceret, ſuprà eam ædificârunt Palatium longitudinis XL Cubitorum, & ejuſdem latitudinis. Hujus Tectum fecerunt aureum, & Solum ejus ex argento,* ترابه *Fundus ejus erat ex Ambrâ, & parietes ornati Unionibus & Hyacinthis & Floribus: inque eo formârunt effigies Gemſhîd & Aphridûn. Deinde dictum Palatium cinxerùnt muro ferreo, & Guſhtâſp ſumpſit hoc Palatium pro Habitatione ſuâ, unde aſcenderet ad cœlum: & ad omnes extremitates regionis ablegavit nuntios & ſcripſit ad Præfectos, jubendo eos* بالمصير الي خدمة هذه السرو *addicere ſe viſitationi iſtius Cupreſſi, & auſcultare præceptis Zerduſhti, & amplecti religionem ipſius, & relinquere cultum Idolorum. Et ei auſcultârunt homines ingrediendo in Religionem illius* طوعا و كرها *vel libenter, vel illibenter.* Fortè ſuprà intelligat Cubitos longiores, ſeu regios.

Cùm autem iſte aſtutus ex Lege *Moſaicâ*, ei ſat benè notâ, didicerat Deum promiſſiſſe Iſraelitis *quòd eis ſuſcitaturus eſſet Virum ad inſtar Moſis, cui auſcultaturi eſſent*, ille nimiâ Arrogantiâ & Vanitate inflatus, ſe illum virum eſſe opinatus eſt, idque aliis inſinuare voluit, quaſi ex ſtellis hoc didiciſſet. De his *Chondemîri* Epitomator *Mohammedanus* in Vitâ *Guſhtâſp* refert; كشتاسپ پادشاه بلند همت عالیقدر

عالیقدر بود لیکن اورا سهوي افتاد که ملت زردشت قبول نمود
وقصه زردشت چنان بود که نوبتي از علم نجوم استدلال کرد که مانند
موسي شخصي پیدا شود که اورا سبب روشنائي آتش آشنائي بعالم
بالا روي نماید این معني موجب نبوت او کردد بخیال آنکه
اینچنین شخص غیر او نمي تواند که باشد بخلوت وریاضت مشغول
شد وبواسطهٔ خاصیت مجاهدت روشنائي بوي ظاهر کشت وابلیس آن
نور را در لباس ناز بوي نمود و از میان آتش با او در تکلم
آمد بدینجهت زردشت خودرا پیغمبر پنداشت کلمات شیطاني را جمع
کرد واورا زند نام نهاد و خلایق بدین مجوسي دعوت کردن کرفت
و کشتاسب اوصاف وسخنان کتاب زندرا شنیده بخدمت آن ضال
مضل شتافت وملتش قبول فرموده در اطراف عالم آتش کده ها ساخت
وآتش پرستان در باب ولادت ونبوت زردشت مزخرفات بسیار کویند
چنانچه در تاریخ مبسوطه مسطور است کشتاسب در ایام دولت
خویش اصطخر فارس را دار الملک کردانید *Gushtasp fuit Rex celsi*

animi & multæ existimationis, excepto quòd errâsse eum contigerit, Zerdushti Religionem amplectendo. Zerdushti autem Historia talis est: nempe ille aliquando, ex stellarum scientiâ, elicuit, oriturum aliquem ad instar Mosis, qui propter aliquam illuminationem & cum Igne familiaritatem, exaltatus esset in Mundo. Hocque factum est ei causa Prophetiæ, scil. propter suam imaginationem impossibile esse quòd aliquis præter ipsum talis futurus esset. Quocirca in secessum abiens, meditatione occupatus est: & per peculiaritatem conaminis-religiosi, Lumen quoddam ei apparuit; nempe Diabolus ei Lumen illud blandiori vestitu ostendit, & è medio Ignis cum eo confabulatus est. Hinc Zerdusht seipsum Prophetam esse existimans, multa Diabolica verba congessit in Libro *cui Titulum Zend imposuit, & populum ad Magorum Religionem invitare cæpit. Et Gushtasp, auditis Zerdushti Laudibus, & verbis Libri Zend, in servitium hujus Erratoris properans, ejus Religionem amplexus est, & in variis Mundi partibus Ædes Ignis extrui curavit. Ignicolæ quidem de Zerdushti Nativitate & Prophetiâ multa futilia narrant, prout in prolixiore*

Chronico

Chronico [cujus hoc eſt Epitome] *exaratum eſt. Summatim, Guſhtaſp in diebus Imperii ſui, Iſtachr Perſidis pro Sede Regiâ habuit*, &c.

Nolo heic repetere ſuperiùs dicta de *Zerduſht*, ſeu *Zoroaſtre*, ſed potiùs Lectorem remittam ad ea quæ ſuprà, in Hiſtoriâ *Mithræ*, ex *Porphyrio* adduximus de *Zoroaſtris Antro Mithriaco*, & quomodo ibi per longum tempus delituit, quaſi apud Deum in cœlo fuiſſet; cùm is potiùs apud *Tartara* in Terræ ſpecu, ſeu Barathro, latuerat, ut poſteà fecit *Manes*. Vide etiam quæ ſupra notavimus ex *Dionis Chryſoſtomi* Oratione XXXVI, quomodo propter amorem ſapientiæ (ut prætendebatur,) ſeceſſit in Montem & ibi vixit. Et poſteà, relicto Monte, igne cœleſti involutus fuit: & tum deinde Perſarum Regem & Magnates adiiſſe illum, ad videndum hominem qui ex Igne illæſus evaſerat. Et quòd is poſthac non cum omnibus, ſed cum ſolis pientioribus converſari voluit. Quoſnam Libros ſcripſit, & in illis quæ prædixit de *Meſſiah*, & Præceptorum quæ ſuis dedit præcipua, in hujus Operis ſequelâ, & in ſubſequente Libro *Sad-der* ſuis locis comparebunt. At (quod mirum eſt) intra IV aut V annorum ſpatium acta ſunt omnia illa magna quæ effecit *Zerduſht*. Is enim non applicavit ſe Regi *Guſhtaſp* niſi poſtquam elapſus eſſet regni ejus annus trigeſimus: cúmque ille regnaverit tantùm XXXVI annos, & *Zerduſht* interfectus obierit ante Regem ſuum, neceſſariò ſequitur, ut intra V annos Religionis rem benè firmatam & ſtabilitam poſuerit, & totum negotium ſuum abſolverit. Sed proculdubiò pleroſque Libros ſuos in anteceſſum ſcripſit & ad deſtinatum ſcopum præparavit: cùm in tam paucis annis (præter alia negotia,) tot Libros conſcribere non potuerit. *Megjdi*, Hiſtoricus Perſa, poſt alia multa, prodigioſi iſtius hominis exitum narrat; ſcil. *quòd Argjâſp Rex Turanenſis*, ſeu Turca, multa *Pyrea, quæ extrui curaverat Zerduſht, demolitus eſt, & tandem LXX Sacerdotes interficiendo* in urbe Balch, آتش زردشتي را بخون مجوسان اطفا داد *Ignem Zerduſhtium Magorum ſanguine extinxit.* —— *Et quòd tunc Shirazenſis aliquis ipſum quoque Zerduſht interfecit.* Hoc tamen modo, *Magorum* Religionem non extinxit; utpote quæ apud Perſas nimis altè radices egerat, & *Guſhtaſpem* habuit Defenſorem, qui vi & armis dictum Orientalium *Turcarum* Regem tandem propulſavit & procul abegit, (quamvis *Guſhtaſpen* ſemel in pugnâ fuderit,) & eraſa atque demolita Pyréa reſtauravit & reædificari curavit.

Omnium autem fusissimè & optimè *Zerdushti* Historiam narrat Autor Libri suo genere rariſſimi cui Tit. شاهنامه نثر *Shâhnâma-nesr* seu *Prosâ*, (per aliquem *Magorum* ex *Phirdausi* contractus,) in Vitâ Regis *Gushtasp* Persicè referens; در پادشاهي آن زرتشت پیغمبر آمد وپیغمبري پیش گشتاسب آورد واورا گفت که من پیغمبرم وایزد تعالي مرا بنزد تو فرستاده است واین کتاب زند اوستا از بهشت آورده ام و این صدره و کستي بمن داده است که این صدره را بپوش و کستي بر میان بند تا از دوزخ روان تو رسته شود ورهائي یابد ودین ایزد در جهان روان کن گشتاسب چون از پیغمبر این حدیث بشنید گفت که من چه دانم که تو پیغمبري واز درگاه ایزد تعالي آمده وراستي تو بجز از برهان معلوم نشود و بغیر از معجزات دین پذیرفتن نشاید اگر تو پیغمبر راست ودرست هستي مارا چیزي حجت بنما که من هم یقین بدانم که تو پیغمبر یزدانيي

In ejus Imperio venit Zerdusht Propheta, coram Gushtasp Prophetiam prætendens, eique dicens. Ego sum Propheta quem Deus Excelsus ad te misit: & istum Librum Zend-avestâ è Paradiso attuli: & hanc Súdram & Cingulum mihi dedit, inquiens, *Istam Súdram*[1] *indue, & istud Cingulum in medium tuum cinge, ut Anima tua à Gehennâ liberetur & Salvationem inveniat; Religionem quoque Dei in Mundo propagato. Quando Gushtasp hanc narrationem à Prophetâ audiret, dixit, Quomodo cognoscam quòd tu Propheta sis & ab Aulâ Dei Excelsi veneris? nam veritas tua aliter quàm ex demonstratione non cognoscetur, nec absque Miraculis aliquam Religionem amplecti decet. Ideóque, si tu es Propheta verus & rectus, nobis aliquid probationis ostende, ut etiam certus sciam quòd tu Propheta Dei sis. Quando Zerdusht hæc à Rege audivit, sequentia miraculosa ostendit: sc. coram Regis Palatio plantavit Cupressum, quæ paucis diebus crevit ad tantam crassitiem ut X funes vix eam cingerent, atque ad X funium altitudinem excrevit: & in hujus Arboris summitate erexit Æstivarium. Quando Rex hæc vidit Miracula, contentus fuit, certò constituens se ejus Religionem amplexurum. Narrant, aliquos Gushtaspis sapientes oppugnâsse Zerdushtum, eique obstitisse; non tamen illum*

1 *Súdra* est Tunica Sacerdotalis brevior, Anglicè a Cassock, ad mediam suram pertingens.

vicisse

viciſſe, nec in quâvis re ſuperiores evaſiſſe. Sed hi tandem unum quæſiverunt remedium: ſc. Zerduſhti domus ubi manere ſolebat, erat è regione Æſtivarii Regis: & quando Regis Palatium adire ſolebat, tunc Clavem apud Regis Janitorem relinquebat. Regis itaque Sapientes, iſtum Janitorem adeuntes, pecuniam ei dederunt, cum eo paciſcentes ut ne verbum revelaret. Deinde Clavem ab eo mutuantes & in Zerduſhti ædes intrantes, omnis generis impuritates in ejus Veſtiarium, & in Librum Zend, & in Sacculum ejus injecerunt; qualia erant canum & felium Oſſa, & mortuorum Crines ac Ungues, quos inter omnes ejus res immiſcuerunt. Et poſteà exeuntes, clauſerunt oſtium; & Clavem janitori reddiderunt. Zerduſht autem valdè purus erat corde, (cujus tamen puritatem alii non reſciverunt,) & Laudibus Divinis occupatus. Illi ergò ad Regis Guſhtaſp Aulam venientes dixerunt, Iſte homo Maleficus [ſeu *Veneficus*] *eſt, totâ nocte Maleficium* [ſeu *Veneficium*] *exercens, & cor tuum maleficiorum Incantamentis decepturus eſt; niſi Rex Satellites in ejus domum mittens, iſtam ſupellectilem & res omnes requirat & inſpiciat, ut hujus rei veritas aut falſitas appareat. Rex itaque Satellites ad Zerduſhti domum miſit, qui omnia ejuſmodi utenſilia coram Rege adducerent; Librúmque Zend, & Veſtiarium, & Sacculum excutiendo, canum & felium Oſſa & Crines ac Ungues mortuorum comparuerunt. Rex hæc videns & animadvertens, ſtupore correptus eſt; & digitum dentibus rodens, Zerduſhtum convitiatus eſt, dicendo, O fœde & ſpurciſſime homuncio, quid hoc eſt quod feciſti? Zerduſht reſpondit, O Rex, Ego de hiſce rebus nihil novi: ſed accerſat Rex Janitorem ſuum, & quærat quid acciderit. Janitor itaque accerſitus reſpondit; quòd quamdiu in illâ domo cum Zerduſht manſerat, tam arctè clauſa fuit ut ne ventus intrare potuit. Tum Rex ſuccenſens, dictum Librum Zend ejecit, & Zerduſht in carcerem miſit. Hoc modo, innocentiſſimus ille Zerduſht in carcere manſit, nihil comedens, ſed* [1] *uno pede ſtans Deo Qualitatum-experti Laudes dixit. Caſu, die quodam, Equi alicujus nigri (qui ex peculiaribus Regis Equis fuit,) omnes IV pedes in ventrem retracti ſunt, ita ut in terram delapſus fuerit. Tum* مهمرد *Mih-mard,* [2] *ſeu Equiſo, in Equorum Stabu-*

1 *Zerduſht* orabat uno pede ſtans, ut etiam fecit ſupradictus *Chuâph.*

2 *Mih-mard* eſt *Magnus Homo,* qualis Ratione officii erat Regis *Equiſo.* Is aliàs dici ſolet مهتر اخور *Mihter Achûr,* i. e. *Major Stabuli.* Iſte, ſive *Magiſter Equorum,* ſive *Magiſter Mulorum,* videtur idem cum אחשדרפן *Aſhdarpân* in Libro *Eſteræ* q. erat اسفريان *Mulorum Cuſtos,* ſc. Præfectus omnibus Mulorum Turmis: & ab *Aſtarpân,* ſeu *Aſtarbân,* corruptum habent *Græci* nomen Σατραπαι, quales erant in Provinciis Præfecti.

lum

lum intrans, [omnia ut ſolebat] *intuitus eſt & obſervavit; & oculos in dictum Equum nigrum conjiciens, vidit ejus IV pedes abeſſe, & in ventrem ejus intrâſſe, eúmque collapſum obſervavit. Equiſo itaque metuens, ſtatim ad Regem cucurrit, & quid in Equorum Stabulo acciderat renuntiavit. Rex itaque, ad Equorum Stabulum veniens, vidit & mirabundus manſit: & omnes ſuos Sapientes vocavit ut Equo remedium afferrent: omnes verò remedio expertes & deſtituti fuerunt. Cúmque nullum eſſet remedium, Rex & reliqui omnes erant triſtes & melancholici: donec, die quarto, Janitor ad Zerduſht in carcerem veniret, à quo Zerduſht quæſivit quid acciderat quòd hodiè illius oblitus fuerat & tam tardè ad eum veniret? Janitor itaque Zerduſhto omnia retulit: qui cùm ea audiverat, Janitori dixit, ut Regem adiens eum certiorem faceret, quòd quando me ex iſto carcere eduxerit, bonum aliquod pro iſto Equo facturus ſim. Janitor itaque, Regem adiens, retulit Zerduſht talia dixiſſe. Ideóque Rex citiſſimè Zerduſhtum è carcere vocans, eum ad Equum nigrum deduxit. Zerduſht hoc videns, attonitus manſit, & Regi dixit hoc opus non eſſe facile, ſed valdè difficile. Unum tamen neceſſarium à teipſo impetrato, ut ſc. certò ſcias hanc Religionem eſſe Dei: & cum toto corde & animo in me ſuſcipiam, ut iſtius Equi pedes fiant recti. Sed ſi in corde tuo aliquid dubii hæſerit, omninò hoc opus non ſuccedet, ſed Equus tuus iſto modo manebit. Tum Rex Guſhtaſp, toto corde & animo certior factus, eam Religionem amplexus eſt. Mox itaque Zerduſht, Deum Excelſum precatus, manum ſuam dextram in Equi manum* [a] [ſeu anteriorem pedem] *affricavit: quo facto, Equi manus è ventre exivit. Deinde Zerduſht Regi dixit; Neceſſarium eſt ut ambo filii tui ad me veniant, & unanimiter amplectentur, & ubicunque Religionis hoſtes invenerint, eos bello aggrediantur, & hoc modo Religioni licentiam faciant eámve propagent. Tum Rex τὸς Baſhûten & Iſphendiyâr accerſivit, qui venientes ejus Religionem amplexi ſunt. Poſteà, aliâ vice, manum ſuam ſiniſtram ſiniſtræ Equi manui applicando, Equi manus ſiniſtra è ventre exivit. Deinde Zerduſht dixit; Nunc oportet ut Ketâyun* [b] *Iſphendiyâri mater amplectetur Religionem meam, ut Equi pes exeat. Tum famulum cum Zerduſht ad Palatium ſuum miſit: & Zerduſht* [viſâ Reginâ dixit,] *O Matrona Matronarum, Deus te omnibus mulieribus & omnibus rebus celſiorem fecit: cúmque Deus Excelſus dederit Tibi Maritum, qualis eſt*

a Orientalibus anterior jumenti Pes vocatur *Manus*; & Pes poſterior vocatur *Pes*.

b Dicta كتايون *Ketâyun*, Guſhtaſpis Regina, fuit Filia قيصر روم *Cæſaris*, aut *Imperatoris Græciæ*; nam cum Græcis fuit res ejus, ut in *Bundâri* hiſtoriâ dicitur.

Guſhtaſp

Ghuſhtaſp, & quoque Filium, qualis eſt Iſphendiyâr, cui nullus in toto Orbe ſimilis eſt; & Regum-Rex atque Iſphendiyâr in Dei Religionem crediderint, & cum toto corde ac animo eam amplexi fuerint, oportet ut Tu etiam, eos ſequendo, eandem amplectaris. Cui Ketâyun reſpondit; Quicquid Maritus meus & Filius amplexi fuerint, ego etiam amplectar, & Capite ac Oculis de eâdem Religione certa ſum, quippe de quâ non ſit dubium: namque non dubito.

Tum Zerduſht revertens, ad nigrum Equum venit, & precatus eſt, manum ſuam dextram Equi pedi dextro applicando, ut ope Dei Excelſi infirmitas abiret, & pes dexter è ventre exiret.

Poſteà Zerduſht cum Rege collocutus dixit, Neceſſarium [ſeu poſtulatum] *tertium jam rectè præſtitum eſt: & Neceſſarium quartum eſt, ut Rex interroget Janitorem ſuum, ut res oculariter demonſtretur: & ſi ille verum dicturus eſt, tum Equus tuus plenè revaleſcet; ſi verò non, tum opus imperfectum manebit. Tunc Rex Janitorem accerſens, ei metum & terrorem incuſſit ut veritatem diceret, ſc. quis talia (ut antedictum) in Zerduſhti domo patraverat. Janitor verò à turbatâ Regis mente* [ſeu Rege mente turbato] *timens, præcautionem poſtulavit, & Rex ei vitam donavit. Et tunc omnia, prout tranſacta fuerant, Regi faſſus eſt, dicendo; Quatuor illi Sapientes, qui apud Te tam æſtimabiles ſunt, ut eorum verbum tranſgredi non poſſimus, aliquid mihi dederunt; & Clavem à me accipientes, prædictas res perpetrârunt. Quando Rex hæc à Janitore audiverat, Pœnitentiâ ductus, coram Zerduſht Apologiam texere cœpit; quòd ſc. ſine cauſâ eum vexaverat, & quòd oporteret illum ei ignoſcere. Dein quatuor illos Sapientes in patibulum egit. Tum Zerduſht in Precatione manus elevavit, & manum ſuam pedi ſiniſtro applicando, gratiarum actionem recitavit; unde, per Potentiam Divinam, pes ſiniſter è ventre exivit, & Equus rectus in pedes ſurrexit. Unde Rex, valdè lætatus, majorem Zerduſhto Honorem & Reverentiam exhibuit, eum ſuper Solium aureum collocavit, & Librum Zendaveſtâ ſuper Caput & Oculos ponens,* [i. e. animitùs æſtimans,] *ejuſdem Præcepta obſervavit.*

Narrant; poſt aliquot dies Regem Guſhtaſp Zerduſhto dixiſſe, Ego aliquid à te deſidero, & magno ejus deſiderio teneor: ſi illud deſiderium præſtiteris, tum certiſſimè ſciam te eſſe prophetam à Deo Excelſo ad me miſſum. Tunc Zerduſht petiit ut deſiderium ſuum ei explicaret, ut ipſe illud à Domino Mundi impetraret. Rex regeſſit; Hujuſmodi deſiderium habeo: nempe imprimis teneor deſiderio, ut dum adhuc in vivis ſum, meum in Paradiſo locum & habitaculum videam; ut certior

factus

factus qualis meus in Paradiſo locus futurus ſit, animus meus ſit placatus, ſeu quietus. Secundum deſiderium eſt, ut omnia hactenùs in Mundo tranſacta, & de futuro tranſigenda, uſque ad diem Reſurrectionis, certò ſciam, & quoque de rebus præſentibus certior ſim. Deſiderium tertium eſt, ut cum quocunque, Religionis cauſâ, bellum geſſerim, corpus meum maneat prout jam eſt, & invulnerabilis fiam. Deſiderium quartum eſt, ut anima امرک immortalis ſit, *& uſque ad Reſurrectionem non moriar, ſed ſemper vivam. Propheta Dei hæc audiens, reſpondit, Ego certè à Domino Mundi hæc impetrabo; & quòd Deus Excelſus ea conceſſurus ſit, nullus dubito. Sed quatuor iſtas res uni perſonæ non dabit; quia ſi uni alicui iſta quatuor concederet, talis dicturus eſſet ſe eſſe Deum, cùm reverà hæ IV res ſoli Deo competant. Ideóque petas ut iſtas IV res concedat IV diverſis hominibus, quia uni alicui daturus non eſt. Tum Rex Guſhtaſp dixit ſe deſiderare ut locum ſuum in Paradiſo videret, & omnia ſibi manifeſta ſint. Et reliqua tria Deſideria petas pro tribus aliis diſtinctis perſonis. Zerduſht itaque contentus ſurrexit & abiit: & ad domum ſuam veniens, per totam noctem Deo ingemuit & laudes dedit, ut ſi poſſibile eſſet, iſta ſua* مناجات Soliloquia, *ſeu* Supplicationes, *acceptare vellet. Poſtmodùm cùm luceſceret dies, & Sol ſuper montem oriretur, Zerduſht quatuor dictas res in animo habens,* مینگرد یشتده eas precibus conſecravit. *Et deinde dictis IV rebus nomina impoſuit, ut diſtinctè ſciri poſſent: ſc. prima res vocata eſt* Vinum; *ſecunda,* Roſa; *tertia,* Poculum; *quarta,* Malogranati-acinus. *Tum ſuper eas* بدرسم یشتده کرد Conſecratione per Virgas factâ, *ex illo Vino* [a] *dedit Guſhtaſpi: cúmque Rex de eo bibiſſet, ſuper Solio ſuo cubans dormivit per tres dies & tres noctes; dum intereà temporis anima ejus in Paradiſum ivit, & ſeipſum vidit in Paradiſo, qui quovis loco amœnior fuit. Deinde poſt tres dies evigilavit, & coram Zerduſhto ſtans* عذر منت خواست Excuſationem ſuam ab eo petiit. *Poſteà Gjamaſpi dictam Roſam dedit ut eam odoraretur, & ex ejus odoratu omnia præſentia ei innoteſcerent, & omnia à principio uſque ad Reſurrectionem perfectè noſceret, ſc. quod fuit & quod futurum eſſet. Tum deinceps* [in dicto Poculo] *τῷ Beſhûten Lac bibendum dedit, ut ex illius Lactis potatione* امرک immortalis fieret, *& uſque ad Reſurrectionem*

a Sic factum fuit *Erdavirâpho*, & ſic in Paradiſo Impoſtoris *Alâ-eddin*, de quo in alio Opere, ſi Deus voluerit.

in

in vivis maneret, nec omninò corpus ejus mortis يان كذن memor eſſet *eámve ſentiret. Quoad rem quartam,* τῷ *Iſphendiyâr Malogranati Acinum edendum dedit, ut ex ejuſdem Eſtu, æneo corpore præditus evaderet.*[a] *Hac ratione, Zerduſhti Religio licita habita, ſeu propagata eſt: & quotidie magis magiſque* رواذتر شذ propagata eſt, *& omnes ejus Religionem amplexi ſunt: excepto quòd Argjaſp, Rex Regionis Turân, eam non amplecteretur.*

De hac re negotium valdè prolixum eſt in dicto Libro: ego autem compendio dicam, ut Lectori opus non ſit aliquid ei addere. Narratur itaque; *Quòd Dei Religionis cauſâ inter Perſas & orientales Turcas geſtum eſt Bellum, in quo XXXVIII Filii Regis Guſhtaſp interfecti fuerunt: nam exceptis duobus filiis Iſphendiyâr & Beſhûten (qui in vivis manſerunt,) omnes interfecti ſunt. Deinde dicitur, Guſhtaſpem, propter Delatorum & mendaciſſimorum hominum Inſinuationes, filium ſuum Iſphendiyâr in vincula conjeciſſe: ipſum verò Guſhtaſpem, Religionis cauſâ, conceſſiſſe in Zâbuliſtân, in domum* τῦ *Rúſtem, ut illos ibi in Dei Religione inſtitueret. Paulò pòſt, aliqui viri, negotiis verſati, notitiam dederunt* در بلخ بامي هيچ كس سپاه نيست in Balch-Bâmi nullos reſtare milites, *totum verò exercitum concomitatum fuiſſe Guſhtaſpem in Sîſtân; urbem verò Balch-Bâmi vacuam manere, & quòd tantùm cum Lohraſp* [Guſhtaſpis patre] *aliquot perſonæ erant qui, Divini cultûs cauſâ, in Pyreo manebant, unà cum LXXX Sacerdotibus: & præter eos, neminem ibi eſſe. Hoc audito, Argjaſp exercitum* 15000 *hominum citò conſcripſit, & antè miſit* كهرم Káhram *filium ſuum, dum ipſe mox ſecuturus erat. Narrant; quòd cùm Argjaſpis exercitus veniret in Irân* [ſeu Perſiam,] *Lohraſp, de hoc certior factus, locum divini cultûs relinquens, in locum belli conceſſit, & plurimos occîdit. Sed tandem Lohraſp cum dictis LXXX Sacerdotibus occiſus eſt; adeò ut Ignis eorum ſanguine extinctus eſſet: & unà cum illis LXXX Sacerdotibus,* Zerduſht *propheta quoque in dicto Bello occubuit.* In Libro *Pharhangh Gihanghîri* authentica de eo extant Teſtimonia, quòd ſcilicet, *Die XXX Anirân intravit in Irân,* ſeu *Perſiam,* & quòd *Die XV Deybamihr mœrens exivit ex Irân:* nempe lætus intravit in Perſiam ab occidente, & mœrens ac lugens inde exivit ad orientem, ab urbe *Balch,* propter *Argjaſpis* irruptionem, fugiens: at à *Turcarum* militibus (ſc. ab *Shirazenſi* quodam) comprehenſus & occiſus eſt.

a Is itaque in Hiſtoriis cognomentum habet روين تن *Æneo Corpore præditus.* Et hodie apud *Germanos* & alios in Europâ, creditur *Induratio Corporum,* ut ſint invulnerabilia.

Si alicui libet *Græcorum* Fabulas audire, *Chronici Alexandrini* Autor p. 89, narrat; *Quòd Zoroaſtres precatus eſt, ut moriturus fulmine ictus interiret: & Perſis denuntiavit, ubi me Ignis cœleſtis conſumpſerit, oſſium meorum crematorum cineres ſervate; & quamdiu hoc facitis, Regnum à vobis non auferetur: quod fecerunt. Ille autem, invocato Orione, à cœleſti flammâ depaſtus interiit.* Et *Plato* (ut ſupra p. 315 notavimus,) *dicit eum XII die poſt mortem, in rogo poſitum, revixiſſe.*

Quòd dictus *Zerduſht*, ſeu *Zaratuſhtra*, fuit per totum Orbem famigeratiſſimus, nemo neſcit[a]: unde in Nuptiarum Formulâ, ſeu Officio, in Libro *Zendaveſtâ*, Sacerdos inter multa ejuſmodi alia Nuptis pronuntiat,

[illegible] *Sicut Zaratúſhtra celebris nominis eſtote.*

Supra p. 300, *Shahriſtani* dicit eum anno ætatis XXX in miſſione à Deo (ut prætendebatur,) adiiſſe *Guſhtaſpem.* Sed deinde paucis annis occiſus fuit. Si hoc verum ſit, obiit juvenis. At ex ſequentibus verbis in dicto Libro *Zendaveſtâ*, colligo eum ad ſenilem Ætatem vixiſſe: nam, in dicto Nuptiarum Officio, inter plurimas alias Benedictiones, quas Sacerdos Nuptis apprecatur, legitur,

[illegible] *Sicut Zaratuſhtra longævi eſtote.*

Shahriſtani Arabs (ut ſuprà p. 301) hujus Impoſtoris miracula meritò contemnit: & ſic *moderniores* Perſæ & Mohammedani omnes. Sed è contra, *veteres* Perſæ eadem omnia magni æſtimant & credunt, & firmam fidem eis adhibent. Et quidem quàm firmiter eum crediderint ſincerum Dei Prophetam fuiſſe, teſtatum habebis ex *Proœmio* Libri *Sad-der*, ubi Autor profitetur ſe credere illum fuiſſe verum & ſolum Dei Prophetam, & omnia Dei conſilia ei ſemper patuiſſe ſtatuit.

زراتشت آورد دین درست *Zerâtuſh attulit Religionem rectam,*

نباید در دین او گشت سست *Nemo debet in hac Religione eſſe remiſſus:*

چه یزد بدو داد وستاوزند *Quia Deus ei dedit Veſtâ-va-Zend,*

ازآن گشت دینش بگیتی بلند *Unde Religio ejus in Mundo celſa evaſit.*

خدا هرچه را در جهان آفرید *Quicquid Deus in Mundo condidit,*

a Vid. Append. No. XI.

زراتشت

زراتشت آنرا بدانست ودید	*Zerâtuſht illud novit & vidit.*
بعلم خدا جمله را یاد داشت	*Per ſcientiam à Deo totum memoriâ habuit,*
بیان کرد وزآن یادگاری گذاشت	*Declaravit, & inde reminiſcentia tranſivit.*
زامر ونهي ووعد و وعید	*Ex juſſo & vetito, ex promiſſione & promiſſo,*
زمعني صورت بیان آورید	*Ex intentione formam produxit.*
زعلمي که اورا خداوند داد	*Ex ſcientiâ quam Dominus ei dedit,*
ازآن علم صد در بدین بر گشاد	*Ex eâ, inquam, ſcientiâ centum portas in Religione aperuit.*
زهر کردني وزناکرده نیز	*Omnis rei faciendæ & quoque non faciendæ*
بیانش درین صد درست اي عزیز	*Explicatio eſt in hoc Centiportali, ô chariſſime.*
زراتشت شهري بنا کرده است	*Zerâtuſht urbem quandam extruxit,*
درو صد در را از غیب واکرده است	*In quâ centum portas ex abdito patefecit.*
بهر در که یابي در آن شهر راه	*In omni portâ per quam inveneris in illam urbem aditum,*
بیابي بهشت ورهي از گناه	*Invenies Paradiſum, & liberaberis à peccato.*
زراتشت بنگر چه دین پروریست	*Zerâtuſhtum intuere, quia Religionis fautor eſt,*
که در شهر دینش راه از صد درست	*Quia in Religionis ejus urbem via eſt per centum portas.*
بزرگان زوستا وپازند وزند	*Magnates ex Veſtâ & Pâzend & Zend*
مرین صد درش را بیرون کرده اند	*Haſce centum portas ejus extruxerunt.*
که تا اهل دینش بخوانند شاد	*Ut ita Religioſi* eum Librum *legant lætè,*
بیابند زین صد در او گشاد	*Inveniántque per iſtas centum portas aperturam.*
بنثر این سخنها کرده اند	*Hæc verba declarârunt proſâ,*
بنظم روانش نیاورده اند	*De carmine animum ſuum non intendentes.*
مرا امر شد تا بنظم آورم	*Mihi autem juſſum eſt in carmen reducere,*
کزین نظم دلها بجان پرورم	*Ut ex iſto carmine corda animâſque paſcerem.*

Quomodo *Zoroaſtres* Reſurrectionis doctrinam adſtruxerit, docet *Plutarchus* in Libro de *Iſide* & *Oſiride*, & idem de Diſcipulis ejus narrat *Diogenes Laërtius* in Proœmio. Et orthodoxam ejus de Deo opinionem

nem videas ex *Euſebio*, quem citavimus in Capite de *Perſarum Fide Orthodoxâ*.

Mira multa de eo credunt *Magi*, ejus Aſſeclæ, quale eſt illud in Libro *Pharh. Gj.* apud كاشمر *Káſhmer*, ſeu كشمر *Keſhmer*, quod eſt nomen urbis ex regione ترشيز *Terſhîz*, quæ in *Choraſân*, ſeu *Bactriána*. Magi credunt quòd *Zerduſht* duas Cupreſſos ſub fauſto Syderе plantavit; unam ſc. in dictâ urbe, & alteram in urbe فرومد *Pharûmad* (aliàs dictâ فرويد *Pharûyad*, ſeu فرديد *Pherdîd)* quæ ex regione طوس *Tûs*. Credunt eum has arbores plantâſſe ex duobus ramis [ſeu virgultis] quos ſecum ex Paradiſo attulit.—Dicitur quòd *Chalîpha Mutawâkkil* Abbaſides ſcripſit ad *Tâhir Ibn Abdallâh*, qui tunc præfectus *Choraſaniæ* fuit, ut dictam arborem ſuccideret, & Truncum Currubus ſeu Plauſtris, Ramos verò Camelis imponeret, & hoc modo mitteret ad *Bagdâd*. Magi, hoc audito, obtulerunt 50,000 *Dinâr* ut illa Arbor non ſuccideretur: ſed *Tâhir* non acceptavit. — Ajunt ſub hujus Arboris umbrâ plures quàm 10,000 Boum Ovium & Caprarum cubâſſe; & alia innumera Animalia inter ejus ramos nidificâſſe, terram caſu ejus tremuiſſe, & Aves ex eâ avolantes totum aërem operuiſſe, eáſque, quaſi per modum precandi, gemitum ſuum edidiſſe, & Oves ac Boves mugitu ingemuiſſe. Trunci ad *Bagdâd* Tranſlatio conſtitit 500,000 *Dirèm*, & Ramis ejus onuſti fuêre 1600 Cameli. Sic ille. At *Shahriſtâni* ſuprà p. 300 dicit Cupreſſum, cui inditus fuit Spiritus *τῦ Zerduſht*, plantatam fuiſſe in ſummitate montis *Aſmuîdacher*, in Regione *Aderbayagjân*, ſi modò hæ Cupreſſus diverſæ fuerint. Quamvis autem apud nos Cupreſſus ſint parvæ, in calidis Regionibus ad maximam molem excreſcunt; unde habent aſſeres ad ciſtas cupreſſinas conficiendum.

Si quis ſolicitus ſit plura de Vitâ *Zoroaſtris* ſcire, peculiarem de eo Librum Perſico carmine ſcriptum penes me habeo, cui Titulus زراتشت نامه *Zerâtuſht-nâma*, Autore *Zerâtuſht-Behrâm*, doctiſſimo *Magorum* Sacerdote, qui celeberrimi illius viri Hiſtoriam extraxit ex Libro, Proſâ exarato, Charactere & Linguâ *Péhlavi*, quæ quia à paucis intellecta, iſte in bonum publicum Linguâ moderniore & quoque carmine ejuſdem contenta expreſſit. Dictus autem Liber proſaicus ab ipſo *Zerduſht* ſcriptus fuerat pro *Superintendentibus* & *Sacerdotibus*, agens de rebus iniquiſſimis Mundi temporibus geſtis, & de Regibus prioribus; continens quoque Explicationem Libri *Veſtâvazend*, illo tempore quo *Zertuſht* اشوشه روان *dulcanimis* illum attulit.

Pag. 5 narrat, quòd quando Mundus immerſus eſſet in improbitate, & omnes erant ſine Duce aut Antiſtite in Religione, tum miſit Deus *Zertuſht*, qui ortus eſt Avo *Pîteràſp*, cujus filius fuit *Pûrſhàſp*, à quo prognatus eſt *Zertuſht*. Fœminæ, ſeu Matris ex quâ prognatus eſt *Zertuſht*, nomen fuit *Doghdu*; quæ, Viſo ſomnio, Interpretem adiit. Somnio autem vidit Nubem, quæ tanta erat ut, ſicut Aquila volans, ejus ædes circumambiens, Solis ardorem cohibuit & lumen obſcuravit, eum in modum, ut dies, aliàs lucidiſſima, ſicut nox redderetur obſcura. In illo ſomnio oculi ejus quaſi perſtricti videbantur; & dicta Nubes viſa eſt pluere omnis generis terribilia ac ferocia Animalia, quales ſunt Leones, Tigrides, Hyænæ, Lupi; Tigrides, inquam, in Campum, & Crocodili in Aquam videbantur ex illâ Nube dimitti. Dracones quoque, & Pardi, ac Pantheræ, & alia Animantium genera, exertis dentibus & acutis unguibus armata, ex truculentâ illâ Nube ſicut pluvia ceciderunt. Et harum Ferarum una, cæteris audacior, quâ inter eos non fuit pejor, vento & aëre vecta, in *Doghdu* ſuperveniens, unguibus ſuis ventrem ejus lacerando, *Zerduſhtum* extraxit.

Hoc modo procedit iſte Liber, miraculoſis de *Zerduſhto* Hiſtoriis ſcatens, quas omnes referre prolixum eſſet, & Libellum noſtrum in nimiam molem tumefaceret. Si autem aliquis, curioſitate ductus, plura de hiſce ſcire cupiat, reliqua hujus Libri contenta aliquando forte eruantur & publici juris fiant. Interim tamen non pigebit ſingulorum Capitulorum Titulos exhibere, prout in ſequentibus viſuntur.

Elenchus Capitum Libri Zerâtuſht-nâma.

1. *Proœmium Hiſtoriæ Zerâtuſht-nâmæ. Pag.* 1.
2. *Diſcurſus de Cauſâ conſcribendi Librum. p.* 2.
3. *Diſcurſus de Explicatione Libri, & de Statu hujus Mundi. p.* 5.
4. *Diſcurſus de Somnio τῆς Doghdu, quæ itaque adivit Interpretem. p.* 6.
5. *Diſcurſus quomodo Dæmones projecerunt Zertuſht in Ignem, qui ei factus eſt Roſarium. p.* 20.
6. *Diſcurſus quomodo Dæmones projecerunt Zertuſht ſub pedibus Boum. p.* 22.
7. *Diſ-*

7. *Discursus quomodo Dæmones projecerunt Zertusht sub pedibus Equorum, & quòd Equi eum servaverunt. p.* 25.
8. *Discursus quomodo Dæmones maledicti projecerunt Zertusht in locum Luporum, quorum ora, Dei Incomparabilis Mandato, constricta sunt: & quòd duæ Oviculæ lactârunt Zertushtum. p.*28.
9. *Zertushti Disputatio cum Præstigiatoribus, & quomodo res se habuerit. p.* 36.
10. *Discursus de Zertushti Operibus Tempore Juventutis. p.* 39.
11. *Discursus de Zertushti Somnio, & quale id fuerit. p.* 43.
12. *Quomodo venit Zertusht ad Aquam Dâyati. p.* 46.
13. *Quomodo Angelus Behman obviam venit Zertushto. p.* 47.
14. *Quomodo Zertusht Deum Sanctissimum adoravit. p.* 50.
15. *Quomodo Zertusht percepit Signa Prophetiæ suæ, ejúsque in Paradiso Miracula. p.* 53.
16. *Quomodo per illa Miracula transivit in Paradisum. p.* 55.
17. *Quomodo Zertusht aliâ vice Deum coluit. p.* 56.
18. *De ejusdem Transactione. p.* 57.
19. *Deus Zertushto explicat quomodo Religionem illustraturus esset. p.*57.
20. *Behman Angelus obviam factus Zertushto, cum eo colloquitur de Ove. p.* 59.
21. *Urdibehisht Angelus, obviam factus Zertushto, cum eo colloquitur de Ignibus. p.* 60.
22. *Shahrîvar Angelus, obviam veniens Zertushto, cum eo colloquitur de Armis. p.* 62.
23. *Isphendârmaz Angelus, obviam veniens Zertushto, eum alloquitur de purificando Terram. p.* 63.
24. *Chordâd Angelus, in occursum veniens Zertushto, eum alloquitur de Aquis. p.* 64.
25. *Mordâd Angelus, Zertushto occurrens, cum eo colloquitur de* اوروزها. *p.* 65.
26. *Zertusht, in mundum veniens, disputat cum Præstigiatoribus maledictis. p.* 67.
27. *Zertusht, veniens ad Balch, adit Regem Gushtasp. p.* 69.
28. *Sapientes aliâ vice disputant cum Zertusht. p.* 73.
29. *Sapientes Regis rursus disputant cum Zertusht. p.* 76.
30. *Discursus quomodo Zertusht Prophetiam jactitavit coram Rege Gushtasp. p.* 77.
31. *Quomodo Zertusht posuit Librum Zendavestâ coram Gushtasp, & Rex eundem vidit.* Ibid.

32. *Histo-*

32. *Hiſtoria Equi nigri, & Zertuſhti Miracula* de eo. *p.* 87.
33. *Zertuſhti Miraculum primum, in educendo Equi Pedem anteriorem dextrum. p.* 103.
34. *Zertuſht à Deo petit Neceſſitatem tertiam, quæ permiſſa eſt,* ſc. eam obtinet. *p.* 107.
35. *Zertuſht petit à Deo Neceſſitatem quartam, quæ permiſſa eſt. p.* 111.
36. *Angeli deſcendunt ad Curiam Regis Guſhtaſp. p.* 115.
37. *Convivium celebrans, illudque precibus ex Veſtâvazend conſecrans, Zertuſht petit Neceſſitates Regis. p.* 118.
38. *Diſcurſus quomodo Zertuſht Conſilium dat Guſhtaſpi de Religione. p.* 120.
39. *De Unitate Dei Optimi Maximi. p.* 125.
40. *Zertuſht, aliâ vice, Deum colens, ejúſque Reſponſum. p.* 135.

CAP. XXV.

Operum Zerduſhti generale nomen explicatum.

MAGORUM Perſicorum Antiſtes & Legiſlator *Zerduſht*, pro Libro ſua Dogmata continente mirum excogitavit nomen, non origine Perſicum, ſed exoticum & hybridum, quod in eis fortè majorem excitaverit admirationem quàm aliud quodvis nomen eis familiare & benè notum: cùm Res exotica & ignota à Cœlo veniſſe crederetur, potiùs quàm Res familiaris & apud eos domi nata. Prætereà, quando hoc nomen tandem explicatum eis innotuerit, id ſubtilitatis ejus ingenioſum dederit ſpecimen, qualia apud Orientales erant ſemper gratiſſima. Nam apud eos ſubtile aliquid, aut ſcitè dictum, factúmve dediſſe, magnum in ſe pondus & meritum continebat, & ſuprà modum gratum habebatur. Suo itaque Libro (qui aliàs audit *Liber Abrahami*,) alium affinxit generalem Titulum زند *Zend*, ſeu aliàs *Zendaveſtâ:* vulgus ſonat *Zund* & *Zundavaſtaw*. Ita ut quamvis illud ejus Opus variis Tomis, ſub diſtinctis etiam nominibus, conſtet,

ſtet, tamen quidvis, ex dictorum Tomorum quovis, ſatis propriè & legitimè citari poſſit, ſub dicto generali nomine, utpote quod, hac ratione, in Operum ejus Complexu ſeu Syntagmate contineri intelligatur. Sed melius & magis diſtinctum eſt ſpecificare in quâ dicti Operis Parte, vel Tomo, tale quid contineatur. Et propter dictam rationem, (ſc. quia omnes dicti Operis Partes ſubinde ſub eodem nomine comprehenduntur,) inde eſt, quòd ſi in oriente quæſiveris Librum *Zendaveſtâ*, ſub illo generali nomine, aliquando afferent tibi unam partem, & aliquando aliam, quia generaliter & indiſtinctè quæris. Ideóque, ſub ſingularum partium particularibus nominibus potiùs inquirendum eſt. At hoc fortè factu difficile, quia partium nomina ſunt nobis ignota, exceptis eis quæ heic dantur.

Eſt autem زند *Zend* nomen *Arabicum:* & *Zendaveſtâ* conflatum eſt ex ſuperaddito nomine *Hebræo-Chaldaico* אשתא *Eſhta*, ſeu *Eſta*, i. e. *Ignis*, unde Εστία. Hoc itaque nomen rectè ſcribitur زند و استا *Zend-va-Eſtâ*, ſeu *Zend-u-Eſtâ:* at ex temporis diuturnitate, vocis *Eſtâ* Originatione in oblivionem abeunte, grammaticalem ejus ſignificationem hodiè ignorant: nam illi in exoticas linguas nunquam inquirunt, & in Linguâ Perſicâ *Eſtâ* planè nihil ſignificat. Ideòque in hujus exoticæ Voculæ ſignificatione hodiè fruſtrà laborant, conando eam elicere ex *Linguâ Perſicâ*, ubi reverà non eſt. Illi itaque pro *Eſtâ*, coactè legunt *Iſtâ*, ſeu ستا *Stâ*, vel *Sitâ*, volentes hoc eſſe pro ستایش *Sitâiſh*, i. e. *Laus:* ſed coactum eſt, & res non feret.

Supradicto nomine زند *Zend*, apud *Arabes*, ſignificatur *Igniarium*, ſeu *Focile*; quod fortè petitum videatur ex *Linguâ Perſicâ* à Verbo زدن *Zadèn*, *percutere*, in Futuro زند *Zenád*. Sed hoc irregulare eſt, cùm Perſæ in compoſitione tantùm (non extra eam) à dicto Verbo adhibeant زه *Zenè*, (non زدن *Zend*, nec *Zenad*) *percutiens*, q. d. *Ignem percutiens* Inſtrumentum. Cùm itaque nomine *Zend* ſignificetur *Igniarium*, & *Zendaveſtâ* ſit *Igniarium & Ignis*, iſte dicti Libri Titulus habendus eſt ingenioſus & figuratus, ſumptâ Metaphorâ à *Pyxide igniariâ* quam, eliciendi ignis ergò, in domibus ſervamus; ad inſinuandum, quòd ſicut illo inſtrumento excitari & accendi ſolet Ignis communis in Culinâ; ſic iſto Libro excitandus eſſet religioſus Zelus & Ardor in Pectoribus hominum, ſcil. ibi accendendo talem Religionis Igniculum, qui tandem in maximam & efficaciſſimam Pietatis & divini Amoris Flammam excreſceret.

Verum, inquam, & legitimum dicti Operis nomen eſt *Zend-va-Eſtâ:* ſed cùm eorum Poſteri hujus nominis Veriloquium partim ignoraverint,

noraverint, id, pro libitu, variis modis ſcripſerunt & deformârunt; quæ omnes mutationes, ſeu diverſæ ſcribendi formulæ, ſunt tot deviationes à vero, quamvis eæ omnes in eorum Libris quotidiano uſu hodiè confirmentur & comprobentur. Eæ autem hujus nominis formulæ tales ſunt, viz. pro originali Formâ زند و استا *Zend-va-Eſtâ*, ſeu *Zend-u-Eſtâ*, ſubinde ſcribunt & ſonant زندوست *Zendavèſt*, & زندستا *Zendeſtâ*, & افدستا *Afadeſtà*, & زندافدستا *Zendâfadeſtâ*, & زندوستا *Zendaveſtâ*, & زندبستا *Zendabeſtâ*, & زنداوستا *Zend-aveſtâ*, زندابستا *Zend-abeſtâ*; vel inverſè اوستا وزند *Aveſtâ-va-zend*, ſeu ابستا وزند *Abeſta-va-zend*, & اوستا زند *Aveſtâzend*, & ابستا زند *Abeſtâzend*, & استا زند *Eſtâzend*, & وستازند *Veſtâzend*, & وستا وزند *Veſta-va-zend*. Vel aliquando utuntur ſolo nomine زند *Zend*, vel استا *Eſtâ*, & pro *Eſtâ* à quibuſdam legitur *Uſta*, aut وستا *Veſtâ*, vel اوستا *Aveſtâ*, vel ابستا *Abeſtâ*: undè *Syro-Arabes* fecerunt nomen ابستاق *Abeſtâk*, ſeu *Aveſtâk*, & *Syriacè Abeſtógo*, ſeu *Aveſtógo*, pro libitu pronuntiantium. Sic *Bar-Bahlûl* Syrus, qui tradit *Zerduſhtum* hunc Librum ſuum vertiſſe in VII Linguas: ܐܫܬܘܓܘ ܕܐܒܐܬ ܙܪܕܘܫܬ ܘܐܪܡ ܠܫܒܥ ܠܫܢ̈ܐ ܣܘܪܝܝܐ ܘܦܪܣܝܐ ܘܐܪܡܢܝܐ ܘܣܓܣܬܢܝܐ ܘܡܪܘܙܝܐ ܘܝܘܢܝܐ ܘܥܒܪܝܐ *Abeſtógo eſt nomen Libri Zerduſht, quem ordinavit & compoſuit in ſeptem Linguis, Syriacâ, Perſicâ, Armenicâ, Segiſtanenſi, Marvazenſi, Græcâ, atque Hebraïcâ.* Eſt quidem *Segiſtân* Perſiæ Pars, uti & *Marv:* unde iſtæ ſint tantùm Linguæ Perſicæ Dialectus. Hoc autem *Bahlulidis* debet eſſe mera fabula, cùm *Zerduſht* noluerit Librum ſuum in variis linguis publicare, ſed è contra, ex induſtriâ, ſtuduit ejuſdem Contenta celare, & ſuos juſſit ea nulli Extero revelare, nec linguam & literas ejus aliquem docere, ut alibi diximus. *Hyſtaſpes* quoque à Perſarum vulgo celavit.

Supradictum Igniarium, ſeu Focile, ſemper conſtat duabus Partibus, quæ ſunt duo ligna cubitalia: quale quidem Inſtrumentum hodiernis Perſis dicitur آتش زنه چوبين *Igniarium ligneum*; vel ſi vocem fingere liceat, *Igni-percuſſorium ligneum*, cujus ſuperior Pars, ignem excutiens, eſt *Ignitabulum*; & inferior Pars, ignem in fomite excipiens & ſuſcitans, eſt *Suſcitabulum*. Nam *Arabes Campeſtres* & *Nomades* (ut & alii quidam,) non *Silice* & *Ferro*, ſed *antiquo* & *patrio More*

Ignem excutiunt duabus Arundinibus, ſeu duobus duriſſimis Bacillis ligneis cubitalis longitudinis, quorum mutuo affrictu & attritu elicitur Ignis, qui in Fomitem inferioris ligni cavitate contentum cadit. Horum lignorum ſuperius (quod etiam tenuius & exilius,) vocatur زند *Zend*, inferius (quod craſſius & medio canali excavatum pro fomite excipiendo,) vocatur زندة *Zénda*, & utraque ſimul in duali زندان *Zendân*. Vel aliquando, diſtinctionis causâ, horum unum vocatur زند اعلي *Zend ſuperius*, & alterum زند اسفل *Zend inferius*. Et cùm Igniarii dicta ligna eſſent ejuſdem formæ cum oſſibus Brachii, & cubitalis longitudinis, ut ignem excuſſurus fortiori niſu commodiùs incumberet, inde, inquam, (propter horum analogiam) *Avicenna* & *Arabum Medici* bina illa Brachii ſeu Cubiti oſſa longiora (quæ Latinis *Radius* & *Ulna*,) eodem nomine vocârunt *Zend* & *Zendân*, ſcil. ea Oſſa vocando *Focilia*. Et hinc rurſus factum eſt cùm *Igniarium* (tinder-box) tam *Latinis* quàm *Italis* vocetur *Focile*, ut *Italorum* Medici, *Arabicos* Libros inſpiciendo & *Arabes* imitando, dicta Cubiti Oſſa vocârint etiam *Focilia*, viz. unum *Focile Minus*, & alterum *Focile Majus*, factâ nominis *Arabici* Tranſlatione.

Indi Orientales (ut dicitur) aliquando ligni alicujus duriſſimi extremitatem applicant Arundini, quaſi eam terebrare vellent, dictum lignum circumagitando donec exeat Ignis, qui cottoneâ lanâ exceptus accenditur. Aliàs apud eos (ut quidam سرهنگ *Sarhàngh*, ſeu Boat-ſwain in aliquâ nave Anglicanâ, id propriâ manu mihi monſtravit,) hoc fieri ſolet *fiſſâ Arundine* majore in duas partes *inæquales*: & fruſti inferioris cavitati inditur *Fomes*: fruſtum verò ſuperius (quod tenue,) formatur acutâ acie ſicut cultri; quæ quidem acies ſuper inferioris fruſti canali tranſverſim ſerrando affricatur, donec, motionem reciprocando, exiliat ignis, in inferiorem canalem cadens. Arundines ſunt tantæ duritiei ut aliquando in ſtagnis, ubi creſcunt, vento inter ſe invicem colliſi accendantur. Eſt etiam in *Syriâ* Arundinis farctæ Species dicta كلخ *Calch*, cujus culmus refert culmum ذرة *Durra-ábyad*, ſeu *Milii Albi*. Hæc Arundo, quando ſicca, ſi utrâque manu fortiter uſque ad fiſſionem torqueatur, ſtatim igneſcens concipit flammam.

Fomitis Materia ſubinde eſt سوفان *Soufân*, ut in *Syriâ* vocatur *Panus* arborum, qui Lixivio coctus, ſole ſiccatus, & tundendo emollitus eſſe ſolet, ut fiat قاو *Fomes* Ignium. In *Yaman* & alterâ *Arabiâ*, aliquando

quando ex aduſto linteo Fomes inditur diſco ligneo, in cujus lateribus ſunt duo foramina, per quæ tranſverſim mittitur Bacillus, qui tamdiu circumagitur donec exeat Ignis in fomitem cadens. Talis Diſcus cum tranſverſo Bacillo dicitur fieri ex radice alicujus arboris duriſſimæ. Ita quoque nimiâ agitatione & velociore motu quotidiè accendi ſolent Rotarum Axes, & Volvoli, quibus recenter fabricatæ Naves ad aquam deducuntur. Lignorum quoque ex nimiâ motione Ignitionem probant Tornatores noſtri, dum durioris ligni querni, ſeu roborei extremitate, aliud lignum mollius circumagitatum uſque ad inflammationem accendunt, circulos nigros in eodem adurendo.

Uti autem ex duris & ſiccis, ſic etiam aliquando ex mollibus & humidis lignis elici ſolet Ignis. *Armeni Iſpahanenſes* mihi retulerunt, Ignem ibi elici ſolere ex alicujus mollis ligni duobus Fruſtis, quæ mutuâ affricatione igneſcunt, & deinde afflando accenditur Ignis. Hujus ligni nomen pronuntiabant *Bâdi-ſámbour*, quod rectiùs eſt بان سمور *Bâdi ſamûr*, eodem nomine quo aliàs *Ventus Urens* nominatur. D. *Thevenotus*, in *Itinerario*, hujus Ramuſculum pingit, & deſcribit totam arborem quæ Craſſitie & Brevitate monſtroſa: & dicit eam itidem ab *Armenis* vocari خرزهره *Cherzéhre*, quod eſt verum nomen apud Medicos. Ex hoc ligno parantur Carbones facilè accendibiles, qui adhiberi ſolent ad conficiendum *Nitratum Pulverem*, ut apud nos Carbones ſalignei. Apud *Arabes*, Ignis elicitur ex Lignis dictis مرخ *Marc'h* & عفار *Afâr*, de quibus apud D. *Golium* legitur in Lexico; *Aphâr eſt arboris ſpecies, cujus lignum facilè igneſcens, in Fomitem Igniarii cedit.* Et apud eundem; *Marc'h eſt nomen arboris quæ confrictu facilè ignem reddit*; aut *Focile inferius, ut ſuperius dicitur Aphâr.* Et ſic *Turgj.* ex *Sahâh* ſeu *Gjeuhario*; وفي الصحاح العفار الزند وهو الاعلي والمرخ الزندة وهي الاسفل In Libro *Sahâh*, *Aphâr eſt Zend, ſeu ſuperius, & Marc'h eſt Zenda, ſeu inferius.* In contrariam ſententiam abit *Ecteri*, qui *Turcicè* refert; مرخ بر اصل ياشل آغاجدر كه عفار آغاجنده سورسلر صوي چقر اول صودن اود حادث الور يقر مرخ ارلك ودشنه عفار درلر *Marc'h eſt ſpecies virentis Ligni, quod ſi affricaverint Ligno Aphâr, exit Succus, ex quo Succo exiens Ignis accenditur. Horum Mas eſt Marc'h, & ejus Fœmella eſt Aphâr.* Et rurſus idem *Ecteri* legit, عفار عرب ديارنده چوق الور بر اصل ياشل آغاجدر كه بداغن كسوب

مرخ آغاجنه سورسلر صوي چقر واول صودن اود حادث اور يقارلر
عفار دشيسي ومرخ ارڭڭي در *Aphâr copioſa eſt in Arabum Regione Ligni viridis ſpecies, cujus ramus, ſi reſecetur & Ligno Marc'h affricetur, exit Succus, ex quo Succo concipitur Ignis quem accendunt. Aphâr eſt Fœmella, & Marc'h eſt Mas.* Heic habe ex *Máulavi*, دو [وعفار] مرخ
درختست در ديار عرب چون بهم سايند آتش بيرون آيد *Marc'h & Aphâr ſunt duæ arbores, ſc. duo Ligna in Regione Arabum, quorum mutuo attritu elicitur ignis.* Turcis چقمق *Tchákmak* eſt tam *excutere* ignem quàm *Excuſſorium* inſtrumentum, ſc. *Igniarium*, ſeu *Focile.*

De his audiatur ſupradictus *Turgjumân*, qui *Perſicè* dicit, عفار
و مرخ دو درختست كه ازان آتش بيرون مي آيد *Aphâr & Marc'h ſunt duæ arbores ex quibus exit Ignis.* Quæſtio ergò eſt, an *Marc'h* & *Aphâr* ſint diverſæ Arbores, vel potiùs diverſa Inſtrumenta ex eâdem Arbore? cùm eadem ſit utriuſque Arboris definitio, ſeu deſcriptio; utraque enim *Perſicè* apud *Turgj.* eſt بيد سرخ, & apud *Ecteri* Turcicè eſt قزل سكوت *Salix rubra.* Quoad locum, apud *Turgj.* eſt بيد دشتي *Salix campeſtris:* & è contra apud *Ecteri*, eſt باغجاده بتن سكوت آغاجي *In Hortis creſcens Salix arbor.* Iſta Salix, propter rubedinem, *Martis* Stellæ dedicatur, tanquam Planta *Martia*, quæ à *Behrâm*, ſeu *Marte*, aliàs Perſicè vocatur بهرامه *Behrâma*, Formâ *Arabicâ* بهرامج بيد سرخ *Behrâmagi eſt Salix rubra*, ſeu *Martia.* Et quia copiosè provenit circa urbem *Balch* in *Choraſân*, ſubinde legitur بهرامج البلخية *Behrâmagi eſt Balchenſis* Salix. Et *Chadr Ibn Ali* dicit, بهرامج هو الخلاف البلخي ويسمي الدبق *Behrâmagi eſt Salix Balchenſis, quæ etiam vocatur AlDibk; eſtque omnium odoratarum Plantarum odoratiſſima & fragrantiſſima. Temperata eſt ſi embrochata: diſſolvit flatus ab omni loco, & ejus odor ſolvit flatus craſſiores à capite: item ſolvit ventrem.* In Libro *Ph. Gj.* à Florum Odore vocatur بيد مشك *Salix Moſchata.* Et in Libro *Zeinato'l Attâr* appellatur گربگو *Ghúrbaghu*, & گربه بيد *Ghurba-bîd*, ſeu *Salix Felina*, fortè propter *Iülos:* & ibidem vocatur گله پوش *Ghéla-pûſh*, *Gregem tegens*, ſeu *Cranium tegens*,

tegens, fortè propter umbram, & ibidem exponitur, *Salix verno tempore valdè ſuaveolens, cujus* عرق *ſeu deſtillatam Aquam ad cordis exhilarationem & refrigerium bibunt.* Et ut rariſſimæ Plantæ omnia Nomina perſequar; hæc Salix vocari ſolet Turcicè صورغون *Ssûrghûn*, ſeu fere eodem ſono سورغون *Sûrghûn*, ſive سرخون *Sûrchûn*; quæ omnia videntur eſſe quaſi dicatur سرخ گون *Súrch-ghûn*, *rubricolor* Arbor ſeu Salix. In Libro *Nim.* legitur, مشک بید سورغون چچکي که عرقن چقدرلر *Salix moſchata, eſt Súrghûnæ flores, ex quibus* τὴν *Iràk ſeu ſtillatitiam aquam eliciunt:* ſc. *Salicis Moſchatæ* nomen reſtringit ejuſdem floribus. Eſt itaque talis Salix quæ externè igneo colore rubet: &, ſi virens ejuſdem Ramuſculus duriter fricetur, vel tortus flexúſque ſit, tum exit ſuccus igneſcens & flammam concipiens dum exit: adeò ut hæc planta, tam extra quàm intra, ſit planè ignea. *Chinenſes* ajunt quòd *Sui*, qui ex Imperatoribus primis, *Lignum Ligno atterendo Ignem primus elicuit: & eam Ignis extundendi Artem etiamnum Sinæ in uſu habent, & pro variâ anni Tempeſtate, varia deligunt ligna circa id temporis ad præbendum Ignem aptiora.*

Cap. XXVI.

De Zerduſhti particularibus Libris, & de Linguâ & Literis quibus ſcripti ſunt.

LIBRI *Zend* ſeu *Zendaveſtâ* Originale Exemplar in 12000 coriis taurinis, (ut ſupra deſcriptum p. 318, 319,) exaratum eſt *Perſarum* Linguâ & Literis *vetuſtiſſimis*, hoc tempore, non omnibus ibi ſatis notis. Cum his conſonant ea quæ habet D. *Sanſon* in Hodierno Statu Perſiæ, p. 184, *Illorum Fides continetur in quibuſdam Pellibus, quæ ab eorum Magis, ſeu Sacerdotibus, certis quibuſdam Diebus leguntur. Hæ dictæ Pelles inferciuntur Fabulis & Traditionibus ſuperſtitioſis: quas tamen Sacerdotes ſtudiosè celant, Religionis ſuæ partem ducentes eas monſtrare*

monſtrare Nemini. Ita ut impoſſibile ſit aliquid de eorum Fide ſcire, niſi quatenùs eam revelare velint eorum Sacerdotes.—Et quantacunque fuerit mea Curioſitas, parum tantùm de eis addiſcere potui. In vetuſtiſſimis Exemplaribus non ſunt admixtæ *Voces exoticæ*, ſed omnia purâ putâ *Lingua veteri* exarata ſunt. Recentiora autem Apographa, explicationis causâ, aliquando admixta habent moderniora quædam vocabula *Perſica*, & ſubinde pauca *Arabica* à modernioribus Perſis uſitata. At quidem *Zerâtuſht-Behrâm*, Sacerdos olim doctiſſimus & in antiquâ Linguâ verſatiſſimus, in ſubſidium eorum qui *veterem Linguam* non intelligebant, aliquos antiquos Libros (vel ſaltem extractum ex eis, quod magis uſui eſſet,) in moderniorem Verſum *Medo-Perſicum* vertebat, ex quorum Numero eſt Liber *Sad-der* & *Zerâtuſht-nâma* ſupra memorati.

Liber *Zend* (ut ſupradictum,) conflatus eſt ex variis partibus, quæ univerſum Opus conſtituunt, quæ omnes eâdem *Lingua veteri* ſcriptæ ſunt; quarum aliquæ continent primum Textum originalem, aliæ verò continent ſecundas *Zerduſhti* Cogitationes, quæ ſunt quaſi Επινομὶς, ad ulteriorem doctrinæ ejus explicationem ſpectantes; eodem modo quo ſe habent *Miſhna* & *Gemara*, Textum *Talmudicum* conſtituentes. Hujuſmodi imprimis eſt Liber *Pâzend*, & deinde alii infrà recenſiti. Cùm enim quotidie cùm adverſariis contenderet, & videret & audiret ea quæ contra ejus Dogmata & Doctrinas ab hominibus objicerentur, neceſſarium erat ut novis Malis nova Remedia quæreret, & Argumenta pararet, & ad Objectiones anteà non viſas reſponderet; id quod contingit omnibus qui novam Doctrinam, contra vulgò receptam opinionem, propagare ſatagunt.

Literæ, quibus Liber *Zend* (vulgò *Zund)* & omnes ejus Partes exarantur, eæ ſunt *vetuſtiſſimorum Perſarum*, quæ, (propter dictum Librum in eis exaratum) apud Incolas vulgò audiunt *Literæ Zundicæ*, ſeu *Character Zundicus*, vel ſi *Anglicè* loquimur, **the Zund Character**; à quo aliquantulum differt *Character Pazendicus*; ita ut is hodiè à Perſis in Indiâ degentibus non ita promptè legi poſſit. Nos autem utriuſque generis Typos fuſos & Rei Typographicæ adaptatos & paratos habemus. *Lingua*, in quâ vetuſti Libri ſcripti ſunt, vocatur *Lingua Péhlavi*, ſeu, ut vulgus effert, *Pehéllavi:* de quâ, & de omnibus Linguæ Perſicæ Dialectis, infrà in peculiari Capite fuſiùs dicetur.

Eorum Pſeudopropheta *Zerduſht*, præter Titulum *Zend* à ſe excogitatum, ut ſuo Libro autoritatem conciliare poſſet, eum (ut ſupradictum) haberi voluit *Liber Abrahami*, utpote qui ejus Religionem

&

& Doctrinam continere cenſeretur. De eo *Shahriſtáni* (poſtquam diſtinxit inter Librum verum, ſeu indubitatum, quale eſt Judæorum Biblia, & Librum dubium, ſeu dubiæ fidei,) addit, الصحف التي كانت لابراهيم ع م شبهة كتاب فيه مناهج علمية ومسالك عملية *Quoad Librum qui tribuitur Abrahamo, (qui eſt Liber dubius,) in eo ſunt varii Ritus Scientiales & Conſuetudines Practicales.* Nempe docet multas Regulas, & Præcepta tradit quæ tam ad Scientiam, ſeu Theoriam, quàm ad Praxin in humanæ vitæ actionibus ſpectant: unde Libri *Zend* Subjectum innoteſcit. Et deinde pergit; *Et quidem Scientiales*, ſeu *Theoricæ, ſtatuunt modum Creationis & Productionis rerum, & Æqualitatem Creaturarum quoad modum Ordinationis & Durationis*, &c. Cum his ferè concordant quæ habet Diogenes Laertius; *Perſarum Magos diſſerere de Origine & Natura Deorum, quos Ignem, Terram, & Aquam*, &c. *arbitrantur.*

Supradictæ Libri *Zend* Partes ſeu Tomi vocantur نسک *Neſek*, ſeu *Nesk*, ut in *Nim.* legitur: ſed potiùs ſonandum eſt *Nusk*, i. e. *Pars.* Hæ Partes dicuntur eſſe numero XXI, prout in Libro *Pharh. Gj.* legitur, نسک قسمي باشد از بيست و يک قسم زند که زردشت زند را بـه بيست ويـک قسم منقسم ساخته و هر قسمي را نسک نام نهاده وباز هر نسکي را باسمي موسوم ساخته و آسامي آن نسکها هرکدام در مجلس گفته شده وخواهد شد *Nùsk eſt una quævis pars τῶν XXI partium τῆ Zend: cùm enim Zerduſht diviſit τὸν Zend in XXI partes, cuilibet parti impoſuit nomen Nusk. Quin & quamvis Nusk peculiari nomine donavit. Et ſingularum Nuskarum nomina in* Magorum *congregatione recitari ſolent & etiamnum recitantur.* Libri *Zend* Partes (ſi rectè memini) alicubi dicuntur eſſe XXII. Harum aliquot Partium nomina partim in dicto Libro *Pharh. Gj.* & partim alibi invenimus, quæ ſequuntur: de reliquis ulteriùs diſquirendum.

I. Liber زند اوستا *Zendaveſtâ*, ſc. ejus Pars quæ eſt *Officium Precum*, ſeu *Liturgia* Eccleſiæ Magorum in *veteri Linguâ*. At in eo *Officium Nuptiarum* videtur citerioribus temporibus additum, quia frequens ibi *Zeratuſhtræ* mentio fit.

II. Liber پازند *Pâzend*, q. d. *Pes* ſeu *Fulcrum τῆ Zend*, ſc. ulteriore commentatione ejus Doctrinam explicans & ſuſtentans.

III. Liber

III. Liber ايـاردة *Iyârda*, ſeu *Ayârda*, qui eſt Commentarius in *Zend:* uti etiam eſt ſequens,

IV. Liber ايكبارن *Ikbâren*.

V. Liber خردة *Chúrda*, i. e. *Pars Minutior:* dicitur Commentarius in alias aliquas Partes.

VI. Liber وندیداد *Vendidâd*, qui prægrandis eſt.

VII. Liber وند وندید *Vend-Vendîd*, ſeu *Venduvendîd*.

VIII. Liber زند وندید *Zend-Vendîd*, ſeu *Zenduvendîd*.

IX. Liber وندید وزند *Vindîd-va-zend*, ſeu *Vendîduzend*.

X. Liber تنگ *Tengh*. Eodem nomine gaudet cum aliquo Manetis Libro, de quo ſuprá.

XI. Liber مشت *Mùſht*, ſeu *Pugnus*.

XII. Liber خشت *Chiſht*, ſeu *Later:* ſic vocatur τῦ *Zend* Pars XII.

XIII. Liber اشتاد *Aſhtâd*.

XIV. Liber سیاه *Siyâh*, i. e. *Niger:* aliàs dictus زمـزم *Zémzem*, i. e. *Muſſitatio*, quippe qui Magorum Muſſitationem cum ejus Temporibus & Formulis docet.

XV. Liber زند هاذخت *Zend-hâducht*.

XVI. Liber زراذشت نامة *Zerâtuſht-nâma*, ſc. ejus Vita à ſeipſo ſcripta proſâ, ut ſuprà p. 332, ubi ejuſdem Contenta partim explicantur, & partim alibi. Poſteà in moderniorem linguam carmine verſus eſt iſte Liber.

XVII. یزشنی *Yeziſhni*, i. e. *Divinus* *.

* Iſte Liber No. XVII, reperitur tam in Muſæo meo quàm in *Emanuelis Collegio Cantabrigienſi*, ubi ſuper eo ſic ſcriptum eſt; *Iſte eſt Liber Ejeſſney in linguâ Jenwyſta, continens Religionem veterum Perſarum; ex dono Nannaby Moodie*. In iſtis autem Nominibus Perſicis erratur, vel ex Informatoris pravâ Pronuntiatione, vel ex ſono malè percepto & perperam captato ab Informato *Sacellano Anglo*. Nam in mei Exemplaris Calce, iſtius Libri nomen literis Perſicis ſcriptum eſt *Yeziſhny*. Hinc conſtat ſupradictum Informatorem voluiſſe *Ezeſny:* & alterum Linguæ nomen, quod ſcribit *Jenwyſta*, ex illius intentione, reſcribendum eſſe *Zenwyſta:* ſcil. lingua Libri *Zendwyſta*, quod eſt nomen Operum *Zoroaſtris*. In Exemplari *Cantabrigienſi*, in Calce (ubi dicti Libri nomen expectandum erat,) aliquot folia deſiderantur, quæ meum Exemplar ſupplet. Dicta Superſcriptio videtur in Oriente accepta ab aliquo *Sacerdote Perſico:* unde colligo quòd *Yeziſhny* pro vero hujus Libri nomine habeatur. Ego etiam poſſideo alium Librum, ſcil. quoddam Exemplar Libri *Sad-der*, ſcriptum in urbe *Surât*, Mandato كنورجي ناهاذة مـودي *Cnûrgjy Náhana Moodie* Mercatoris Angli 1633: ubi in ſono nominis *Náhana* erratum videtur pro *Nánnaby*: nam Orientales ferè ſemper corrumpunt *Europæorum* Nominum ſonos.

XVIII.

XVIII. Liber زردشت *Zerduſht*, de Religione agens.

XIX. Liber اوستادگر *Uſtâdgher*, i. e. *Magiſter*, ſeu *Coryphæus* in aliquâ Arte. De judiciariâ Aſtrologiâ agit.

XX. Liber بزشک نامه *Biziſhk-nâma*, i. e. *Medicorum Liber*, ſc. ejus Munus docens & Herbarum Vires exponens.

Hi omnes (& ſi qui ſunt alii,) & quicquid ex eis citatur, habentur مازدیسنان که قول خدایست *Mazdiyaſenân, quod Verbum Dei eſt*, ut in *Sad-dèr* cap. 12. Et omnes ſcripti ſunt Proſâ, nam *Zerduſht* nunquam ſcripſit aliquid Carmine: ideóque quicquid ejus Carmine extare prætenditur, ab aliis ſcriptum eſt, qualia ſunt *Græcorum Collectanea* quæ ei tribuuntur. At quia Preces Proſâ canunt, fallitur *Curtius*, dicens *Magos Patrium Carmen ceciniſſe*, quaſi Verſus ceciniſſent. Supra autem p. 331, irrefragabili teſtimonio conſtat omnia *veteri linguâ* ſcripta fuiſſe Proſâ. Verum quidem eſt, quòd quia illa lingua tandem Vernacula eſſe deſiit & paucis nota fuit, inde *Recentiores* aliqui *Magorum Sacerdotes*, in bonum publicum & uſum vulgi, pauca quædam in recentiorem linguam verterunt, ea conſcribentes Carmine. Hoc autem tantùm CC abhinc annis, circa tempus quo ab eis ſcriptus fuit Liber *Sad-der:* ſed tale quid *Veteribus* ignotum.

Apud Suidam, *Zoroaſtres* videtur intelligi ſub alio corruptiori nomine, ubi legitur Ζωρομάσδρης *Chaldæus Sapiens, qui ſcripſit Mathematica & Phyſica*, ut ſupra diximus. Apud eundem *Suidam* memoratur Ζωροάστρης Περσομήδης σοφὸς [& Ἀστρονόμος.] — Φέρεται δὲ αὐτοῦ περὶ φύσεως βιβλία Δ'. περὶ λίθων τιμίων Εν. Ἀστροσκοπικὰ ἀποτελεσματικὰ βιβλία Ε'. De *Agriculturâ* eum etiam ſcripſiſſe dicit *Plinius:* & 100,000 Verſuum ejus collegiſſe & volumina ejus explicâſſe dicitur *Hermippus*, cujus etiam Librum de Magis *Laertius* & *Arnobius* adducunt, ut *Patritius* notat. Sed abſint Carmina omnia!

Hujus hominis celebritas anſam dedit Hæreticis fingendi pro lubitu. Adeò ut ejus ſuppoſititii Libri (tertio poſt Chriſtum ſeculo, circa MCD abhinc annis) tantâ fuerint veneratione, ut *Clemens Alexandrinus* p. 233 ſcribat; *Quòd qui Prodici hæreſin ſequebantur, ſolerent gloriari ſe arcanos ejus Libros poſſidere.* Atque *Porphyrius* in *Plotini Vitâ* narrat, *multos Hæreticos Chriſtianos circumtuliſſe Revelationes quaſdam Zoroaſtris, & Zoſtriani, & Meſi*, &c. *quibus deceperunt multos, & ipſi decepti. Plotinus ergò contra hos & Gnoſticos ſcripſit.* Et *Porphyrius* dicit ſe multis oſtendiſſe *Librum, Zoroaſtri ab illis inſcriptum, adulterinum novumque eſſe, & ab eis confictum qui ſtatuebant Hæreſin, ut Inſtitutiones,*

quæ Zoroaſtris veteris eſſe crederentur. Ex *Proclo*, *Damaſcio*, *Syneſio*, & aliis citra *Chriſtum* Autoribus, ſparſa qnædam *Zoroaſtris* Λόγια collegit *Patritius*, & ante eum alii. Sed qualia fuerint quæ de *Zoroaſtre* apud *Græcos* circumferebantur, notat *Johannes Chryſoſtomus* Tomo I, p.737 de Vitâ *Sanctæ Babylæ* agens, & Orthodoxorum de eis opinionem his ſequentibus verbis prodens; Διὰ τί τὸν Ζωροάστρην ἐκεῖνον καὶ τὸν Ζαμόλξιν, &c. *Quamnam ob cauſam, Zoroaſtrem illum itemque Zamolxin, ne quidem de nomine multi, imò vero nulli niſi admodùm pauci norunt? Nonne quoniam Figmenta erant quæ de illis circumferuntur omnia? quanquam tum illi, tum ii etiam qui illorum facta memoriæ prodiderunt, ſummi Artifices fuiſſe feruntur; illi quidem Impoſturæ comminiſcendæ atque exercendæ, hi autem Mendacii Orationis Illecebris adumbrandi.*

Ut autem ad penſum redeam; cùm ſupradictus Liber *Zend* ſit omnium Agendorum & Credendorum Regula, uti *Mohammedanis* eſt *Coranus*, & *Chriſtianis* S. *Biblia*, ideò licitum aut illicitum ex ejuſdem Præceptis determinandum cenſent: unde id quod licitum eſt, appellatur زندآور *Zendâver*, *id quod feret Zend*; ſc. quod *Zend* permittit & probat: cujus contrarium eſt *Nâ-zendâver*, id quod non permittit Liber *Zend*; *Mohammedanis* حرام *Harâm*, i. e. *Vetitum*, ſeu *Prohibitum*.

Doctrinæ *Zendicæ* ſequaces Magi, ſeu Sacerdotes, vocantur *Zendchuân*, & *Zend-bâph*, &c. Sic in Libro *Ph. Gj.* زند باف و زندواف و زندلاف وزند خوان تابعان زردشت آن جماعه را مجوس نیز خوانند *Zend-Bâph*, & *Zend-Vâph*, & *Zend-Lâph*, & *Zend Chuân ſunt Zerduſhti Aſſeclæ, quos etiam Magos vocant.* Scilicet, hi ſunt Zerduſhti Religionis ſequaces in genere, qui affectant legere & modulari Librum *Zend*. Et ſanè *Zend-Bâph*, ſeu *Zend-Vâph*, verbo tenus, eſt *Zendi-Textor*, qui contexit & continuat ſermonem eúmque connectit: & *Zend-Lâph* verbatim eſt *Zendi-Laudator*, ſeu *Zendi-Jactator*, quia gaudent & quaſi exultant eum legendo & recitando. At *Zend-Chuân* eſt *Zendi-Lector*, ſeu *Zendi-Cantor*, nam utrumque ſignificat: præſertim verò eſt ordinarius *Lector* Synagogæ, qui Preces quotidiè celebrat canitque: nam *Cyrus* Inſtituit Sacerdotes ὕμνειν ἀεί. Talis Parochus *Judæis* dicitur חזן *Chazzàn*; *Mohammedanis* امام *Imâm*. Itaque Libri *Zend* Lectio publica, ſeu in Sacris Recitatio, fit per quandam modulationem, ſeu cantillationem, inter legendum aut recitandum, uti Judæi ſemper faciunt tam in Precibus quàm Biblia Hebraica legendo. Hinc *Strabo* de tali Perſarum Recitatione loquens, utitur

voce

voce Επάδειν *Accinunt*. Et quòd Sacra ſua canebant, innuit *Curtius*, dicens, quòd in *Darii* Proceſſione, *Magi Patrium Carmen canebant*: ſc. preces canebant, ut fit in Pſalmis Davidicis *plano Cantu*, ſeu *Modulatione Cantuarienſi*, in *Cathedralibus Angliæ*. Hinc eſt quòd in *Juſtinum* Annotator Varius p. 26 alicunde legit, *Quòd Magi Virgis Ignem inter canendum ſuſcitabant*.

Prædicta Epitheta omnia, propter dictam modulationem, interdum metaphoricè tribuuntur *Luſciniæ*, quæ ſubinde appellari ſolet *Zend-Bâph*, & *Zend-Lâph*, & *Zend-Chuân*, q. d. *Zendi Recitatrix*: quæ quidem Avis, propter garrulitatem, ſæpè etiam Perſicè vocatur هزار دستان *Hazâr-daſtân*, i. e. *Mille Hiſtoriolarum* Avis; quo nomine inſinuatur eam plures in canendo Varietates & Elegantias habere, uti etiam *Luſcinia* noſtras *Europæa* habet: unde & apud *Sheich Saadi* vocatur بلبل گویندہ *Bulbúl Ghûyanda*, *Luſcinia Loquax*. Ab his haud abſonum eſt *Græcum* nomen *Philoméla*, q. d. *Melodiam Amans*. Cæterùm in Oriente, (ut id obiter doceam, quia *Europæ* fortè inauditum,) Luſciniæ Roſas odorari ſolent, à Roſâ ad Roſam volando & odorando, donec planè inebrientur & cadant, ita ut à quovis capiantur. Unde dictus *Sheich Saadi* Perſa inconſtantem Amatorem eleganter comparat *Luſciniæ, quæ quotidiè novas Roſas quærit*. Hoc idem mihi etiam affirmavit *Abdelmeſſîh Mauſilenſis* amicus noſter, *Kàs Iſæ* filius.

Quinetiam ut in *Iſlamiſmo*, apud Perſas Mohammedanos, *Alcorani* in certas majores Partes diviſi *Recitator*, ſeu *Lector publicus*, vocari ſolet جزء خوان *Gjùz-Chuân*, i. e. *Partium Lector*, ſic in *Magiſmo*, apud Perſas veteres Libri *Zend* in ſuas Partes, ſeu Tomos diviſi *Recitator*, eâdem ratione, vocitatur نسک خوان *Núſk-chuân*, i. e. *Partium Lector Cantórve*; qui quidem Titulus (ut & *Zend-chuân*) non tantùm Magûm in genere, ſed & ſpeciatim eſt Lectoris, ſeu Sacerdotis parochialis Epitheton. Is in *Pyréo* Librum *Zend* legit recitátve, devoto Vultu & elevato Digito Indice, qui itaque vocari ſolet انگشت خدا خوان *Digitus Chodâ-chuân*, ſeu *Deum invocans*, vel ſimpliciter *Chodâ-chuân*.

Cap. XXVII.

De Naturâ Ignis, & de generali Ratione Cuſtodiæ ejuſdem, &c. Quo Signo Perſæ ad Sacra convocantur, & quomodo ſe gerunt in Eccleſiis. De Virgarum Uſu in Sacris, & de eorum Muſſitatione quotidianâ, atque Silentio.

QUamvis Veteres Perſæ ſint tam boni & pii homines, ut ſupra deſcripſimus, & per totam Vitam Igni famulentur, facetè obſervat *Sheich Saadi*, (de Ignis Naturâ elegantem faciens Comparationem,)

اگر صد سال گبر آتش فروزد *Quamvis Ignicola* 100 *annos Ignem accenderit,*

اگر دمے در یکدم افتد بسوزد *Si uno momento in eum ceciderit, comburitur.*

Vult docere, nullâ Pietate truculentam Ignis Vim domari poſſe, nec aſperum illum Elementum ullâ Prece mitigari, quin ipſos etiam Cultores ſuos tandem comburat. Apud *Plutarchum* in *Sympoſiacis* adducitur *Lucius, Flori filius*, aſſerens, *Ignem ſacrum non ideò fuiſſe cultum, quòd eum alio Igne putarent meliorem digniorémque, —— ſed Ignis ſacri Cuſtodiam fuiſſe Teſſeram Obſervantiæ erga omnes Ignes, prout Ægyptii colebant unum aliquod Animal pro totâ ſpecie, & ſic iſti colunt unum Ignem pro omnibus.* Hæc quidem ſit commoda ratio apud eos qui Ignem ſervandi originalem cauſam ignorant. *Judæi* ſacrum Ignem ſervabant pro neceſſario uſu *Sacrificii jugis*, ſed eundem non honorabant, multò minùs colebant. *Græci* autem & *Perſæ* hoc videntes, ſcil. Ignem ſervari in Templo Dei, & verum ejuſdem uſum neſcientes, exiſtimârunt eum neceſſariò eſſe honorandum; non tamen ut Deum colendum. Alibi *Plutarchus* ait; *Apud Perſas ſupplicandi genus erat acerrrimum & Repulſæ ſecurum, ſi ſupplex cum Igne in fluvium deſcendens, minaretur Ignem ſe in eum abjecturum niſi impetraret quod petebat: fiebat enim Compos Voti, ſed puniebatur propter comminationem, utpote injuſtam & Naturæ contrariam*, &c. Sed quanta eſt hæc fabula, quaſi feciſſent petitiones ad Ignem, tanquam ad Deum, & quaſi Ignis eſſet Animal rationale & minitanti ſe ſubmitteret! Fides itaque ſit penes Autorem.

Ad Pyréa ſua in urbe *Núſſari* in *Indiâ* convocantur per pulſationem parvæ Campanæ: at in *Iſpahân* Perſidis, vel notis temporibus ſponte conveniunt, abſque dato Signo, vel aliàs (ut *Armeni Gjulphenſes* & alii

alii per Orientem *Chriſtiani*,) Signum datur per pulſationem magni alicujus Aſſeris: idque propter metum *Mohammedanorum*, qui non permittunt *Campanarum* uſum in Eccleſiis, utpote quæ ſint *Chriſtianorum* Inſtitutum. Quando autem Templum adeunt, non id faciunt ut meri Ignicolæ; nam in minoribus Eccleſiis rarò eſt Ignis, ſed tantùm Lampas: ubi verò eſt Ignis, eum non colunt ut Deum, ut ſuprà diximus. Contrarium de eis notat Diogenes Laertius, ſc. *Quòd olim Dei Immortalis Cultui vacabant; Illi ſoli Vota & Preces concipiebant, Sacra faciebant*, &c. *quaſi ii ſoli cum eo communicationem haberent.* Nihilominus tamen ut *Judæi* noluerunt Ignem ſuum ſacrum polluere, nec in eum ne quidem Follibus inflare; ita & *Perſæ* nullo modo in Ignem ſacrum inflant. Ideóque inter Sacra peragendum, non tantùm juſtum Intervallum ſervant, ſed & ad prohibendum impurum halitum, ora tegunt quadrato Panno linteo dicto بنام *Panâm*. Et Sacra facturi circumſtant populi, corde tantùm orantes & muſſitantes. Et Sacerdos indutus *Albâ*, & *Pileo Aurito* & *Ore Velato* paulò propiùs accedit, alterâ manu *Librum*, alterâ albas aliquas ſpithamalis longitudinis *Virgas* tenens: & hoc modo cantillat Preces, recitando Officium ex Libro *Zend:* & in oratione vehementior, aliquando uno pede ſtat, ad imitationem Prophetæ ſui. Poſt peractam verò in primo ingreſſu Proſtrationem, quilibet pro ſe muſſitat, & ſimul, ſi quas habet Oblationes, quiſque melioris notæ homo eas offert, injiciendo in Ignem vel pretioſa Olea, vel Aromata, vel Margaritas, vel ſaltem Fruges, aut Carnes, &c. De illo Oris Operculo, Arabicè *Phidâm*, ſeu *Phadâm* dicto, verba faciens *Camûſi* Autor, refert, فدام شي تشده العجم والمجوس علي افواهها عند السقي. Hæc D. *Golius* exponit, *Panniculus, quo Perſæ & Maguſæi os tegunt cum bibunt:* quod impoſſibile. Nam cùm سقي non ſignificet *bibere*, hæc magis verbatim ſonant, *Phidâm eſt res quam Perſæ & Magi alligant ſuper ora ſua inter propinandum*, ſeu *potum præbendum.* Sed, & hâc lectione non genuinâ, ſubſtituamus legendum عند الصلي *inter precandum*, ut ſpectet eorum Sacra, in quibus Ora ſemper Panno velari ſolent. Nam quòd, vel inter bibendum, vel inter potum præbendum, ora ſua tegant, alibi nunquam reperi. Ideóque, vel dictus Autor *Arabs* in rebus Perſicis errat, ut ſolet, vel à Scribis depravatus eſt. Si hoc confers cum aliis citationibus, quas paſſim adducit, *Perſicis*, præſertim cum nugatoriâ ejus derivatione vocis مجوس *Magjûs*, eum Linguâ & rebus

Perſicis

Perſicis parùm verſatum pronuntiaveris, quamvis fuit urbe *Phiruzabâd* oriundus; ſed quam fortè puer reliquerit; nam is prorſus ſe dedidit Linguæ *Arabicæ*, cujus *Oceanum* produxit copioſum, omnium Lexicorum planè Optimum.

De Virgarum uſu in Libro *Ph. Gj.* traditur, *quòd Virgæ, quas manibus tenent, vocantur* برسم *Berſam, quæ ſunt Longitudinis unius Vagjàb*, ſeu *Spithamæ*, [decorticatæ] *tenues & innodes, quas ab arbore Ghez, aut Hawm, vel, earum defectu, à Malogranato reſecare debent peculiari cultello qui vocatur* برسم‌چین Berſam-tchîn, id eſt, *Virgilegus* Cultellus, *Manubrio ferreo: & mos eſt eundem priùs* پادیاوی کردن *lavare, & deinde adhibere Zémzema*, ſeu *Muſſitationem, quæ eſt in Laudem Dei & Ignis, quæ etiam adhiberi ſolet quo tempore lavant ſe & edunt & Sacra celebrant. Nam* جمیع عبادات نخست بر زبان راندن omnia Religionis ſolennia priùs recitant. *Hiſce Ceremoniis peractis, deinde dictas Virgulas reſecant & abſcindunt tali conſecrato Virgilego Cultello. Habetur quoque* برسمدان Berſamdân, i.e. Rhabdotheca, ſeu *Vaſculum dictas Virgas continens, quod etiam lavant: eſtque rotundum ſicut Calamotheca, paulò longius ipſis Virgis, quas in eo condunt: & fieri ſolet ex Auro, aut Argento, aut Ære, aut ſimili aliquâ materiâ. Et quotieſcunque unam aut alteram Nuſk*, ſeu *Partem* τ̃ *Zend recitant, aut* عبادت کنند *cultum aliquem religioſum peragunt, aut Corpus lavant, aut Cibum comedunt, ex Thecâ aliquot Virgas in tales uſus reſervatas depromunt: Ex. Gr. ad recitationem* دسک وندیدان Tomi τ̃ Vendidâd, *manibus tenent XXXV Virgulas, quæ, finita Lectione ſeu Recitatione, inutiles ſunt, nec ulterioris uſûs, niſi pro Fomite Ignis. Ad recitationem* دسک مشت Tomi τ̃ Mùſht, *manu tenent XXIV Virgulas. Tempore Cibum comedendi manu tenent V Virgulas. Eſtque ſemper ex conditionibus manu tenendi Virgulas, ut priùs corpus lavent, & veſtes mundas induant.* Hactenùs ille. De hiſce ceremoniis *Phirdauſi* Sapiens refert, quòd Rex

پرستنده آذر زردهشت	*Culturus in Pyréo Azuri-Zerdhuſht,*
همی رفت با باز برسم بمشت	*Ivit cum Faſciculo Virgarum in manu.*
چون از دور جائی پرستش بدید	*Cúmque à longinquò videret Cultûs Locum,*
شد از آب دیده رخش نا پدید	*Genæ ejus præ Lacrymis videri non potuêre.*
فرود آمد از اسب برسم بدست	*Deſcendens itaque ab Equo, cum Virgis in manu,*
بزمزم همیگفت ولب را به بست	*Muſſitationem recitavit, Labia comprimendo.*

Supra

Supra dicta Arbor *Hawm* (inquit *Ph. Gj.*) quia à Magis adhiberi ſolet, vocatur هوم المجوس *Hawm Magorum:* eſtque arbor in Perſide frequens, ſimilis arbori *Ghez*, ſeu *Myricæ*, & cum ejuſmodi nodis: Folia autem ſimilia ſunt foliis *Jaſmini*, ſc. *Jaſmini* faciem habet. Hujus etiam Virgas tempore Muſſitationis manibus tenent Magi. In Lib. *Zein.* hæc Arbor aliàs vocatur هوم الهداية *Hawm AlHidâyat*, ſeu *Manuductionis* ad Templum & cætera Sacra: ibi dicitur quòd ejus Flos ſimilis ſit Flori τȣ̃ مشكطرامشيغ *Muſhcátrâmſhîgh*, ſeu *Dictamni*. Quin & alio valdè communi nomine hæc Arbor vocari ſolet مرانية *Marânia*, à Perſidis urbe مرانه *Marâne* (prope urbem *Yezd)* ubi copiosè creſcit, quaſi *Maranienſis* Arbor. *David Antiochenus* vult *Marâniam* eſſe Herbam uno Caule duro, & Flore flaveſcente: ſed illius veniâ, eſt Arbor.

Dicta *Muſſitatio*, quæ Arabicè *Zémzema*, Perſicè audit دندش *Déndiſh*. Et in *Ph. Gj.* definitur *Zémzema*, quòd ſit ترنمي *Terânnumi*, ſeu *Murmuratio quædam, quam* باهستگي كنند lentè proferunt: *&, quòd peculiariter eo nomine vocentur Verba quæ proferunt in laudem Dei & Ignis, Tempore Sacra peragendi, & Corpus lavandi, & Cibum edendi.* Angelos quidem Cuſtodes tunc iſtâ Murmuratione alloquuntur: nam habent زمزمة كل يوم *Muſſitationem, pro ſingulis diebus* menſis peculiarem, ad ſingulorum dierum Angelum directam. Mohammedani hæc vocant eorum افسونها *Incantamenta*. Autor Libri *Arûch* in voce מגוש refert; אמגושתא היא הנודעה בלשון ישמעאל זמזמה שהמגושין בשעת סעודתן שותקין ואין מוציאין דבר בפיהם אלא מוציאין קול שאינו מחותך בנעימות והנעימות בלבן *Maga nota eſt linguâ Arabicâ ex Muſſitatione: quia Magi tempore edendi tacent, ne Verbum ore proferentes; ſed proferunt vocem non articulatam Diſtinctione, nam Diſtinctio eſt in eorum corde tantúm.* Scilicet, quamvis inarticulatè loquantur, ut alii non intelligant, ipſi tamen in Corde ſuo ſciunt quid volunt. Locus eſt ſubobſcurus. In eundem ſenſum in voce מגוש legitur *Magi* Definitio in Lexico *Talmudico Múrſhid*, literis *Hebraicis Arabicè* conſcripto; قال ר"האי ז"ל ان مجوسي الذي يزمزم بنغمات من غير كلام باحرف متقطعة سوي همهمة وتنغيم بحسب ما يقطع تلك الحركات علي ما في خاطره من المعني *Rabbi Hai b. m. dixit, Magus is eſt qui muſſitat ſuſurrationibus, ſermone abſque vocibus diſtinctis, per modum murmurationis.*

murationis. Et ſuſurratio eſt ſecundùm id quod diſtingunt iſtæ motiones juxta eum ſenſum quem im animo habet; ſcil, juxta Intentionem quam animo habet, ſed diſertis verbis eam non exprimit. Hæcce *Muſſitatio* eſt *Precatio Mentalis*, quæ eſt ferè *Meditatio*, niſi quòd eam comitetur ſonus quidam inarticulatus. Eſt ſc. idem quod noſtrates faciunt primo in Templum ingreſſu, privatim orantes. Iſti autem *Judæi* non ſatis diſtinguunt inter *Muſſitationem* ſilentio proximam, & purum putum *Silentium*, quæ confundunt. Præmittitur quidem *Muſſitatio:* & poſt eam ſequitur *Taciturnitas*, ſeu *Silentium* dictum باج *Bâgj*, ſeu باز *Bâz*, ſive باژ *Bâzh*, quod in *Ph. Gj.* ſic definitur, باج خاموشي بود كه مغان وقت بدن شستن وخوردن بعد از زمزمه بكنند

Bâgj eſt Silentium quod poſt Muſſitationem Magi adhibent tempore corpus lavandi & cibum comedendi. Nempe *Muſſitatio*, initio temporis edendi, eſt Gratiarum actio & precatio: & deinde ſequitur *Silentium* inviolabile. *Ammianus Marcellinus* Lib. 21, Cap. 13, de Perſis loquens, addit; *Apud quos quoque Silentii colitur Numen.* Hoc ferè videtur jocosè dictum, cùm tale quid non ſit: vult autem eos *Taciturnitatis* Virtute donari præ cæteris Gentibus. Ad hunc locum Annotator ex *Theophylacto Simocattâ* notat, quòd *propter Silentii Legem in Conviviis obſervandam, Choſroes Perſarum Rex Brizacium, Barami Tyranni Speculatorem, captum & in Convivium introductum, ſigno manûs jubebat occidi:* ἀ γὰ εὐωχεμένοις θέμις τοῖς Πέρσαις λαλεῖν *convivantibus enim Perſis nefas eſt loqui.* Et dicente *Hieronymo* in Epiſtola ad *Euſtochium* de Virginitate ſervandâ, *Cœnobitæ etiam in Ægypto hunc morem tenent: nam nemo comedens loquitur.* Propter dictum *Silentium*, Rabbi *Gamaliel* laudat Perſas, dicens eos eſſe modeſtos in Cibo. Locus in Talmude *Berachoth* fol. 8, 2, בשלשה דברים אוהב אני את הפרסיים הן צנועין באכילתם וצנועין בבית הכסא וצנועין בדבר אחר *Propter tres cauſas amo Perſas, quia ſunt verecundi in Cibo, & ſunt verecundi in Domo Sedis* [ſeu *Latrinæ*,] *& ſunt verecundi in Re aliâ*; quæ *Res* exponitur תשמיש *Adminiſtratio*, ſc. Rei Venereæ, Uxori debitum ſolvendo.

Cap. XXVIII.

De Magorum Sacerdotio & Hierarchiâ, florente olim eorum Eccleſiâ, & quoque hodie.

VEtuſtiſſimi Perſæ Medique (quod dictu mirabile, & quibuſdam impoſſibile viſum,) *ſemper* ab omni ævo, penè ab ipſo Diluvio ad hoc uſque tempus, *externam* aliquam Eccleſiæ Faciem habuerunt, & hodie habent. Hanc quidem *Eccleſiam* aliquando vexârunt Hæretici, præſertim *Manichæi* & *Mezdakæi*, & aliquando injuſtas perſecutiones ſubivit; & *Magophoniæ* Tempore, propriâ culpâ, inſignem cladem paſſa eſt. Ea autem, maximâ ex parte, olim uſque ad mortem *Yezdegherd* ultimi, in ſummâ Gloriæ ſuæ Abſide conſtituta viguit & floruit, tanquam *Mulier amicta Sole*, cujus etiam Pedes Lunâ ſuffulti. Sed tandem dicti Regis tempore, in utroque ſuo Luminari fatalem & *totalem* perpeſſa eſt *Eclipſin*: ingruentibus enim *Saracenis* Draconibus, perſecutionem acerbam paſſa, coacta fuit fugere, partim in *Caramaniæ* Deſertum, & partim in *Indiam*, ibi per hos mille Annos obnubilata & obſcurè agens. At ſicut iſta Gens nunquam fuit penitùs deleta, ſic nec Eccleſia prorſus abolita, ſed apud hujus Gentis ſuperſtites, uſque à tempore dicti *Yezdegherd* (quamvis imminuta & Poteſtate ſeculari deſtituta,) ſemper hactenus ad hoc noſtrum tempus extitit; eáque benè regulata, perpetuâ Succeſſione habens Sacerdotium continuatum ſine Interruptione ullâ. Hinc eſt quòd antiquiſſimam ſuam *Zoroaſtris* Religionem, conſtanti praxi, & continuato uſu quotidiano in ſuâ *Liturgiâ* publicâ, ad hunc uſque diem, ſine mutatione intemeratam retineant, ejúſque *Libros vetuſtiſſimos*, ſicut ſacra Monumenta (ad inſtar *Judæorum*) reverenter cuſtodiant & incorruptos conſervent, ſuæ Religionis & Rituum tenaciſſimi, ad rigorem uſque. Perſarum enim Gens nunquam fuit tam levis & mutabilis, aut prophana, quæ *Protoparentum* Religionem, in quâ Anteceſſores educati, vilipenderit, aut ſponte abjecerit.

Talis eſt Eccleſia *Magorum*, quorum *Clerus* olim fuit, & hodie eſt, regularis & pius, in tres Ordines diſtinctus, quorum Tituli *Perſicè* in diſtincto aliquo Capite ſeorſim dabuntur, allegatis etiam Autoritatibus; quod heic facere, Diſcurſûs noſtri tenorem interrumperet. Hi (præſertim *Præſules*) Regibus olim fuerunt à *Sacris domeſticis*, ſeu

Sacellani, & Regiorum Filiorum *Tutores*. Iidem quoque fuerunt & hodie ſunt *Judices Eccleſiaſtici*, qui Lites terminant, Caſus Conſcientiæ ſolvunt, & delinquentibus Pœnitentiam præſcribunt. Sacerdotes plures aut pauciores (pro quantitate Redituum) ad ſingula *Pyréa*, ſeu Templa *Cathedralia* pertinebant. Ad unam magnam in *Balch* Eccleſiam *Naubahâr* pertinebant LXXX Sacerdotes, unde de reliquis conjecturam quodammodo facere licebit. Et quidem *Sacerdotes* in toto fuerint penè innumerabiles, cùm *Præſulum* numerus fuerit tam magnus, uti colligere liceat ex *Erdavirâph-nâma* ſuperiùs allegato; ubi memoriæ proditum, quòd *Ardeſhîr-Babecân*, Mediæ & Perſiæ & Bactriæ Rex, habens aliquot dubia in Religione ſolvenda, convocabat *omnes* ſui Imperii *Præſules*, ſeu *Superintendentes*, qui erant numero 40,000, vel, ut alii volunt, 80,000: niſi fortè dederint numerum certum pro incerto, aut alias, *Præſulum* nomine, intelligantur *Sacerdotes*, qui ad tantum numerum fortè excreverint. Utcunque tamen fuerit, florente olim *Magorum* Eccleſiâ, proculdubiò habuerunt tantum Eccleſiaſticum apparatum & Famulitium, quod tam ad neceſſitatem quàm ad Pompam ſacram ſufficeret. Hi omnes *legitimè* erant *vocati* & *ordinati:* nam apud eos, nemo ſponte aſſumit Sacerdotium, uti infrà dicetur; & nemo, niſi Sacerdotis filius, in Sacerdotio ſuccedit, ut in conſtitutione *Leviticâ*. Et quidem eorum Sacerdotium ferè coincidebat cum eo *Judæorum*; in quo erat unus *Summus Sacerdos*, & deinde plurimi *Sacerdotes* atque *Levitæ*. Hoc autem excedebat Hierarchia Perſica, (quamvis *Chriſtum* præceſſerat, magis cum *Chriſtianâ* coincidens,) in quâ, præter *Sacriſtanos*, erant *Sacerdotes*, & *Præſules*, & *Archipræſules*, qui hodiernis Chriſtianorum *Preſbyteris*, & *Epiſcopis*, & *Archiepiſcopis* correſpondent. Adeò ut, Eccleſiæ *Chriſtianæ* Amicis pariter & Inimicis fortè novum & inopinatum videbitur, in *Perſiâ* reperîſſe *Conſtitutionem Eccleſiaſticam* prope MMM abhinc Annis fundatam, quæ tam pulchrè coinciderit cum ſubſequente *Hierarchiâ Chriſtianâ*. Hocque non ſine Numine factum, ſc. Perſas olim ordinâſſe idem quod poſteà *Chriſtus* & *Apoſtoli* ejus, in Plenitudine Temporis, tandem novâ Sanctione inſtituerunt & confirmârunt. Eccleſiæ itaque eorum Regimen in primâ ejuſdem Conſtitutione fuit benè fundatum. Et quidem vetus conſtitutio hodie manet: ſed tempore Regis *Yézdegherd*, abolito Perſarum Imperio, & graſſante *Iſlamiſmo*, plerique Reditus ab Eccleſiis ablati ſunt: adeò ut jam non tam lautè ſe habeat dicta Eccleſia, ſed oppreſſorum more, humiliter agitur ab iis, qui paucis *Decimis* & voluntariis Contributionibus contenti

tenti esse debent, modò conscientiæ libertate fruantur. Hoc modó, Ecclesiæ eorum Regimen & Disciplinam sat bonam fuisse comperimus.

Quoad eorum Ecclesiæ Doctrinam, ea etiam benè fundata est in *solius* Dei Omnipotentis *Cultu divino*, quem ad hodiernam diem retinent, à verâ & intentionali *Idololatriâ* prorsus immunes. Credunt etiam *Resurrectionem* Mortuorum, & ultimum Judicium, in quo Boni à Malis distinguentur, &c. ut posthac in peculiari Capite dicetur. Sed cum veri Dei cultu pessimam admiscuerunt *Superstitionem* Idololatriæ proximam: quam tamen illi non *ita* æstimant, putantes eam esse innocentem atque innocuam; cùm S. Scripturæ Lumine destituti, nullam habuerint Religionis Normam, præter imperfectam & obliquam illam, à *Zerdusht* traditam, post Ignem ejus fatuum palantes, eoque seducti. In hac tamen Ecclesiâ semper usurpati fuêre solennes *Ritus Nubendi*, (nam Fornicationem & Adulterium odio habent,) & solenniter, cum Officio Precum, *Sepeliendi*, seu ponendi in aperto Conditorio, atque *Baptizandi*, de quo posteá. Nam nihil sine Precibus, ne quidem ligna Igni imponunt; sed omnia faciunt in Nomine Dei. In primo Infantum *Baptismate* imponitur Nomen: & posteà anno VII^mo^ ut quidam ajunt, vel potiùs anno XV^to^ (quando censetur intrare in Religionem,) tum adhibitis precibus à Sacerdote datur *Confirmatio* solennis. Et eo anno XV^to^ (ut Religionis Tessera) eis traditur *Sudra*, seu *Tunica*, & *Cingulum*, quibus nunquam, ne per unum momentum (nisi in lectu sint) destitui debent.

Eorum Synagogæ minores, seu indotatæ Ecclesiæ parochiales, alunt in singulis unum Sacerdotem, eúmque ex *Decimis* ac spontaneis Contributionibus: nec Ignis perpetui expensas in eis faciunt, nisi per Lampades, exceptis magnis quibusdam diebus. At Pyréa, seu Templa Cathedralia, ubi Sedes Episcoporum, amplis Terris & Reditibus dotata erant, ad parandum Sacrificia, & Ligna coëmendum, & ad alendum Sacerdotium ampliſſimum; præter multa pretiosa Vasa, & alia Regum & Magnatum Donaria, in Templorum *Gazaphylaciis* reservata & ad Pompam recondita: aliàs non fuisset Operæpretium *Antiocho* depeculari Templum *Persepolitanum*, ut legitur 2 *Macc.* IX. 2; *Quòd Templum Persepolitanum spoliare & urbem tenere tentans Antiochus, ab incolis Persis ex urbe expulsus & fugatus fuit. Inde ergò ad Ecbatana concessit, versus Hierosolymam tendens.* Sed postquam veterum Persarum Gens, propter *Mohammedanorum* oppressionem, penuriâ & paupertate laboraret, præter *Decimas*, excogitârunt alium Sacerdota-

lem Reditum augendi modum, quem quondam Amicus noſter *Safrâz Avedik*, Armenus Iſpahanenſis, melioris Notæ Mercator mihi retulit; ſc. *Quòd XXIV Aprilis quotannis eſt quoddam* جشن گوران *Feſtum Ghavrorum, in cujus craſtino, è domibus ſuis foràs ejiciunt omnem Ignem; cui poſteà redintegrando, de novo accendunt Lucernam apud domum Sacerdotis ſui, eo nomine ei ſolventes C Denariolos, qui faciunt V Abbaſæos, ſeu VI Solidos Anglicanos cum tribus Denariis Anglicis*, vel pro Ditioribus, domum mittunt Ignis Sacri Portiunculam, pro quâ benè & carè ſolvitur Sacerdotibus. Dicto itaque die, non licebat ullum Lumen aut Ignem accendere niſi in Templis: de quâ re extat locus *Talmudicus* in *Gittin* 17. 1, אתא ההוא החורא ושקלה לשרגא מקדמוהי *Veniens ille Chavra, auferebat Lucernam à coram ipſo.* Ibi in Gloſſâ, *Chavra* exponitur פרסאי *Perſa.* Hunc locum ſequente modo exponit Gloſſator *Talmudicus*, שקלה לשרגא שיש לפרסיים יום איד שאין מדליקין אור באותו יום אלא בבית עבודה זרה שלהן *Abſtulit lucernam; quia ſc. eſt Perſis Dies Feſtus in quo non accendunt aliquod Lumen niſi in Domo Cultûs-alieni eorum.* Alius exponit, שגזרו שלא להדליק נר שום אדם אלא לתועבותיהם ביום איד והיו ישראל מדליקין בסתר *Ordinârunt enim ut nemo accenderet Lucernam (niſi Abominationibus ſuis) die Feſti ſui. Iſraelitæ itaque clam accendebant*, ſc. *clam*, ob metum ne Perſas offenderent. Citata enim loca ſpectant antiqua illa tempora quibus *Iſraelitæ* erant in Captivitate inter *Medos*, qui vocantur Perſæ: & idem Ritus uſque ad hodiernum diem continuatus eſt in Lucrum & Beneficium Sacerdotum, qui etiam *conſecratas Virgas* populo vendunt.

Et ut apud *Judæos*, aliquis Sacerdotum numerus die nocteque miniſtrabat, ſic apud *Perſas*, quaterni Sacerdotes ſimul (cùm multò plures ad ſingula Pyréa pertinerent,) ſingulis Nychthemeris, Sacri Ignis, qui ſuper Aram in medio Templi, curam gerebant, & hodie gerunt, Ligna decorticata & munda ſuppeditando, ne extingueretur.

Perſæ veteres nulla habebant *Jejunia*, quippe quæ fuerint planè *vetita*, ut & hodiè. Sed Feſtivitates, ſeu Dies Feſti erant plurimi, & ii etiamnum hodiè continuati, qui (omnibus Feſtum concelebrantibus,) in Lætitiâ deſinunt: matutino autem tempore, Eccleſia religioſiſſimè aditur, ubi *Zend-chuân*, qui *Miniſter*, ſeu *Paſtor*, Preces recitat & Sacra celebrat. Talis ſc. Synagogæ *Lector* Ordinarius dicitur quoque *Nuſk-chuân*; de quo ſupra. Et quiſque ſecum affert ſua Victualia, quæ ad commune bonum inter omnes eduntur: & de eis participant pauperiores qui nihil attulerant; nam Charitate & Eleemo-

ſynis

ſynis excellunt erga ſuos, nullos habentes *Mendicos*. Sed præter dies ſtatos & ſolennes, devoti Homines quotidiè adeunt Pyréa, Deum precandi ergô, coram Igne Sacro: & ibi de Conſcientiæ Scrupulis conſulunt propè Pyréum habitantem aliquem Sacerdotem. At Laici, qui à Pyréo procul abſunt, orant Deum, ſtantes coram Igni culinari in domo ſuâ. Prætereà in propriis ædibus plerique habent perpetuò ardentes Lampades ab Igne ſacro accenſas.

Cúmque Deus ſit omnium Rerum Principium, ſingulorum Menſium Principium (nempe primum ejus Diem) ipſius cultui dedicant, & ab eo denominant, præter alios etiam Dies eidem uſui dicatos, de quibus alibi diximus. Nam præter diem primum, inſuper quater, in quovis menſe, tot Diebus nominatim notis (quatuor *Sabbatorum* loco) omnes tenentur congregari in Eccleſiam, ubi poſt peractam Proſtrationem (ut fiebat in Templo *Hieroſolymitano*,) ſtantes orant; & aliquando genuflexi, ut *Salomon* faciebat ſuper *Conchâ æneâ*. Hiſce dictis Diebus fiunt Sacrificia majora, & celebrant Preces ſolenniores, legendo Libri *Zendaveſtâ* aliquam *Nuſk*, ſeu *Partem*, quæ continet *Zerduſhti* Præcepta, quibus in Religione Zelus & Firmitas, & in Moribus Probitas & Puritas, populo recommendantur & inculcantur. Habent enim ſuo modo Liturgiam publicam, quam certo quodam Tono, ſeu *Plano Cantu*, modulantur & cantillant, ſc. certam atque præſcriptam Precum & aliorum Rituum formam, quam in Eccleſiis ſuis retinent. Et quidem eam cantare didicerunt à *vetuſtiſſimis Judæis*, quorum modulatio in Eccleſia tunc à manu in manum tradita: poſteà verò per *Punctatorum Accentus* fixa & confirmata eſt in Eccleſiâ *Judæorum*, qui etiam extra Eccleſiam, ne quidem Caput Biblicum ſine iſtâ Modulatione unquam legunt: ita ut, non tam *legere*, quàm *canere* ſemper videantur. Et quia *Perſæ* ſua Sacra, dicto modo, modulantur, *Græci* & *Latini*, quorum Vates, extra Verſum, id non faciebant, eos falſò repræſentârunt, quaſi in Sacris ſuis Verſus quoſdam canentes; cùm è contrario, *Zoroaſtres* omnia ſua conſcripſit *Proſâ*. Cùm itaque *Magi* dicantur aliquid *patrio Carmine ceciniſſe*, id intelligendum eſt de patriâ Modulatione proſaïcâ: nam reverà, *Carmen* non eſt neceſſariò Sermo ligatus, cùm ſit nil niſi abbreviatum *Canimen*, quod uſu tantùm (non autem origine) Verſui reſtrictum.

Puritatis ſunt valdè ſtudioſi: ideóque non bibunt in eodem poculo cum peregrino; imò nec cum ſuis, ne fortè participent de Peccatis ejus cum quo bibunt, uti jubetur in *Zerduſhti* Præceptis, quæ in calce occurrunt; ubi docetur quid in hoc caſu faciendum eſt.

Pueri

Pueri & Puellæ, poſt XV annorum Ætatem, (ut ſuprà) Cingulum, Religionis *Teſſeram*, induere incipiunt, & divina Præcepta eis inſtillantur: & Adultiores, qui bonis Moribus & Literis imbuti, *Zerdúſhti* Libros legere & intelligere docentur à Sacerdotibus, hanc operam ſuſcipientibus.

Cap. XXIX.

De Igne, ejuſque Nominibus. De Pyréis, ſeu Templis Ignis, & quomodo ſe ibi gerunt Magi. De Improperiis, ſeu Nominibus vituperii quibus Mohammedani iſtum populum appellant &, per Invidiam, notant: & de Nominibus quibus iſte Populus inter ſe ſuos compellare ſolent.

APUD Perſas, Ignis multis nominibus gaudens, aliquando olim vocatus fuit وا *Vâ:* at ſæpiùs آذر *Adur*, ſeu آذرا *Azur*. Aliud ejuſdem receptiſſimum Vocabulum (magis *Medicum* quàm *Perſicum)* fuit آدش *Adìſh*, quod, proceſſu temporis, mutatum eſt in آتش *Atèſh*, quod apud Poëtas, aliquando Aphæreſin paſſum, legitur تش *Téſh*. Alia Ignis nomina reperio هیر *Hyr*, & ورزم *Varezem*, & بلگ *Bilègh*, quorum hoc ultimum magis peculiariter *Flammam* notare videtur. Ignem verò Sacrum denotare volentes, eum vocant آتش بهرام *Atèſh Behrâm*, ſeu conſtructè, *Atéſhi Behrâm*, i. e. *Ignis Martis*, qui apud *Græcos* nuncupatur Πῦρ Αρειον, utpote de Rubedine illius Planetæ participans, cum eo concolor, ad eundem relatus, & ab eo primùm derivatus. In Libro *Sad-der* cap. 39 in calce, legitur آتش آذران *Atèſh Adurân*, eodem ſenſu; quaſi ab *Adur*, ex nominibus *Martis*, etiam fuerit آذران *Adurân*. Sed pro *Atéſhi Behrâm*, apud quoſdam malè ſonantes, aliquando minùs benè legitur آتش ورهرام *Atéſhi Varharâm*, eodem ſignificatu. Et cùm *Behrâm*, ſeu *Bahrâm* (à *Græcis* enuntiatum Ουαράνης) aliàs ſit nomen cujuſdam Regis, id apud *Arabes* ferè ſemper legitur prædicto ſono *Warharâm*, uti & apud *Syros* ܘܪܗܪܢ *Warharâm*; unde apud *Socratem* & alios *Græcos* fit nomen Βαραράνης *Vararánes*.

Dictus

TAB. VIII.

Templum Ignis, exe=
unte per Acroteria (vul=
gò las Cupolas) fumo.

Ignis in mediano Sa-
cello seu Septo spati
oso immunis servatur
Solaribus radiis, quo
in eum per feneſtellas
splenduisse nefa-



Admodum Reverendo in Christo Patri IOHANNI Div. perm. Episcop
Cicestrienſi hanc Tabulam Gratitudinis ergô lubens meritóq.
D.D.D. Autor T. H.

MBurg. delin. et scu

Dictus Ignis Sacer ſervatur in *Pyréo*, ſeu Templo ad hoc extructo, quod eſt Magorum Eccleſia. Nam antecedentibus temporibus, antequam Religioſus ſervaretur Ignis, *nulla* erant *Templa veterum Perſarum*, quippe qui omnia ſua Sacra ſub dio peragebant: ideóque in ſuâ Religione & linguâ non habebant Templi nomen. *Medi* quidem Idololatrarum Templis applicabant هيكل *Heical* (quod بتخانه Εἰδωλεῖον,) quodvis magnum *Palatium* notans, à *Judæorum* היכל *Hecal* mutuatum nomen. Et poſteà, *Mohammedanorum* temporibus, *Medi* Eccleſiis accommodabant nomen *Angjuman*, quod quemvis *Conventum* notat, ut mox dicetur. Nulla itaque apud *veteres Perſas* erant Templa, donec perveniretur ad *Pyréa*, ſeu Ignis Domicilia. Ejuſmodi *Pyreum* pluribus gaudet nominibus, qualia ſunt آتشخانه *Atéſh-chânà*, i. e. *Domus Ignis*, & آتشكده *Atèſh-cadà*, i. e. *Caſa Ignis*, ſeu *Domicilium Ignis*. Aliàs aliquando vocatur پرستشگاه *Preſtiſh-ghâh*, i. e. *Adorationis Locus*; & aliquando يزشنگاه *Yeziſh-ghâh*, *Interceſſionis Locus*. Quin & totum *Pyréum* aliquando intelligitur nomine آتشگاه *Atèſh-ghâh*, i. e. *Ignis Locus*; quamvis plerumque magis propriè hoc Nomine intelligatur *Ara*, ſeu *Focus* in ejuſdem medio poſitus, aliàs aliquando ſimpliciter dictus بنگه *Bùn-ghâh*, i. e. *Fundaminis Locus*; at magis explicitè, بنگه آتش *Bunghâh Atèſh*, *Fundamen Ignis*. Templum aliquando vocari poteſt & ſolet انجمن *ángjuman*, ſeu انجمن گاه *ángjuman-ghâh*, i. e. *Congregationis Locus*; eâdem ratione, quâ nobis dicitur *Synagoga* & *Eccleſia*, à convocando & congregando; & ſic *Turcicè* dici ſolet دركاه يري *Dirnègh-yeri*, i. e. *Conventionis Locus*. Sed hæc ſunt nimis generalia nomina, cujuſvis Religionis Eccleſiis competentia: ideóque in *Evangeliorum* Verſione *Perſicâ* à Jeſuitis factâ, *Synagoga* vocatur *ángjuman-ghâh*: nam *ángjuman* eſt quivis Cœtus, ſeu Conventus, ſive Congregatio hominum, tam piorum & pacificorum quàm militum & bellatorum; unde in Perſarum Libris انجمن كردن سپاه eſt *colligere*, ſeu *congregare Milites*, eóſque conſcribere. Hinc (nam ex quo Perſæ olim occupârunt *Syriam*, multa corrupta Perſica relicta ſunt in linguâ *Syriacâ*) eſt *Syrorum Hánzuman* eodem ſignificatu: ſic *Bar Bahlûl* هنزمن جماعة *Hánzuman eſt Congregatio, Cœtus*. *Angjuman* eſt itaque *Synagoga* quævis, tam Perſarum, quam *Mohammedanorum*, aut *Judæorum*, aut *Chriſtianorum*: ſc. *Eccleſia Parochialis*. At Veterum Perſarum Πυρεῖον peculiariter vocatur

catur *Atèſh-châna:* eſtque Cathedralis, cui Reditus ad alendum perpetuum Ignem, cum Sacrificiis & copioſo Sacerdotum Famulitio, ſimul cum Epiſcopatu.

Quoad externam Pyreorum Figuram, *Thevenotus* in Itinerario dicit, *Antiqua Ignis Templa ſupernè aperta:* ſc. relictis in *Cupola* foraminibus, ut exeat Fumus, non autem ita ut pluvia extinguat Ignem inferiùs in medio Foco ardentem. Et *Bundâri* tradens quòd *Zerduſht* extruxit Domicilia Ignis, refert; جعلها قبابا رفيعة *fecit ea cum Cupolis excelſis.* In urbe *Suràt*, (quamvis ibi ſint aliqui Veteres Perſæ,) nullum eſt *Pyréum:* ibi itaque, in propriis laribus, coram Igne culinari, ſuas recitant preces; quas tamen omnes non ſatis intelligunt, cùm ſcriptæ ſint veteri linguâ *obſoletâ.* At decem inde milliaribus, in urbe *Núſſari* eſt publicum *Pyréum*, ubi omnia regulariter fiunt. Qualia ſint in aliis locis *Pyréa*, alibi diximus. Præcipuum autem Metropoliticum Pyréum (maximè reverenter habitum propter Ignem ibi ſacerrimum,) eſt locus propè *Kirmân* Perſidis, de quo ſuo loco dicetur. *Ibi* (inquit *Thevenotus* oculatus Teſtis,) *fœminæ Guebræ ſunt formoſæ.* Eorum ſtudioſi in *Indiâ* (ut *Ph. Gj.*) operam dant ſtudiis in loco dicto شـــامـــاز *Shâmâz*, ubi docentur Magorum Liberi. Antiquiſſimis temporibus, Metropolitanæ Eccleſiæ erant *Naubahâr*, atque *Azur-Guſhtaſp* in *Balch*, ubi Reges Theſauros ſuos condiderunt. Magorum *Pyréa*, ſeu Templa, quantùm dotata fuerint, partim docet *Ammianus Marcellinus*; *Lautiſſimæ eis aſſignatæ ſunt Poſſeſſiones in Mediâ*, & alibi.

In dictis Pyreis alunt perpetuum Ignem lignis mundis & decorticatis. Sed nec hunc, nec quemvis Ignem, confodiunt acuto quovis Telo aut Rutabulo: fortaſſis huc ſpectet id quod *Pythagoras* (qui cum Magis converſatus eſt) monet; *Ignem gladio non fodiendum*; quod tamen in ejus Vitâ *Porphyrius* explicat de homine iracundo non provocando. Sed non licet apud Perſas Ignem cultro aut gladio explorare, ne vim ei inferre videantur: uti nec apud *Scythas Mogolo-Tataros*, qui etiam nolunt tale Inſtrumentum admovere prope Ignem, nec aliquid cultro eximere è Caldario prope Ignem ſtante, ne hoc modo Caput Ignis præſcindere velle videantur. In quovis Pyréo Pavimentum eſt mundum, ad nitorem uſque fricatum, propter Proſtrationem, & alios Ritus ab omnibus ingredientibus faciendos.

In ſuis Pyréis Liturgiam ſuam recitat cantatque, & Libri *Zendaveſtâ* aliquot Sectiones legit is, cujus vices redeunt, ideò dictus *Nuſkchuân*, i. e. *Partium Lector*, *Cantor*ve. Hoc eſt quod *Græci* (de rebus

bus Perſicis ferè ſemper ineptè loquentes) vocant *Hymnos canere*, & quando aliquid de Deo loquendum, ſuo more, in plurali numero dicunt Θεάς. Quoad Hymnos itaque matutinos (ut ſuprà) & Magorum Miniſterium quotidianum & Sacrificium juge, ea omnia inſtituit *Cyrus*, pietate ductus: ſic *Xenophon* p. 204, Τότῳ τῷ χρόνῳ κατηςάθεσαν οἱ Μάγοι ὑμνεῖν τε ἀεὶ ἅμα τῇ ἡμέρᾳ τὰς θεὰς, καὶ θύειν ἀν καθ' ἑκάςην ἡμέραν οἷς οἱ Μάγοι ἔπεμεν, *Tunc primò conſtituti ſunt Magi, qui ſemper cum primâ Luce Deos Hymnis celebrarent, & quotidiè ſacrificarent Diis illis quibus Magi ſacrificandum dicerent.* Et quod ab eo inſtitutum (ait *Xenophon*) ab aliis poſteà continuatum, ut Deo ſervirent & ſimul *Cyro* placerent, eúmque in re tam laudabili imitarentur. Qualia ſint Pyréa, & quomodo ſe ibidem gerant, refert *Pauſanias*, quo modo Ignem accendunt per modum Miraculi narrans; *ſe in Lydiâ vidiſſe* Templa quæ vocantur *Perſica* in urbibus *Hierocæſareâ* & *Hypæpis*. In utriuſque Urbis Templo eſt οἴκημα τι *Sacellum quoddam, in quo ſuper Arâ eſt cinis diverſi coloris ab alio cinere. In dictum Sacellum ingrediens homo Magus, qui cùm Ligna arida ſuper Aram poſuerat, primò Tiaram capiti impoſuit; ſecundò autem, invocato aliquo deorum, ex Libro* ἐπᾴδει *accinebat Barbara quædam Græcis non intellecta. Mox, abſque aliquo adducto Igne, ligna accendebantur & viſibilis flamma ex eis elucebat.* In quibus notamus, quòd Magorum Sacerdos Sacra peracturus, *mitratus* id faciebat, & Ligna Igni impoſiturus, invocato priùs nomine Dei, recitabat aliquas precatiunculas *antiquâ linguâ Perſicâ*, à *Græcis* non intellectâ. At ceſſare debuerat *Pauſaniæ* Admiratio de accenſione Ignis, ſi animadvertiſſet Ignem in illâ Arâ ſemper fuiſſe inextinctum & in cineribus latentem: & cùm Sacerdos ligna prudenter diſpoſuerat, relictâ inferiùs Cavitate, ſeu canali pro Vento, ut ſubintrare poſſet flatus, tum neceſſariò omnia in ſubitaneam flammam erupiſſe. In omnibus Sacris, Magi tam Regibus quam populo præibant, & totam Ἱερουργίαν oſtendebant. Nam, dicente Ammiano Marcellino, *Erat Piaculum Aras adire, vel Hoſtiam contrectare, antequam Magus, conceptis Precationibus, Litamenta diffunderet præcurſoria.* Quomodo autem ſe in Pyréis gerunt, partim à nobis dictum eſt, & partim ex *Phirdauſi* ſuprà citato, & paſſim dicetur in ſequentibus; inter quæ ſit ſequens hoc ex *Erdavirâph*, qui aditurus Pyréum *Aduri-Churdâd*, lavavit & ornavit ſe, albis etiam miniſterii veſtibus indutus (cum eſſet Sacerdos,) & odoribus conſperſus, coram Igne adoravit Deum, humi proſtratus, facie in terram affricatâ:

سر وتن چون بشست ارداي ويراف — *Cùm caput & corpus lavâſſet Erdaivirâph,*

تن وجان پاک بودش بر دل صاف — *Corpore & animo fuit purus cum corde ſincero.*

سر پا جامه پوشيدش چو کافور — *A capite ad pedem indutus veſte ut Camphorâ,*

ازو مي تافت گفتي خره و نور — *Dixiſſes ex eâ ſplenduiſſe lumen & lucem.*

بجامه بر پراگند عطر ومجمر — *Veſtes conſperſit Aromaticis & Suffitu,*

بايستاد آنگهي در پيش آذر — *Ibique ſtitit ſe coram Igne.*

به پيش آذري خرداد نالين — *Coram Aduri-Churdâd ipſe ingemuit.*

پشت کرد و رخان بر خاک مالين — *Pœnitentiam egit & genas terræ affricavit.*

اوستا خواند وزاري کرد بسيار — *Τὸν Aveſtâ recitavit cum Gemitu multo,*

همي نالين اندر پيش داذار — *Ingemuit in conſpectu Juſtiſſimi* Dei.

Dum devotè juſto cultu verum Deum colant iſti populi, videns æquus Lector, facilè percipiet quàm iniquè à *Mohammedanis* taxentur ut *Ignicolæ* & *Ghebri*, &c. varios falſos Titulos & Improperia eis innocentibus inurendo. Sciendum eſt, quod *Mògh*, ſeu *Magùs*, & *Magjûs*, ſeu *Maguſæus*, fuit antiquiſſimum horum ſatis honeſtum Nomen ante *Mohammedanorum* tempora, tale, inquam, quo ſe libenter vocari patiuntur. Nam apud hujus populi Aborigines, *Mògh* fuit *Sacerdotum* Nomen, quod poſteà ab aliis aliquando ad totum populum, etiam *Laïcos*, tranſlatum. Hoc nomen, quatenùs ſcimus, obtinuerit ab initio Gentis, cùm omnes eſſent Orthodoxi, antequam Sol, aut Ignis, in eorum Admirationem venirent. Poſteà ii, qui primò incipiebant ab Orthodoxiâ ad *Sabaïſmum* deſciſcere, ſuâ linguâ ab Orthodoxis vocari ſolebant نغوشا *Nogûſhâ*, ſeu نغوشاک *Nogûſhâk*, ſive (ut & in *Ph. Gj.*) * نغاک *Nogâk*, omnia per *g* durum. Et ut vera hujus Nominis vis percipiatur, videbimus quid eorum *Lexicographi* de eo notant. Id in *Sahâh Agjemi* ſic exponitur, نغوشا گبران مذهبندن بر مذهب در *Nogûſhâ*, ſeu *Noguſhæus, ex Ghebrorum Sectis quædam Secta eſt.* In eundem ſenſum *Nim. Laud.* & *Nim. Sion.* نغوشا و نغوشاک *Nogûſhâ*, ſeu *Nogû-*

* Exemplar *Fraſerianum* legit نغوک *Nogûk.*

ſhâk,

ſhâk, eſt Secta Ghebrorum, & Mos eorum: (ſcil. Inſtitutum religioſum & Praxis, ſeu Secta eorum:) *item, alicujus Idoli nomen eſt.* Et *Ruſtem AlMaúlavi* & *Halîmi Perſicus* ajunt, دغوشا و دغوشاکی بر مذهب در کافرلر مذهبندندر *Noguſhâ, ſeu Noguſhâk, eſt quædam Secta ex Sectis Infidelium.* Et *Ruſtemi Epitomator* dicit; دغوشاکی کافرلر عادتی *Noguſhâk eſt Infidelium Conſuetudo,* ſeu *Mos*; ſc. Religioſi Ritus eorum. Et ibidem mox; دغوشا بوت آدی در *Noguſhâ eſt Idoli etiam Nomen.* Omnium fuſiſſimè exponit Liber *Pharhàngh Gjihânghîri,* ubi notatur, *quòd Nogûſhâ* [ſeu *Noguſhæus*] *in pleriſque eorum Lexicis exponatur Ghebr, ſeu Infidelis, ſpeciatim Ignicola: ſed quod in aliis eorum Lexicis exponitur* صابی *Sabi,* ſeu *Sabius, qui ab unâ Religione ad aliam migrat,* ſc. à verâ ad falſam. *Sabii* itaque, Idola manufacta ſeu Sculptilia non colentes, (quales erant Perſæ,) veteri Magorum linguâ dicebantur *Naguſhæi:* alii autem *Sabii,* Sculptilia colentes, (quales erant reliqui homines,) eâdem linguâ dicebantur بخار *Bochâr,* quod exponitur بت پرستان *Bùt-preſtân:* atque etiam exponitur مجمع علم *Locus Collectionis Scientiæ*; unde nominatur Urbs *Avicennæ* بخارا *Bochâra,* propter Doctorum Virorum ibi Confluxum. Sic *Nim. Laud.* & *Sion.* In *Ph. Sur.* memoratur Magorum Ignicolarum Secta dicta اذوشا *Anûſhâ,* quod puto eſſe nomen detortum à *Nogûſhâ.* Aliàs neſcio quid ſit.

Aliud, apud *Mohammedanos,* Veterum Perſarum Epitheton eſt آتش پرست *Atèſh-perèſt, Ignicola*; quaſi Cultum divinum tribuerent Igni, quod non faciunt; ut ſuprà diximus abundé. Propter eandem Rationem, à dictis *Mohammedanis* ii etiam vocantur آذرکیش *Azur-kîſh,* i. e. *Igneæ Religionis* homines.

Alterum, à *Mohammedanis* (& ante eos ab aliis) huic populo impingitur Epithetum *Ghebr,* ſeu, ut *Galli* ſonant, *Guebr,* i. e. in genere *Infideles,* in ſpecie *Ignicolæ.* Horum *Guebrorum* plurimi ſunt prope urbem اسپاهان *Iſpâhân* Perſidis, ubi ii ſoli integrum Suburbium occupant, ibi habitantes ſeorſim à *Perſis Mohammedanis,* à quibus illud Suburbium vocatur گبر آباد *Guebr-Abâd,* i. e. *Guebrorum Habitatio.* Nam hujus Religionis homines *omnes in genere* à Perſis

Mohammedanis vocitantur گبر *Ghebr*, *Guebr*, *Ghabr*, & گور *Ghavr*, vel, ut *Shâhidi* effert, گور *Ghûr*, Turcis *Ghiaur*, Herberto noſtrati *Gower*. Sed proh dolor! per Literas Junii MDCXCVII ab *Iſpahân* exaratas narratur, quòd ibi novus Perſarum Rex *Hoſein* iſtum populum ſuam veterem Religionem deſerere, & *Iſlamiſmum* amplecti, coëgit; & mutato illius Suburbii antiquo Nomine *Gavrabâd*, illud jam, de ſuo Nomine, vocavit حسين آباد *Hoſein-Abâd*. Qui circa urbem *Yezd*, ſeu *Yazd*, habitant prope Montem *Elborz*, (ſuper quo erat eorum Pyréum magnum,) apud *Texeiram*, ſecundùm *Portugallicum* Pronuntiationem, vocantur *Gavr Yazdi*, i. e. *Ghaur Yazdenſes*. Et quia iſtorum hominum Lingua à reliquis Perſis non intelligitur, Mercatores ibi apud *Iſpahân* negotiantes eam vocare ſolent زبان گبري *Linguam Guebricam*, volentes Linguam non intellectam: unde in *Galliâ Gaſconiâ*, *Guebrîch* vocitatur etiam quævis lingua parum intellecta in genere: & hinc quoque nobis *Anglis*, Sermo incongruus, ſeu inarticulatus & minùs intelligibilis, dicitur **Guibriſh**, ſeu **Gibberiſh**. Quid propriè hoc dicto nomine volunt *Perſæ Mohammedani*, docet *Ruſtem AlMaulavi*, گبر اوده طپن كافر و مطلقا كافر و چوقال كه صواش گننده گبرلر *Ghebr eſt Ignicola infidelis, vel abſolutè Infidelis quivis*. Et, ut omnia ejus ſignificata perſequatur, addit; *Item eſt Lorica quam die belli induunt* homines.

De iſtis hominibus Relationem adducere non pigebit ex autopte Gallo *A. Daulier*, in Libro *Les Beautez de la Perſe*. De Iſpahan & Gjulpha agens p. 51, refert; " *Si vous voulez paſſer à un quart de lieuë* " *de Julpha, en tirant vers le montagne, vous verrez un beau village* " *compoſé d' une longue ruë, il ſe nomme Guebrabâd, c'eſt la demeure des* " *Guebres, ou Gauvres, que l'on dit eſtre les anciens Perſes qui adoroient* " *le Feu. Le Roy leur a donné ce lieu pour habiter; les ayant dêtruits en* " *beaucoup d' autres Endroits. Ils ſont veſtus d' une étoffe de Lain fine* " *de couleur tannée. Les Habits des hommes ſont de meſme forme que ceux* " *des autres Perſiens. Mais celuy des Femmes eſt tout different; elles ſor-* " *tent, le viſage deſcouvert, & ſur la teſte une écharpe fagotée à la neg-* " *ligence, avec un autre voïle qui leur couvre les épaules, ne reſſemblant* " *pas mal à nos Boëmiennes. Leur Caleçon eſt comme un haut de chauſſe* " *de Suiſſe, qui leur deſcend ſur les talons. La pluſpart de leurs étofles ſe* " *fabriquent à Kermân, grande ville du coſté du Midy de la Perſe, où* " *il y a pluſieurs de cette Secte. Ils ſont ſi reſervez à parler de leur Re-*

" *ligion,*

" *ligion, qu'on a de la peine d'en ſçavoir rien d' aſſeuré. Ils n'enterrent*
" *pas leurs morts, mais les laiſſent à l'air dans un enclos. I'ay entré dans*
" *quelques-unes de leurs maiſons où je n'ay rien veu de particulier, ſi non*
" *que les Femmes, bien loin de fuir de nous, comme font les autres, eſtoient*
" *bien-aiſes de nous voir & de nous parler.*" *Origines* contra *Celſum* meminit Περσῶν ἢ Καβείρων: ubi Κάβειροι ſunt dicti *Gabri*, voce Perſicâ aliquantulùm detortâ: & *Nicephorus Bryennius*, inter alios Milites in Exercitu *Strangolipis*, memorat τὰς Καβείρας, qui Perſarum *Ghabri*. At à כביר *Cabîr*, in *Phœnicum Theologiâ*, longe aliud ſunt Κάβειροι, ſcil. *Cancri*, ſeu *Cancrelli* ab Antiquis culti. Sic *Heſychius*, Κάβειροι, Καρκῖνοι· πάνυ δὲ πυρῶνται οὗτοι ἐν Λήμνῳ ὡς Θεοί. λέγονται δὲ Ηφαίστου Παῖδες, Videntur eſſe minoris ſpeciei Cancrelli, qui crudi, Fumum, cocti, Ignem referunt; primò fuſci, & deinde rubentis coloris, *Vulcani* filios, prunas & ſcintillas æmulantes. In *Theſſalonicenſium* Nummo apud D. *Seguinum* p. 14, inſcriptum apparet nomen KABEIPOC, qui ibi ponitur ut *Homo ſtans cum Clave in dextrâ & Malleo in ſiniſtrâ*. Hocque videtur eſſe aliquid ad Vulcanum ſpectans, ut rectè ſentit D. *Seguinus*. Hoc itaque nomen (ut apud *Græcos* ſcribitur & ſonatur) tam ad *Perſas* quam ad *Vulcanios* ſpectat, cùm utrique circa Ignem verſentur. Græci itaque videntur à Perſis hoc nomen ad ſuum Vulcanum tranſtuliſſe: quod tamen ei vix propriè aptatum eſt, cùm Perſæ à Vulcaniis Operibus fabrilibus abhorreant, propter reverentiam Ignis.

Apud *Talmudicos* כבר *Chabêr*, ſeu *Chavêr*, ſive *Hhabêr*, (quod aliàs aliquando *Judæorum Doctum* ſeu *Sapientem* notat, ut & *Arabicum* حبر *Hhibr*, ſeu *Hhebr*,) in Gloſſâ *Talmudicâ* exponitur פרסאי *Parſâi*; hâc ſignificatione (ut videtur) ſumptâ à voce Perſicâ *Ghabr*, ſeu *Ghavr*. Eo nomine intelligi Perſarum Sacerdotes ſcribit *Baal Arûch*, ad illa verba ולא תחת חבר *Et non ſub Chavêr*; addens, שהיו פרסיים קורין לכומרין חברין *Quia Perſæ vocant Sacerdotes ſuos Chaverin*. Illius autem Veniâ, non reſtringitur ad Sacerdotem, ſed ejuſdem Religionis quemvis, ſive Sacerdotem, ſive Laicum notat; modo ſit hujus Religionis; namque non notat Perſam *Gente*, ſed Perſam *Religione:* nec ſtatum civilem ſpectat. Et ad locum in Pſalmo, *Dixit Stultus in corde ſuo*, R. *Jochanan* in *Talmude* dicit, *Iſti ſunt Chaverim* [ſeu Perſæ] *Impii, qui non agnoſcunt Gloriam Iſraelis*, i.e. Deum. Et ibidem חברים אתו לבבל *Chaverim* [ſeu Perſæ] *venerunt in Babyloniam*. Heic (ut vides) Judæi vituperant Perſas. Ut itaque hæc meliùs intelligantur, ſciendum eſt, quòd Perſæ, pro diverſitate temporum, fuerunt Amici, vel Inimici Iſraelitarum, ut hi pro illis, vel contra illos loquerentur.

Talmu-

Talmudicorum Temporibus poſterioribus, Judæis inimici erant Perſæ: unde in *Arûch* legitur, היו אותן חברים רעים מאד ומצירין לישראל *Fuerunt Chaverim* [ſeu Perſæ] *homines valdè mali, arctantes Iſraelem*, id eſt, *opprimentes Iſraelitas.* At longè aliter prioribus Temporibus *Ahaſueri* & *Eſteræ:* tunc enim *Judæi* amabant *Perſas*, & ab ipſis invicem amabantur, uſque ad Tempora *Cyri* & *Darii Hyſtapis*, cujus Tempore, *Judæi* abſolventes ſtructuram Templi, gratâ memoriâ recolebant Beneficia à Perſis accepta in urbe *Shuſhan*, & à *Cyro* aliiſque Regibus, in permittendo & procurando Extructionem Templi & Urbis: unde *Orientali* Portæ Templi *Hieroſolymitani Perſidem* reſpicienti, reduces Judæi affixerunt *Figuram* Urbis & Palatii *Shuſhan* Ære conflatam, uti memoriæ proditum eſt in Tractatu Talmudico *Middoth.* De hoc loquitur *Paulus Diaconus* p. 857, *Janua interioris Ædis, quæ reſpiciebat Orientem, cùm eſſet Ære ſolido induta, ac perinde immenſi ponderis, quæ vix à XX viris ſummo conatu impellentibus clauderetur*, &c.

Quin & præter ſuprà recitata, alio etiam Improperii, ſeu Vituperii Nomine, à Perſis *Mohammedanis* Perſæ veteres vocari ſolent *Philîv*; quod exponitur abſolutè *Ignicola*, quaſi proprium illius populi nomen. Sic *Ruſtem AlMáulavi*, فلیو اردہ طپن مجوسي *Philîv eſt Ignicola Magus.* Eſt ſcil. Contemptûs Nomen, ut patet ex primariâ ejuſdem ſignificatione, quam exhibet *Ruſtemi Epitomator*, rem ulteriùs explicans; فلیو عقلسز فلیوان اردہ طاپنلر کہ عقلسزلردر *Philîv eſt ſtupidus*, ſeu *bardus*, inquit iſte *Mohammedanus:* & in plurali, *Philivân ſunt Ignicolæ, qui ſtupidi*; prout eorum Inimici dicunt. Paulò mutatâ formâ, effertur فلیوہ *Philîva*, ſeu فلاوہ *Philâva*, in Libro *Ph. Gj.* سرکشتہ وحیران *inſanus & ſtupefactus aliquis.* Dictum nomen aliquando ſcribitur قلیو *Kalîv*, in plurali قلیوان *Kalivân*, & (ut dictum) exprimit *Ignicolæ.* Subinde etiam ſcribitur کالیو *Caliv*, ſeu کالیوہ *Caliva*, eodem ſignificatu primitivo. Et quidem primariò ſignificans *Stultum* & *Inſanum*, à *Mohammedanis* (ut vides) peculiariter applicatur *Veteribus Perſis*, quos emphaticè ſic vocant. Nomina itaque (ut recenſeamus) quibus iſtum populum vituperant, ſunt Quatuor: ſc. 1, *Nogûſhâ*, i. e. *Species Infidelium*, ſc. *Sabius:* 2, *Ghebr*, i. e. *Infidelis* in genere: 3, *Atèſh-perèſt*, i. e. *Ignicola:* 4, *Philîv*, ſeu *Calîv*, i. e. *Stupidus, Inſanus.* Hæc Epitheta ſolam Religionem ſpectant,

ſpectant, non autem Regionem, aut Statum civilem: & tanquam propria hujus populi Nomina, eis affiguntur à *Mohammedanis*, illos contemnentibus, & quâvis occaſione vituperantibus; qui etiam non dubitant eis tribuere Dei *Ignorantiam*, & *Pyrolatriam*, & *Saducæiſmum*, in ſuis Lexicis, inter alias Expoſitiones, aſſerentes quòd *Mogh*, ſeu *Magus*, ſit *Ateſhperèſt*, *Ignicola*, & *Zindîk*, *Saducæus*, *Negator Reſurrectionis*. Sed non debemus credere ejuſmodi falſis criminationibus & calumniis, quæ ſine juſtâ causâ eblaterantur ab apertis Inimicis, eorum Res & Religionem libenter ignorantibus. Proximè itaque videndum eſt quibus Appellationibus inter ſe invicem utantur, quæ in eorum Libris occurrunt.

Et quidem quiſque poteſt à ſuis honeſtè vocari *Mògh*, ſeu *Magus*, & *Magjûſi*, ſeu *Maguſæus*. Et omnis Vir Eccleſiaſticus debet ab aliis recenſeri ſecundùm Titulum Ordinis ſui, i. e. vocari *Sacerdos*, vel *Præſul*, vel *Archipræſul*. Et quidem Precum Lector quotidianus Sacerdos honeſtè vocari ſolet *Zend-Chuân*, ſeu *Nusk-Chuân*, de quibus ſuprà dictum eſt; atque یزش خوان *Yeziſh-Chuân*, *Interceſſor*, quo Titulo ſæpè decorantur in eorum Libris. Hujus Religionis Laïci inter ſe invicem appellari ſolent ſequentibus modis: ſc. مـــرد دیـــن *Mardi Dîn*, i. e. *Homo Religionis*: مرد پاک اعتقاد *Mard Pâk Ihtacâd*, i. e. *Vir Sanctæ & puræ Fidei*: طلبگار دین زراتشت *Talabghâr Dîn Zarâtuſht*, i. e. *Quæſitor Religionis Zoroaſtris*: اهل دین *Ahl Dîn*, i. e. *Religione præditus*, ſeu collectivè, *Populus Religionis*: aliàs دینور *Dînavar*, ſeu دیندار *Dîndâr*, *Fidelis*, *Religioſus*. Sæpiùs verò Laïcus vocatur بهدین *Bihdîn*, i. e. *Bonæ Religionis* Homo, ſc. *Religioſus*, aut *Fidelis*. Subinde دین پرستـ *Dîn-perèſt*, *Religionis Cultor*, qui benè proſequitur Religionem ſuam: aliquando دین پرور *Dîn-pérver*, *Religionem fovens*: aliàs خدا پرست *Chodâ-perèſt*, *Dei Cultor*, vel (quod idem eſt,) حق پرستـ *Hàk-perèſt*, & یزن پرست *Yezèd-perèſt*, i. e. *Deicola*: aliàs حق شناس *Hàk-Shinâs*, *Deum noſcens*, ſeu *agnoſcens*. Hæc omnia, cum aliis, in eorum Libris invenimus.

Cap. XXX.

Ordinum Sacerdotii Nomina & Distinctiones: & Sacerdotum Habitus.

APUD veteres Persas, Sapientes Laïci (sc. Magnates & prudentes Consiliarii Regum) vocabantur فرزان *Pherzân*, seu فرزانه *Pherzâna*, in Plurali فرزانگان *Pherzânaghân*. Et doctus inter Laïcos, præsertim Linguâ *Medicâ*, est کندا *Kendâ*, *Philosophus*, *Sapiens*, *Sciens*, i. q. *Arabibus* حکیم *Hakîm*, sc. eodem significatu. At Sapientes Spirituales (sc. Magnates in Ecclesiasticis) generali Titulo dicebantur فرهند *Pharhànd*, seu فرمند *Pharmànd*, sive فرهومند *Pharhúmand*, i. q. خردمند *Chradmànd*, & دانشمند *Dânishmànd*, *Sapientes*, *Scientes Viri*. Eodem sensu est رد *Ràd*, seu راد *Râd*. Et quivis Vir Spiritualis, seu inferioris Ordinis Sacerdos, generali Epitheto audiebat, & adhuc audit, مرد خدا *Mardi Chodâ*, *Vir Dei*, seu مرد خداوند *Mardi Chodâvand*, *Vir Domini*, vel دارو *Dâru*, i. e. *Vir-bonus*, vel بهمن *Bahman*, i. e. *Bonis Moribus* præditus, scil. *Sacerdos*. Ex his aliquis solet esse دبیر *Dibîr*, seu *Scriba*, nempe Præfectus τῆς دبیرستان *Dibîristân*, seu *Scholæ-Scriptoriæ*. Aliàs, generalis Sacerdotum Titulus, Ratione Officii, est *Nusk-chuân*, i. e. *Partium Lector*, & *Zend-chuân*, i. e. *Zendi-Lector*, sc. Lectores in Synagogâ, de quibus suprà dictum est. Infimus in Pyréo Officiarius in Libro *Erdavirâph-nâma* vocatur *Arabico* nomine فراش *Ferrâsh*, i. e. *Strator*, qui sternit *Tapetes* & *Tegetes* & *Flores*, &c. Tales fortè erant *Diaconorum* loco, ad juvandum Sacerdotes: hodiè videtur esse in quovis Pyréo tantùm unus, qui ferè talis, qualis apud nos est *Sacristan*, unde abbreviatum est *Saxtan*, seu *Sexton*. Istius est Pyréum mundare & ornare, illúdque à sordibus purgare, & Pavimentum ad nitorem fricare. Hujus custodiæ mandantur Pyréi Utensilia, seu Instrumenta, ut *Forcipes*, *Palæ* Ignis, seu *Batilli* ad excinerandum Aram: item *Scopæ* breviores ad Pyrei Solum, atque *Scopæ* longiores ad ejusdem Cœlum verrendum & ab Aranearum Telis & Fuligine purgandum. Nulla autem sunt *Tela* acuta, ut *Rutabula*, uti nec *Folles*, neque *Ventilabra*, utpote quæ aliquam vim inferunt Igni. [*Strabo* ait, Non inspirantes, sed ventilantes atque infundendo

dendo Oleum & Arvinam accendunt ignem.] Prætereà, omnis Aër concluſus & ſtagnans, liberâ motione privatus, habetur impurus & fœtens, ut quotidiè videmus. Et eâdem de causâ, *Rutabulorum*, aut *Follium* nulla mentio in *Templo Judaico*, cùm neutrobi liceret Ignem eo modo turbare, aut Inflatione ventilare, & multò minùs impurum Oris Halitum infundere & inſufflare. Sed ad talium Inſtrumentorum compenſationem, adhibebatur peculiaris Lignorum diſpoſitio & conſtructio, relicto Canali pro vento, quo, quaſi ſponte, inflabatur Ignis. Alia Inſtrumenta ſunt *Patinæ* & *Pateræ* atque *Crateres* pro Libationibus; atque *Thuribula* ſeu *Acerræ* pro Thymiamate, ſeu Incenſo. Dictus etiam Officiarius (ſeu aliquis ex Sacerdotibus) reponit & rurſus depromit *Libros* Sacros, & miniſteriandi *Habitum*, qui *Alba* & *Pileus bucculatus*, hodiè *Pannus quadratus*, &c. Sed quoad *Virgas myricinas* (de quibus ſupra,) quas, inter precandum, manibus tenent Sacerdotes, ſingulis orandi vicibus debent habere novas, quas non ſine multis Ceremoniis ex Sylvâ legunt.

Sed ut diſtinctos apud Perſas Eccleſiaſticorum Ordines attingamus; primus & antiquiſſimus Sacerdotii Perſici Ordo (tam tempore primitivæ *Orthodoxiæ*, quàm deinde tempore *Sabaiſmi*,) erat مغ *Mògh*, ſeu موغ *Mûgh*, i. e. *Magus*, ſcil. *Ordo Magorum*. Deinde his ordinariis illorum Temporum *Magis*, præficiebatur Ordo ſuperior, eorum ſcil. qui vocantur موبد *Mûbad*, quod abbreviatum pro موغ بد *Mûghbad*, i. e. *Magorum Præfectus*, ſeu *Præſul*. Horum erat in ſingulis Provinciis unus, qui Præſulis vice fungebatur, alios ad Sacerdotium legitimè vocando & ordinando: nam nemo ſponte aſſumebat Sacerdotium. In Libro *Sarráh AlLogat*, Autore *Gimâl AlKóraſhi*, legitur موبد حاكم مغان *Mûbad eſt Judex Magorum*, ſc. Judex Eccleſiaſticus, ſeu Præſul. Talis in *Ph. Gj.* exponitur, موبد حكيم وداڼشمند مغان *Mûbad eſt Sapiens & Doctus Magorum*. Et quia hic Ordo fuit Tempore *Sabaiſmi*, in *Nim. Sion.* exponitur, موبد حاكم آفتاب پرستان عالم كه آندن روايت ايدرلر *Mûbad eſt Judex Solicolarum: ſc. Doctus, à quo Allegationes faciunt*; ſcil. verba ejus, Autoritatis ergô, allegare ſolent. Et in eundem ſenſum in *Nim. Laud.* موبد حكيم وداڼا و آفتاب پرستن يعني كنشه طاپجي واول كشي كه آندن حكايتن ايدرلر يعني اول عالم كه قمو عالملر آندن روايت ايدرلر وبمعني وزير *Mûbad eſt*

Sapiens, Doctus, ſcil. Solicola, ſeu Solis Cultor: nempe is à quo Relationes faciunt: is eſt talis Doctor à quo Relationes faciunt Doctores omnes. Item, eâdem ſignificatione cum Vazîr. De hoc refert *Ruſtem Al Máulavi*, (ut omnes Autoritates recenſeam,) موبد عالم حکیم وآذکس که ازو حکایت کنند و حاکم آفتاب پرستان *Mûbad eſt Doctus, Sapiens talis à quo Relationes faciunt: Judex Solicolarum:* is cujus verba referunt, Allegationes ab eis faciendo. Et quidem idem *Ruſtem*, atque *Halîmi Perſicus*, mox in eundem ſenſum pleniùs legunt, موبد میدانی نقلنده گنشة طین کافرلرك دانشمندي جمیع مشکلرینی اگا صورلر وسوزلرینی آندن روایت ایدوب دایید ایدرلر واما فرس شاعرلرینوك شعرلرنده استعمال اولنادن اگلنور که هر ملتك اولو دانشمندلرنده اطلاق اولنور *Mûbad (ex Relatione Meidâni) eſt Solicolarum Doctus, à quo omnia Dubia ſua quærunt: & quicquid ſecundum ejus verbum allegatum eſt, ratum habent. Sed in Perſicorum* [Mohammedanorum] *Poetarum Carminibus, ex uſu innoteſcit, quòd pro cujuſvis Religionis Docto* [ſeu Doctore] *uſurpatur.* In eundem ſenſum etiam habet *Ecteri*, qui malè ſonandum docet *Maubid* pro *Mûbad:* ejus verba *Turcicè* ſunt, الموبد مجوسیلر دانشمندلرك اولوسي که هر مشکلي اگا صورهلر فارسي ده عربي ده مستعملدر اما فرس شاعرلرنك شعرلرندن اگلنور هر ملتك اولو دانشمندلرنده اطلاق اولنه *Al Mûbad eſt Maguſæorum Doctorum aliquis Magnus, quem de omnibus Dubiis conſulunt. Tam Perſicè quàm Arabicè uſurpatur: ſed ex Perſicorum Poetarum Carminibus innoteſcit, quòd cujuſvis Religionis magnis Doctoribus tribui ſolet.* Nam antiquiſſimi iſtius Ordinis, ante Zoroaſtrem inſtituti, antiquus Titulus manſit, & unà cum ejuſdem Ordinis, poſt Zoroaſtrem, recentiore Titulo, poſterioribus temporibus promiſcuè uſurpatus eſt. Iſti à Sacris erant Regibus, utpote dignitate Præſulum præditi: & Regibus benedicebant, ut meminit *Phirdauſi*; آفریدن خواندن موبدان بر قباد *Præſules benedixiſſe Cobâdo* Regi. Nam quivis Rex peculiares ſemper habuit tales Præſules ſibi aſtantes, quos conſulere poſſet: uti idem *Phirdauſi* affert Hiſtoriam alicujus بابك *Babek*, qui fuit Sacellanus Regis *Nuſhirravân.* Is quoque meminit آمدن دوشیروان پیش آتشکده با هیربد وموبد و دیابش کردن

Adventûs

Adventûs Nuſhirravâni ad Pyréum, unà cum Sacerdotibus & Præſulibus, ibique eos Laudationes divinas feciſſe. Nam ut Sacerdotes curabant Educationem Regum, ſic Reges, jam educati, viciſſim expetebant Directionem Sacerdotum, & eorundem Benedictiones multùm æſtimabant.

Huic dicto *Præſulum* ſeu *Superintendentium* Ordini præficiebatur alius ſuperior, ſeu ſupremus Ordo, ſcil. موبد موبدان *Mûbad Mubadân*, i. e. *Præſul Præſulum*, ſeu *Archipræſul.* Talis alio Titulo aliquando vocari ſolet ردان رد *Sapientiſſimus Sapientum*, ſc. Sapientum Eccleſiaſticorum ſummus, ſeu ſupremus. Is videtur talis qui *Sozomeno* II. 9, dictus eſt ὁ μέγας Αρχιμάγος. Iſte Sacerdotes & Præſules omnes ordinabat, & erat ſicut Turcarum *Mufti*, & Judæorum *Cohen gadôl*, ſeu Αρχιερεὺς, apud *Shahriſtanium Margji*, i. e. *adeundus aliquis*; in toto Regno unus, cui obediebant non tantùm Sacerdotes, ſed & Præſules omnes. Hujus Ordinis Eccleſiaſtici meminit *Tábari* in Vitâ Regis *Manûgjahr*, موبد موبدان —— واو مهتر موبدان بود ومهتر همه عالميان آن زمانه *Mûbad Mubadân, is fuit Summus Præſulum, & Summus omnium Doctorum ſui temporis.* Iſte quâvis occaſione concomitabatur Regem, tanquam ſupremus ejus Conſiliarius. Hoc modo, id quod ex *Erdavirâph-nâma* ſuprà traditum, hîc habes confirmatum.

Talis fuit *Magorum Hierarchia*, ſeu Sacerdotium, ante Tempora *Zoroaſtris*, qui in veterum Perſarum Eccleſiâ continuavit eoſdem Ordines ſub aliis Nominibus. Nam, ut ante eum, in *Sabaiſmo* inſtituti ſunt dicti Sacerdotum Ordines pro *Cultu Dei*, & *Ceremoniis Mithræ*, ſic, poſt eum, ſub aliis Nominibus mox dicendis inſtituti (vel potiùs continuati ſunt) tales Ordines pro *Cultu Dei*, & *Ceremoniis Mithræ*, & pro *Cuſtodiâ Ignis.*

Eccleſiaſticorum itaque Ordinum Sacerdotum in *Pyroduliâ* infimus, eſt هيربد *Hyrbad*, i. e. *Ignis Præfectus*, ſc. Ignis Sacerdos, qui in *Ph. Gj.* exponitur خادم آتشكده *Famulus Pyrei*, ſeu *Miniſter Pyrei.* Tales ſunt Sacerdotes ordinarii. De iſto Sacerdotum Ordine, *Halîmi Perſicus* refert; هيربد اول كه مجوسيلرك آتش خانه لرنده كيجه كوندز قوللق ايدر قمو مجوسيلر آنوك امرنه مطيع اولورلر آنوك اراسنده قطع خصومت و قاضي لق اول ايدر —— جمع هرابده *Hyrbad eſt is qui in Maguſæorum Pyréis noctu & interdiu miniſterium facit, &*

cujus Mandato omnes Maguſæi [ſc. Laïci] *obediunt. Is inter eos Controverſias decidit, & Judicium exercet. — In plurali Hirâbida*, formâ *Arabicâ*. Autor vult dicere, quòd, *Mohammedanorum* Phraſi, omnes Perſarum Sacerdotes habentur قاضي آتش پرستان *Kâzi âteſh-pereſtân*, i. e. *Judices Ignicolarum*, ſc. Judices Eccleſiaſtici, eodem modo, quo apud dictos *Mohammedanos* dicitur اسقف قاضي ترسايان *Uſcuph*, ſeu *Epiſcopus, eſt Judex Chriſtianorum*, ut legitur in *Mokáddemaadàb* & *Turgjumân*. Hujus Sacerdotii Nomen initium ſumpſit ab *Hyſtaſpe*, qui (novo Religionis zelo permotus) primus hunc Titulum adſcivit, & (teſtante *Emîr-chond*) dicto cognomine *Hyrbad* vocari voluit.

Alius Sacerdotum Ordo ſuperior, poſt Zoroaſtris Tempora, dictus fuit دستور *Deſtûr*, i. e. *Præſul*, ſeu *Superintendens*; quorum unus tantùm erat in ſingulis Provinciis, ſicut Epiſcopus, qui omnibus ibi Sacerdotibus præerat, alioſque Sacerdotes ordinarios ordinabat & gubernabat. Et *Deſtûr*, verbo tenùs, eſt *Canon* ſeu *Regula*, ſc. *Canonicus*, ſeu *Regularis*, ſc. qui regulariter vivit, & alios ſic facere procurat.

Et tandem in veterum Perſarum Libris, poſt Zoroaſtriana Tempora, adhuc invenio alium ſupremum Ordinem, qui دستور دستور *Deſtûri-Deſtûr*, *Præſul Præſulum*, ſeu *Archipræſul*, qui Chriſtianis *Epiſcopus Epiſcoporum*, ſeu *Archiepiſcopus*. Huic parebant ſingularum provinciarum *Præſules*, ſeu *Superintendentes*. Et *Judæorum* exemplo, Sacerdotes ſemper fuêre ex eâdem Tribu, uti conſtat ex Genealogiâ ſacerdotali, tam in capite, quàm in calce, Libri *Sad-der*, atque ex communi eorum Praxi, & ex antiquiſſimâ totius Gentis quadripertitâ Diſtinctione per Regem *Gjemſhîd* factâ: nam ne quidem in Civilibus miſcent diſtinctas Tribus, quas ſecundùm Artes ac Profeſſiones ſigillatim diſpeſcunt.

Hoc modo (ut vides) enarravimus nomina trinorum Sacerdotii Ordinum qui in antiquo *Sabaiſmo*, ante Zoroaſtrem, & Nomina totidem Ordinum in ſuccedente tempore, poſt Zoroaſtrem, in Reformatione: dicti itaque trini Ordines Sacerdotii ſunt planè iidem, quamvis aliis trinis Nominibus diverſis diſtinguantur. Exempli gratia; Primus Ordo anteà vocabatur *Môgh*, & poſteà *Hyrbad*. Secundus Ordo vocatur tam *Mûbad* quàm *Deſtûr*, quod teſtatur *Erdavirâph-nâma*, دستوران دين —— وايشان موبدند *Deſtûri Religionis, iidem ſunt Mubadi*. Tertius Ordo appellatur tam *Mûbadi Mubadân* quàm *Deſtûri Deſtûr*.

Deſtûr.[a] Dicti tres Ordines habentur *tria Magorum Genera*, quorum in ſequentibus meminit *Porphyrius*; *quorum Summi erant obligati majori Abſtinentiæ & Sanctitati quàm Secundi, & hi plus quàm Infimi: nec vinum bibunt.* Hujus ſedes *Archipræſulatûs* eſt in Metropolitanâ Perſarum Eccleſiâ Cathedrali propè *Kirmân*, V diebus diſtante ab *Iſpahân.* Archipræſulum erat Regibus aſſiſtere Conſilio ſuo, & ritè ordinare Ceremonias Religionis, & ad Præſulatum vocare eos qui erant Doctiores & omnium Rituum gnari: nam (ut diximus,) non licebat cuivis Sacerdotium aut Præſulatum ſponte arripere, donec à Superioribus examinatus & probatus fuerat, an eſſet habilis & idoneus, & in Zerduſhti Libris ſatis verſatus. De non aſſumendo Sacerdotio, Teſtimonium dat *Cicero*, in Libro *de Divinatione* referens; *Nemo potuit eſſe Rex, antequam calluerat Diſciplinam Magorum: nec magis ut quiſque eſſet Magus quàm ut eſſet Rex.* Iſtorum itaque erat non tantùm Reges in rectâ Religione inſtituere, ſed & eos inaugurare, ut in *Chriſtianiſmo* fieri ſolet: id apud *Plutarchum* de *Artaxerxe Mnemone* monetur; *Quòd poſt Darii exceſſum, ivit ad Paſargadas, ut Sacris Regiis inauguraretur à Sacerdotibus Perſicis. Delubrum eſſe Deæ Bellicæ, quam Minervam conjicias eſſe. Eò ingreſſum, qui inauguratur, Stolam ſuam oportet deponere, & induere eam quam Cyrus priſcus, priuſquam Regno potiretur, geſſit: & Ficorum maſſam eſſe, tunc Terebinthum vorare, & Calicem haurire Lactis acidi.* Terebinthinæ nuces (quas aliquando habuimus,) in Oriente ſunt edules. At, fauſti Ominis ergò, imparilis & victorioſi Regis Stolam induebant ſuccedentes Reges, ut eos ſimilibus etiam virtutibus unà cum veſte induendos eſſe ſperaretur. Id quod *Minervæ Armatæ* Templum vocatur, reverà erat *Veneris* Templum; de quo vide ea quæ ſupra ad *Herodotum* notavimus:[b] eum enim cultum in Perſarum Templis inſtituit *Mnemon:* & ut *Pallas*, alibi paſſim, ſic & *Venus*, aliquando apud *Spartanos* in *Lacedæmone*, *Armata* colebatur.

Superiore modo recenſitis *Sacerdotum* Nominibus & Ordinibus, procedendum eſt ad *Prophetam*, qualis habebatur *Zerduſht.* Propheta uſitatiore nomine appellari ſolet پیغمبر *Peigámbèr*, i. e. *Nuntii Lator.* Aliquando Propheta vocari ſolet وخشور *Vachſhûr*, & وچر *Vatchér*, & چرگر *Tchurghér.* Si quem habent inter Laïcos Magnatem, talis

a Vid. Append. No. XII.
b Vid. ſup. pag. 95, & Append. No. XIII.

vocatur

vocatur مرزبان *Merzobân*, vel موبذان مهتر *Princeps*, ſeu *Magnas Magorum*. De Laicis vide plura in initio hujus Capitis.

Proximè de Sacerdotum Habitu diſquirendum. Et imprimis moneo, quòd in Frontiſpicio Libri *D. Henr. Lord*, pro *Sacerdote Perſico*, perperam exhibetur planè *Nauta Belgicus*, iſque accuratè depictus Barbâ densâ & prolixâ. Et quidem paucis Librorum Sculpturis fidendum, cùm in omnibus ferè Libris cujuſcunque generis *Icones* ſint ſuppoſititiæ, *Bibliopolarum Aſtu* confictæ. Nos autem meliùs ſecundùm tam *Perſarum* quàm *Græcorum* & aliorum verbales deſcriptiones, Sacerdotum Formam & Habitum exhibere conabimur, ſequentibus Autoritatibus freti. Ab oculatis Teſtibus dicuntur geſtare grandem Barbam promiſſam, Myſtaces parvos, Genas raſas,[a] Naſum aduncum, Pileum Conicum, ex Pilis Camelinis coactum. Dicente *Plutarcho* & *Xenophonte*, *Cyri* Regis Naſus erat γρυπὸς *aduncus: ideóque Perſæ tales amabant & pro formoſiſſimis habebant*. Crines non tondent niſi pro Mortuis; uti faciebant pro mortuo *Alexandro*, ut notat *Curtius* lib. IV. 24. Regulariter, Comam ad plenam longitudinem promittebant: unde *Herodotus* lib. III, Perſas vocat Κομητέας *Comatos*: & apud *Athenæum*, Βαθυχαιτῆς *densè* ſeu *promiſsè Comati* vocantur. Et apud *Suetonium* in *Veſpatiano*, *Stella Crinita* dicitur alludere ad Parthorum Regem prolixè capillatum. Et quidem quòd olim criniti & comati erant, ſatis conſtat ex *Pſeudo-Smerdi*, cujus Aures propter Comam videri non potuêre, ideóque à *Pellice* palpando explorandæ, dùm is cum eâ congrederetur: vel, ut *Juſtinus* ait, Fœmina quædam, dum dormiret, caput ejus luſtrabat. Id ulteriùs conſtat ex ſupradicto Hæretico *Chuâph*, qui pro novo more juſſit tondere, ſeu abradere crines. Quòd *Medorum* & *Parthorum* Pilei fuerunt Conici, conſtat ex *Nummis Romanis*, ubi *Parthus* ſe *Auguſto* ſubmittens cernitur. *Magus preces celebraturus induebat Mitram*, &c. ut ſuprà ex *Pauſaniâ* notavimus. *Qualis* hæc erat *Mitra* docet *Strabo*, qui tradit, quòd *Magi* fuerunt Τιάρας περικείμθοι πιλωτὰς, καθηκὰς ἑκατέρωθεν μέχρι τῦ καλύπτειν τὰ χείλη καὶ τὰς παραγναθίδας.[b] Nempe videtur, quòd inter

a Id quod diximus de *Myſtacibus parvis & raſis Genis* ſpectat ad Juniores potius quam ad Seniores: ideoque in Icone piloſas Genas dare viſum eſt.

b Monet Auctor ſupplendam eſſe ex *Strabone* Vocem Πυργωτὰς; qui quidem Locus à quibuſdam intelligitur de Forma *Turris Quadratæ*; quo ſanè Senſu plerumque ſumitur Πυργὸς, ideoque, ab eis illuſtratur per Figuram *Coronæ Parthicæ*, quæ apud *Goltzium* & alios cernitur. At cùm ille *Strabonis* Locus non ſit de *Regum Corona*, ſed de *communi Magorum* & aliorum *Tiara*, ſeu *Pileo*, qui erat *Pyramidalis Formæ* (uti conſtat, tam ex *Nummis*, quam ex *Picturis* in Libro *Shâhnâma* Collegii *Mertonenſis*) inde conſtat, quòd Πυργωτὰς, in hoc Loco, de *Pyramidali* Tiaræ *Figura* intelligatur.

mini-

1. Vetustissimo ritu Sacerdos ministrans Ore bucculis velato.
2. Sacerdos ministrans cui Os panno linteo velatum est et Tiara reflexa.
3. Sec. Strabonem caput bucculis labia contegentibus.

Sacerdos cum Cingulo quadrinodi et Virgis ministrans: relicto Ore detecto, ne deformaretur figura.

Admodum Reverendo in Christo Patri RICHARDO Div. perm. Episcopo Petroburgensi hanc Tabulam Gratitudinis ergô lubens meritóq. D.D.D. Autor T.H.

delin. MBurg. scul. Vni. Ox

miniſtrandum Deo coram Igne, dictæ dependentes Pilei Partes, ſeu Bucculæ, labia tegentes, erant ad prohibendum impuriorem halitum, quod aliàs hodiè fit *Quadrato Panno*; cùm olim Magi non niſi *Mitrati* accederent Ignem, nec ad Orandum, nec ad eundem alendum Lignis. *Principum Tiaræ erant* παραπλήσιαι ταῖς τῶν Μάγων. Quales hi erant Pilei vide ſuprà in Figuris *Mithræ*. Pileus aliàs vocatur ڭلاه *Ghulâh*, i. e. *Mitra*, aliàs دستار *Deſtâr*, ſeu *Teſtâr*. Quærendum an hinc ſit Τιάρα, vel potiùs ab עטרה *Atára* nomine *Phœnicio*, uti Κίδαρις, ſeu Κίτταρις, eſt à *Phœnicio* כתר *Kéter*, cum ſuffixo *Kitri*. Tiáram capiti detrahebant ſalutando quemvis honoratiorem, ut pluribus teſtantur Autores; unde nomen *Deſtâr*, *Manu Tenens*, ſeu *Tenendum*. Tiaræ autem bellicæ impenetrabiles, quia tenuiora & molliora erant Perſarum Crania.

Zoroaſtris ipſius, adeóque Sacerdotum omnium, Veſtis erat صدره *Súdra* ſubrufa, (de quâ infrà,) eáque *laxis Manicis*, ut hodié. Nam ex Perſarum more, pertranſeunte Rege aut Magnate, quiſque debebat manus in propriis Manicis condere & in eas inſerere, & ita ſeipſum erectum ſiſtere: propter cujus Ceremoniæ Omiſſionem in *Darii* Tranſitu, is aliquem occidi juſſit, ut *Briſſonius* notat. Pedibus gerunt *Sandalos* vel Calceos; nam nudis pedibus terram contingere nefas. Antiquiore tempore, Capitis Tegmen (ut diximus) aliter ſe habuit: nam in ſolenni Proceſſione *Perſepolitanâ* (quam delineatam amicè mihi monſtravit D. *Chardin*,) tam Regis quàm Nobilium & Sacerdotum Pilei omnes cernuntur *Turbinati*, non autem *Turriti*, ut *Strabonis* Tempore, nec apparent Bucculæ, ſeu Anſæ, quæ tamen ſunt ſupponendæ. Nempe ibi omnium Pilei eâdem ſunt Figurâ quâ eſt Pileus Regis. *Ogilbius* narrat; *Perſepoli viſuntur plures Figuræ vivis majores, tam ſtantes quam ſedentes, promiſſâ Comâ, latis Barbis, Tunicis talaribus laxè manicatis, Cingulis cinctæ, & pileis rotundis miris.* In dictâ Proceſſione, ſeu Magno Sacrificio publico (ubi *binatim* ducuntur Beſtiæ &c. mactandæ, & Homines *binatim* portantes Patinas cum Libationibus,) ſuperior Veſtis erat Toga laxè manicata, quali utuntur Senatores *Veneti*, ut in præmiſſâ Regis Figurâ cernitur. Id autem fuit ante Zerduſhti Tempora. Nam Habitus quem ille ſibi vendicat, & quem à Deo ſe accepiſſe dicit cum Cingulo, erat صدره *Súdra*, [a **Caſſock**,] quæ dicente D. *Oleario*, dum iſtorum Habitum deſcribit, *ad mediam Suram pertingebat, ſuperiùs apud Collum aperta, quæ ibi itaque colligata Tæniâ, quam* **Ribbon** *Anglicè vocamus.* Iſta dicta *Sudra* in Libro *Nim.* exponitur, صدره لپاجه تڭله يعني قفتان كه جمله

جملة استثنه كيرلر Arab. *Sudra*, Perſicè *Lipâgja*, Turcicè *Téghala*, *eſt tunica quam ſuper omnia induunt.* Aliàs *Turcicè*, درلك *Dárlik*, &c. Tunica cingitur Cingulo, ſecundùm Sacerdotalem Habitum in *Angliâ*, excepto colore. Dictum *eorum Cingulum* (ut refert D. *Olearius*) *hodie eſt Funiculus ex Lanâ aut Pilis camelinis tortus, corpus bis cingens, & à tergo duplicando clauſus ſeu connexus.* Iſte autem Nodus non venit in numerum Nodorum qui mox recenſebuntur. Iſtud Cingulum (quod ex Libro *Sad-der* inferiùs deſcribetur,) eſt *Quadrinode*, qui quidem Nodi ſunt Monimina, ſeu Monumenta tot Rerum quarum obliviſci nunquam debent. *Si aliquis* (inquit D. *Olearius*) *adeò infauſtus ſit ut Cingulum amittat, non debet edere, aut bibere, nec colloqui, nec è loco ſuo ſe movere, donec aliud acceperit à Sacerdote talia vendente*; quia dum diſcinctus eſt, ſupponitur non benedictus, & Poteſtati Diaboli ſubjectus, uti & olim in *Angliâ* dictum, **ungirt unbleſs'd.** Et omnes, tam Viri quàm Fœminæ, hodiè utuntur eâdem (inquit) Cincturâ ab Anno ætatis XII, cùm præſumantur Religionis Principia intelligere. Aliàs potiùs Anno XV. Pro dicto Cingulo manè induendo, extat in Precum Officio peculiaris Precatio; ut & alia pro Manuum Lotione. Illa appellatur بستن كستي ديرنك *Ceremonia Cingulum accingendi*; hæc verò شوي دست ديرنك *Ceremonia Manus lavandi*: ſunt ſc. duæ longiores Precationes Averruncæ. Magorum iſtud Cingulum æſtimatur ſanctiſſimum, præcipuè quòd (ut dicunt Magi) ſit in ſignum Obedientiæ ſtrictioris erga Deum. Id Perſicè aliquando vocatur كمر *Camér*: aliàs vocatur شست *Sheſt*, *quo* (inquit *Ph. Gj.* autor) *Ghebri medium corpus cingunt*; additque, *quòd* كستي *Cúſti origine ſit* كشتي *Cúſhti dictum.* At magis peculiariter dicitur كستي *Cúſti*, unde *Arabizatum* eſt كستيج *Cuſtîgj*, in Plurali كستيجات *Cuſtigjât.* De eo infit *Ruſtem Al Máulavi* Mohammedanus in Libro *Wasîlato'l Makâſid*, Turcicè, كستي گنشه طاپن كافرلرگ قوشدوغي قوشق تعريب ايدوب كستيج درلر وزنار دخي ديرلر *Cúſti eſt Solicolarum infidelium Cingulum quo cinguntur, Arabizatum fit Cuſtîgj, quod etiam vocatur Zonnâr*: ſc. ζῶνα, ſeu ζωνάριον, quod eſt etiam peculiare *Chriſtianis.* Ideóque *Mohammedani* ſuis omnibus præcipiunt, بست پرستش اولمه وكس زناركي *Idololatra ne eſto, nec* ζωναρὰς *aliquis*, ſeu *Zonario Cinctus. Monachorum* Chriſtianorum in Oriente Cingulum notabile eſt XII Nodis, notantibus duodenarium Numerum Apoſtolo-

rum

rum quorum illi ſunt ſequaces. Sic *Nim. Laud.* Turcicè refert, زنار كافر قوشغي واول بر قوشقدر كه اون ايكي يرده دكومي اولورمش كشيشلر قوشاندرلرمش هر كمسه اول برقوشغي قوشنسه شريعت آنك كفرنده حكم ايدلر و مجوسيلر و نصرانيلر مذهبنه دخي ديرلر *Zonnâr eſt Infidelium Cingulum, tale ſc. quod in XII locis Nodos habet, quo Sacerdotes* [ſc. Monachi] *cingi ſolent. Lex autem* [Mohammedana] *de Infidelitate adjudicat* [damnatve] *quemvis tali Cingulo cinctum. Sic etiam vocatur Maguſæorum & Chriſtianorum Secta,* ſc. Zonati.

Cap. XXXI.

De Perſarum Magis in genere, & quales ejuſmodi Sapientes fuerunt: præſertim de Chriſti Magis, à quonam Rege in Palæſtinam legati fuerint, & cur Deus tanto favore dignatus eſt Perſas præ aliis Gentibus, &c. Prophetiæ de Meſſiah per Zoroaſtrem, & Gjamaſpem, &c.

SUpradictum nomen *Mògh*, toti Orbi notiſſimum, aliquando apud Autores notat omnes *veteris Religionis* Perſas, præcipuè autem & propriè eorum Sapientes & Sacerdotes. Sic Liber *Sahâh Agjemi*, مغ اوده طبنلر كشيشي *Mòg eſt Ignicolarum Sacerdos.* Eodem modo *Ruſtemi Epitomator*, مغ كشيشى اوده طابي *Mòg eſt Sacerdos Ignicola:* & ibidem, مغ بچه آذلرك اوغلاذلري *Mòg-pátcha, i. e. Magorum Parvuli, ſc. eorum Pueri.* Apud Poetas & Scriptores metaphoricos (ut in Vocabulario Definitionum exponitur) ſequente modo legitur, مغبچه طالبى تحصيل كرد را گويند مربوط استى در ما بين خواه عالم لاهوت خواه عالم ناسوت *Mòg-pátcha eſt Diſcipulus quem adeptum vocant, reſtrictus* (ſeu *detentus) in Interſtitio Mundi Divinitatis & Mundi Humanitatis.* Nempe *Tâlib* (Arabicè *Expetitor*) eſt *Studioſus*, qui Scientiam & Eruditionem expetit, qui adeptus eſt; & qui tandem ab hoc

Mundo ſublimatus & detentus, & fere ſeparatus, quaſi in alterum Mundum concedere incipit, dum Religioſæ vitæ ſe firmiter addicit. Tales enim ſunt Magorum filii in Divinitate & Eruditione educati, quos ergò abſolutè & ſimpliciter vocant *Magorum Filios*; ſupponendo eos eſſe Studioſos. Talis autem *Mòg* aliquando, aliâ formâ, vocatur *Mogûſhek:* ſic *Nim. Laud.* & *Nim. Sion.* مغوشك مجوسيلر حشيشي *Mogûſhek eſt Maguſæorum Sacerdos.*

A Nomine مغ *Mog*, *Chaldæi* fecerunt מג *Màg*, unde *Græci* (ſuam terminationem addendo) ſonant Μάγος; & hinc *Arabes* formârunt ſibi مجوس *Magjus:* & ſic *Syri* & *Judæi* & aliæ Gentes. Apud aliquos recentiorum *Græcorum* legitur Μῶχος: & ab Arabum *Magjûs* ſeu *Magûſi*, aliis recentioribus *Græcis* fit Μαγεσταῖος. Cùm itaque Arabum مجوس *Magjûs* fiat à *Græco* Μάγος, (hocque à *Mag*, addendo Terminationem *Græcam*,) hinc planè conſtat quantùm erraverit *Phiruzabádius*, *Camûſi* autor, doctiſſimus *Arabs*, (non autem ſatis Perſicè doctus,) qui planè nugatur deducendo *Arabicam* hujus vocis Formam à duabus vocibus *Perſicis* مهيج گوش *Mîgj Ghûſh*, quas exponit اصغر الاذنان *Parvis Auribus* præditus, quaſi Perſarum Magi habuiſſent Aures reliquis mortalibus minores: quod planè falſum eſſe compertum eſt, cùm Amicus, meo rogatu, eorum Aures aliquoties explorando, tale quid reperire non potuit. Et nihilominus, *Ecteri Kara-Hisâri* qui profitetur ſe ſuum Lexicon ex aliis Lexicographis ſelegiſſe, hunc *Camûſi* errorem ſequitur, exponendo *Turcicè* مجوس كچرك قولاقلري ار *Magjûs eſt parvis auribus vir:* cujus falſitatem ſatis monſtravimus. Verum quidem eſt, quòd گوش *Gûſh* Perſicè notat *Aurem*. Sed quid hoc ad rem? Nam مهيج *Mîgj* non ſignificat *Parvum*, nec talis vox ullo ſignificatu in Linguâ Perſicâ extat. Quid autem ſibi velit, dicam: quando *Arabes* ſolent tractare voces *Perſicas*, literam *He* finalem mutant in ج *Gjîm*, vel ق *Koph*, quod & heic fecit *Camûſi* Autor: nam à مه *Mih* fecit مهيج *Mîgj*. At tamen id non ſignificat *Parvum*, ſed è contrario *Magnum*; unde *Magjus* potiùs denotaret *Magnis Auribus* præditum. Quàm itaque ridenda & falſa ſit *Phiruzabadii* Originatio, planè conſtat.

Certum eſt *Mòg*, ſeu *Màg*, fuiſſe generale Perſicorum Sacerdotum nomen ante tempora *Jeremiæ*, tunc antiquum. Nam cùm *Nebu-*

Nebuchadneſſar Rex *Chaldæorum* (ut Curia ejus ſplendidior eſſet, & is ſemper in promptu haberet quos conſuleret,) omnis generis Sapientes ex omnibus Gentibus ad ſe vocando, inter alios, etiam ex Perſide *Magos* advocavit, qui Scientiâ Syderum & omni Naturali Magiâ præcellerent. Et *Am. Marcellinus* dicit, quòd *Magia* Platoni ſit *Machagiſtia*, i. e. *Puriſſimus Deorum Cultus*, ut ſuprà diximus. Olim, in *Chaldæorum* Curiâ, horum Rector ſupremus (*Jer.* XXXIX. 3, 13,) dicebatur רב־מג *Rab-Mag*, i. e. *Magorum Præfectus*, ſeu *Princeps:* idem in Libro *Danielis* etiam dictus רב־חרטמיא *Rab-Chartummája*, i. e. *Præfectus Sapientum.* Hi enim etiam in Perſiâ gaudent Titulo خرمند *Cirád-mand:* hinc *Chaldæi* decurtando & apocopando (quaſi ſcriberetur خرم) fecerunt חרטום *Chartum. Chaldæorum* Regi *Græcia* ſuppeditavit Σοφὸς, quales in Libro *Danielis* vocantur אשף *Aſhâph*, ſeu *Aſſâph*, ſeu potiùs legendum *Aſſôph:* & hodie apud *Indos*, à *Pythagorâ* edoctos, in uſu eſt *Jeſſôph:* atque jamdiu in *Perſiâ* extitit Conventus Religioſorum dictorum الصوفي *Aſſôphi*, ſeu *Eſſôphi*; pro *Al Sôphi*, οἱ Σοφοί. Quid ſit *Magia* & *Magus*, docent *Plinius* & *Cicero* & alii: nam per Perſarum *Magos* nemo intelligit *Maleficos*, ſed *Philoſophos*, qui *Magiam Naturalem* callebant, & *Religioſos*, qui *Veteres Ritus* probè nôrant.

Ille penes Perſas Magus eſt, qui Sydera novit,
Qui ſciat Herbarum Vires, Cultúmque Deorum.

A *Simone*, *Mago* malefico, denominata eſt *Magia diabolica:* ſed à Perſarum Magis denominata, Magia *naturalis* eſt Rerum Divinarum & Naturalium Scientia, ſeu Sapientia & Philoſophia. Sic *Heſychius*, poſtquam expoſuit *Magum*, vulgari acceptione, eſſe *Deceptorem* & *Veneficum*, mox ſubjungit, Μάγον εἶναι τὸν Θεοσεβῆ· καὶ Θεολόγον, καὶ Ιερέα· οἱ Πέρσαι ἕτως λέγεσιν. Et *Suidas*; Μάγοι, παρὰ Πέρσαις, οἱ Φιλόσοφοι καὶ Φιλόθεοι· ὧν ἦρχε Ζωροάστρης. Καὶ μετὰ τοῦτον, κατὰ Διαδοχὴν, Ωστάνης καὶ Ασπάμψυχοι. *Quorum Princeps fuit Zoroaſtres: & dein ſucceſſivè Oſtanes & Aſtrampſychi.* Apulejus Apol. I; *Perſarum Linguâ, Magus eſt, qui noſtrâ Sacerdos: quod tandem eſt Crimen Sacerdotem eſſe: & ritè nôſſe, atque ſcire, atque callere leges Cerimoniarum, Fas Sacrorum, Jus Religionum? Siquidem Magia eſt quod Plato interpretatur* Θεῶν Θεραπείαν, *cùm commemorat quibuſnam diſciplinis Puerum Regium adoleſcentem Perſæ imbuunt.* Cum præcedentibus concurrit *Philo* p. 876; *Apud Perſas, Magi Naturæ Scrutatores, præ veritatis cognoſcendæ*

ſtudio, qui per ocium divinas Virtutes contemplantur clariùs, & alios ejuſdem initiant Myſteriis. Et idem p. 792; *Veram quidem illam Magiam, hoc eſt, perſpectivam Scientiam, per quam Naturæ Opera cernuntur clariùs, ut honeſtam expetendámque, non Plebeji ſolùm ſectantur, ſed etiam Reges Regum maximi, præſertim Perſici, tam curioſi harum Artium, ut regnare non liceat niſi cum Magis verſato familiariter.* Quàm ſublimis fuerit eorum Philoſophia, æſtimare liceat ex *Porphyrio*, qui in *Vitâ Plotini* dicit, *Quòd Plotinus tantum in aliâ Philoſophiâ profecerat, ut Philoſophiæ inſuper, in quâ Perſæ ſe exercebant, facere periculum affectaverit: atque etiam Sapientiam, præcipuè apud Indos probatam, aſſequi conſtituerit.*

Aliquando Mulieribus & Eunuchis Regum Liberos educatos fuiſſe ſcribit *Plato* lib. II de Legibus. Hoc autem rariùs factum: nam Regum filii ſolebant habere quatuor Tutorum genera. Sic *Stobæus* p. 496; *Inter quatuor Regiorum filiorum Tutores, primus eos docebat* Μαγείαν Ζωροάστρου τοῦ Ὡρομάζου· ἐστὶ δὲ τοῦτο Θεῶν Θεραπεία· *& ſecundus monebat ut in omni vitâ ſit verax*, &c. Et *Plato* in *Alcibiade* I, inter alia multa, tradit; *Anno XIV tradebatur puer Pædagogis Regiis, qui ſelecti erant, qui Sapientiâ, Juſtitiâ, Temperantiâ, & Fortitudine præcellebant. Horum primus Magiam docebat Zoroaſtris, quæ in Deorum cultu verſabatur, & is Regia Inſtituta tradebat. Secundus Veritatem ſemper amplecti docebat. Tertius Voluptatem & Libidinem domare docebat. Quartus Impavidum & Intrepidum reddebat, ne metu frangeretur aut debilitaretur.* Ex hoc *Platonis* loco, Magiæ dignitatem adſerere conatur *Apulejus Apolog.* I, poſt *Platonis* verba addens; *Auditiſne Magiam (qui eam temerè accuſatis) Artem eſſe Diis Immortalibus acceptam, colendi eos & venerandi pergnaram, piam ſcil. & diviniſcientem, jam inde à Zoroaſtre & Oromazo, auctoribus ſuis, nobilem, cœlitum Antiſtitem, quippe inter prima Regalia docetur; nec ulli temerè inter Perſas conceſſum eſt Magum eſſe, haud magis quàm regnare.* Diſtinctiùs autem loquitur *Porphyrius* de *Abſtinentiâ* lib. IV, fol. 92; *Apud Perſas, ii qui in Divinis Sapientes ſunt, ac Numen colunt, Magi appellantur: id enim eorum Linguâ nomen ſignificat. Hoc apud Perſas adeò magnum ac venerabile genus hominum habetur, ut Darius quoque, Hyſtaſpis filius, Monumento ſuo, præter alia, etiam illud inſcribendum curavit, quòd Magicorum Doctor fuerit,* [ſc. vocari voluit *Hyrbad.*] *Ii in genera tria erant diviſi, ſicut inquit Symbulus* [Eubulus] *qui Hiſtoriam de Mithra multis Libris conſcripſit: quorum primi, (qui etiam Doctiſſimi erant,) animatum neque comederent neque occiderent, ſed*

ſed in priſcâ illâ Animalium Abſtinentiâ perſeverarent: ſecundi verò, comederent quidem, non tamen ex manſuetis Animalibus aliquod occiderent. Tertii promiſcuè, æquè ac alii, omnibus manus inferrent. Decretum enim apud primos habetur de Animarum in diverſa Corpora Tranſmigratione: id quod etiam in Mithræ Myſteriis videtur ſignificari. Ut enim communionem &c. — Quorum cauſam afferens Pallas, in iis quæ de Mithrâ tradit, communem hominum Opinionem eſſe inquit, ut ad Zodiaci Orbis naturam hæc referenda judicentur. De Magis & Magiâ laudabili, videri poſſunt quæ congeſſit *Raleigh* Hiſt. Lib. I, cap. 11, §. 2. Et *Stephanus* legit; *Magi — ii Sapientes, Rerum Divinarum & Naturalium periti, qui Herbarum & Gemmarum & aliorum vires callebant, Miracula edebant, & divinabant: & ob Futurorum Prædictionem & vitam religioſam, Diis familiares credebantur, magno in honore habebantur, ac de rebus gravioribus conſulebantur.* Prædictionum ex Vi naturalis Scientiæ exemplum ſuppeditat *Cicero* de *Divinatione*; *Ex triplici appetitione Solis, XXX annos Cyrum regnare prædixerunt.* Et rurſus; *In Perſis augurantur & divinant Magi, qui congregantur in Fano, commentandi Cauſâ atque inter ſe colloquendi.* Ex hujuſmodi Perſarum Magis, Celebriores aliqui fuerunt illi qui noſtrum Salvatorem *Chriſtum* in Infantiâ viſitatum venerunt ex *Perſide* in *Bethlehem.* Hi non fuerunt *Reges*, ſed *Magi*, qui non potuerunt eſſe *Reges*, teſte *Smerde:* igitur rectiſſimè *Sheich Saadi* Perſa dicit, دو پادشاه در یک مملکت نگنجند *Duo Reges in uno Regno non continentur.* Ideò, iſti Religioſi Viſitatores fuerunt, vel *Sacerdotes*, vel *Deſtûri* ſeu *Præſules.* Eſt inter Doctos Controverſia an ex *Perſiâ*, vel ex *Arabiâ* venerint. In *Arabiâ* quidem fuit integra Magorum Tribus τῶν بني تميم *Beni Temîm.* Et certum eſt, in Sinu *Arabico*, è regione *Sabææ*, ſeu *Arabiæ* Felicis, dari Μάγων Νῆσον *Magorum Inſulam*, apud *Ptolemæum* in *Africæ Tabulâ* quartâ ad *Long.* 68, *Lat.* 16. Deinde in ipſo *Arabiæ* Litore ad *Sinum Perſicum* (in *Aſiæ Tabulâ* quintâ ad *Long.* 80, *Lat.* 25,) eſt Μάγων Κόλπος *Magorum Sinus.* Ideò circa hunc locum fortè vixerint dicti Arabes *Beni Temîm.* Concedo *Magos* veniſſe ex *Arabiâ*; non autem originaliter & primariò, ſed tantùm in tranſitu; cùm aliàs impoſſibile fuerit ut ex Perſide ad *Judæam* tranſirent, niſi per *Arabiæ* partem tranſierant. Ergò cùm dicantur veniſſe ex *Oriente*, idque, longo itinere, (dum *Arabia* ſit ad Auſtrum pluſquàm *Orientem Judææ*, eique confinis & quaſi in viciniâ,) ego potiùs ſentio cum *Doctiſſimo Petavio*, qui ſtatuit *Magos inde veniſſe ubi id genus hominum maximè floruit.*

floruit. Ex Arabiâ veniſſe probabilitate caret. Sic ille. Venerunt itaque originaliter ex Perſiâ; ſed in hoc itinere tranſierunt per Arabiam: nam à Perſiâ ad Judæam via directa eſt per medium *Meſopotamiæ*; & dein tranſmittendo *Euphratem* juxta *Bîr*, per Arabiæ partem tranſeundum erat ad Judæam.

Haytho, Armeniæ Rex (qui CCCC abhinc annis vixit) Cap. xxx, vult iſtos Magos fuiſſe III Reges, ſeu Regulos *Tatarorum Oighuræorum* ad *Borrapeliotem:* ibi enim meminit "*Trium illorum Regum qui* "*venerunt Nativitatem Domini adorare.*" Et Cap. II, "*In regno* "*Tarſæ ſunt III Provinciæ, quarum Dominatores ſe Reges faciunt* "*appellari. Homines illius Patriæ nominantur Jogûr: ſemper Idola* "*coluerunt, & adhuc colunt omnes, præter decem Cognationes illorum* "*Regum qui, per Demonſtrationem Stellæ, venerunt adorare Nativi-*"*tatem in Bethlehem Judæ. Et adhuc multi Magni & Nobiles in-*"*veniuntur inter Tataros de Cognatione illâ, qui tenent firmiter Fi-*"*dem Chriſti.*" Hi ſunt *Neſtoriani.* Si ita fuit, redeuntibus Magis, iſtæ Tribus mox converſæ ſunt: nam aliàs, non potuerunt eſſe *Chriſtiani* ante natum *Chriſtum.* Hinc *Haithoni*, hæc *Tatariæ* Pars vocatur *Tarſa*, quia ibi ſunt ترسا *Tarſâ*, ſeu *Terſâ*, i.e. *Chriſtiani.* Hujus regionis ſitum ſic deſcribit Haitho; *Regnum Tarſæ, ex parte Orientis, ſuos habet Confines cum regno Cathay: ex parte Occidentis, cum regno Turqueſtân: ex parte Septentrionis, cum quodam Deſerto: ex parte verò Meridiei, cum quâdam ditiſſimâ Provinciâ quæ vocatur Sym, quæ inter regnum Indiæ & regnum Cathay habet ſitum. Et in illâ Provinciâ inveniuntur Lapides Adamantis.* Deinde in ſequenti Capite, *Regnum Turqueſtân, ex parte Orientis, ſuos habet Confines cum regno Tarſæ: ex parte Occidentis, cum regno Coraſmiæ.* Nomine *Sym* videtur notari *Syam*, quod eſt regnum *Indiæ* confine verſus *Cathayam.*

De Magis, *Chriſti* Viſitatoribus, prolixè agit *Bar Bahlûl* Syrus,

ܐܝ ܕܐܡܪ ܒܚܕܐ ܡܢ ܐܘܪܗܝ ܕܒܝܬ ܐܠܗ ܡܢ ܒܢܝ ܫܡ ܐܬܘ ܬܠܬܐ ܡܠܟܐ ܡܢ ܦܪܣ ܕܡܢ ܒܢܝ ܥܝܠܡ ܒܪ ܫܡ *Secundùm Opinionem Jacobi Urhojenſis, Magi fuerunt ex Perſide, è Filiis Elam Filii Shem.* Et cùm iſti miſſi fuerint à Perſarum Rege, non eſt imaginandum eos veniſſe ſine honorifico comitatu & famulatu magno: ideóque addit; ܘܐܦ ܠܐ ܡܫܟܚ ܠܗ ܕܐܬܐ ܠܒܝܬ ܠܚܡ ܐܠܐ ܥܡ ܟܡܐ ܓܝܫܐ ܘܥܡ ܟܡܐ ܓܒܪܐ ܕܢܗܘܢ ܠܗ ܠܡܫܡܫ ܘܠܡܫܬܡܫ ܩܕܡܘܗܝ ܘܠܡܫܬܘܬ ܠܗ ܘܠܐ

ܒܥܘ

Fuerunt autem numero tredecim, ſicut tradunt pleræque Hiſtoriæ de eis ſcriptæ. Et ii qui venerunt, erant Principes famigeratiſſimi & viri notiſſimi terræ Perſidis: & fuerunt apud eos populi multi & exercitus pluſquam mille virorum: adeo ut turbata fuit Jeruſhalem. Sed quidem prohibuerunt hoc dicere Herodi. [At dico, potiùs *turbata* fuit *Jeruſhalem* propter malum nuntium de *Novo Rege*.] Poſteà pergit particularia eorum Nomina dicere, de quibus fides ſit penes Autorem,

Nomina Magorum Domini noſtri, fuerunt Arûphon, & Hurmon, & Tachſheſh. Sunt qui eos ſic vocârunt, Gûdphorhûm, & Artachſhàſht, Labûdo, & Alphero. Linguâ Perſicâ vocati fuêre Amad, & Zûd-Amad, & Drùſt-Amad. In alio Exemplari, Ahduiyâd, & Hadûndad filius Artában, & Shethàph filius Gûdophor, & Arſhik filius Tahdûs, & Zerwand filius Warwarand, & Arîhu filius Choſrav, & Artachſhàſht filius Chaſhlîth, & Eſhtanbûzon filius Caſhrûn, & Mahdûk filius Hûhom, & Achſhîreſh filius Sachbon, & Sórdolach filius Beldon, & Mardûk filius Bel. Perſica illa nomina quæ adducit, ſunt آمد *âmad*, i. e. *Vênit*: زود آمد *Zûd-âmad*, i.e. *Citò vênit*: درست آمد *Drùſt-âmad*, i.e. *Sincerus vênit*. Quæ omnia, rei novitatis cauſâ, recitare non gravatus fui. Alia hujuſmodi fictitia Nomina etiam videri poſſunt apud Monachos: tædioſum & inutile eſſet repetere.

Magi, qui *Chriſtum* viſitârunt, videntur veniſſe ex *Parthiâ*, ubi eadem Religio quæ in Perſiâ, iidemque Magi: nam Dynaſtia, ſeu Regimen, tunc erat apud *Parthos*, ibique Imperii Sedes. Apud hos (inquit *Pharh. Gj.* Autor) eo Tempore regnavit گودرز *Ghûderz*, per

LVII annos. *Chriſtus* quidem natus eſt paulò poſt Initium *Dynaſtiæ Parthorum*, XLI Anno *Auguſti*, quo Tempore apud *Parthos* (inquit *Strabo)* Rerum potitus eſt *Phraates*, *Orodis* Filius : is aliàs dictus eſt *Phraortes*, quod eſt vitiatum Nomen pro فريدون *Phridûn*. Rex, qui *Straboni Phraates*, aliis videtur dictus شابور *Shábur*, Filius اشک *Aſhk*. Sed ſecundùm probatiores Hiſtoricos, dictus *Phraates*, *Auguſti* favorem inire cupiens, Tropæa de *Romanis* erecta, & ab eis ablata, remittebat, & Metu inductus, IV Filios Obſides *Romæ* educandos in anteceſſum mittebat, inter quos *Vonones* qui Patri ſucceſſit. Dictus *Phraates* videtur regnâſſe XL annis, partim ante, & partim poſt *Chriſtum* Natum. Dictus *Parthorum* Rex *Phraates* braccatus, & fluente Pallio, ſeu Stolâ, cernitur in *Auguſti Nummis*, ſe humilians, & dextro genu flexo porrigens Militaria Signa *Romanorum* eáque reddens *Auguſto*, (ea ſc. quæ *Orodes* à *Craſſo* abſtulerat :) omnes quoque Captivos reſtituit: quod factum eſt XVIII annis ante *Chriſtum natum*, Anno XX *Herodis*. Ad hoc obſervat *Ovid. Faſtorum* V,

Parthe refers Aquilas, victos quoque porrigis Arcus,
Pignora jam noſtri nulla Pudoris habes.

Sibi enim metuebat, conſcius quòd nulla pacta ſervaverat, cùm eſſet ſceleratiſſimus homo, nullius fidei aut juſtitiæ ; qui, inter alia ſcelera, Patrem, & Fratres, & adultum Filium, interfecerat. Is etiam ad *Auguſtum* miſit IV ſuos Filios Romæ educandos, idque circa annum XXX *Auguſti*, circa X aut XII annis ante *natum Chriſtum*, ut dicitur. Sunt qui volunt id ſuaſu Uxoris factum, ut alius filius *Phraataces* in Regno ſuccederet. Iſtis eorúmque Famulitio *Auguſtus* aſſignavit VII Domos, quas memorat P. *Victor*, in Libello *de Regionibus Urbis Romæ :* ibi enim in Regione duodecimâ (quæ *Piſcina publica*) erant *Septem Domus Parthorum*. Cúmque vidiſſent Coriorum Parthicorum Elegantiam, Romani in poſterum habuerunt *Parthicarios*, qui Parthico more concinnarent Coria ; ex quibus itaque Imperatores *Romani* (& poſteà *Conſtantinopolitani*) parari voluerunt Calceos ſuos, *Turcicè* jam dictos جنگ *Tchangh*, ſeu (ut *Græci Moderni* ſcribunt,) τζαγγας. Idem *Phraates* ab *Auguſto*, per Epiſtolam, juſſus eſt ei reſignare *Armeniam*, quod primò neglexit, ægrè etiam ferens quòd ab *Auguſto* non ſcriberetur *Rex Regum*. Sed cùm videret Turbas eſſe domi, mox reſipiſcens id fecit, & gratiam cum *Auguſto* inivit.

Ab

TAB. X.

Phraates genuflexus resignans Armeniam Augusto. | *Phraates genuflexus reddens signa militaria Augusto, cum Tiarâ directâ.*

Corona Parthica. | *Miles Parthicus cum Tiarâ reflexâ et jaculo et arcu.*

Reverendissimo in Christo Patri, THOMÆ div. prov. Archiep. Cant. *totius Angliæ* Primati *et* Metropolitano, *Serenissimæ Maj. Regiæ à secretioribus Consiliis, hasce Parthici Regis (qui Magos ad Christum legavit) Icones ex vet. nummis desumptas, Gratitudinis ergô lubens meritóq. D.D.D. Autor T. H.*

Ab iſto itaque Rege miſſi ſunt (vel ſaltem, eo haud inſcio, venerunt) Magi. Nam quòd Perſis revelata fuerit Chriſti Nativitas, certi ſumus ex Evangelio: & præterea plerique Autores, iique Doctiores, idem ſtatuunt.

Cur Deus Perſas præ aliis Gentibus dignatus eſt favore tantæ Revelationis, ipſe meliùs novit. Quatenus autem videtur, imprimis erat pro Dei Gloriâ ut extrema terræ maturè viderent *Salvationem Domini*, natum Chriſtum agnoſcerent, Munera offerrent, & Officia ſua ei præſtarent: ideóque à *longinquo* venerunt, *ex Oriente*. Deinde Deus peculiarem pro iſto populo Amorem habuit, quia iſti in toto Orbe ſoli *(præter Judæos)* fuêre, qui à Primordiis gentis Dei veri cognitionem & cultum retinuerunt. Miſcuerunt quidem multas nugas; ſed interim Dei Cultum non neglexêre, Pietatem proſequentes. Et quòd hoc modo devoti & religioſi manſerunt, ſuo tempore, teſtatur *Strabo* p. 500; Μάγοι· ἕτοι μὲν ἔν σεμνῇ τινος εἰσὶ βίᾳ ζηλωταὶ, *Magi ſunt religioſæ alicujus Vitæ Zelotæ*. Et vitæ eorum Pietatem perſpiciens *Pythagoras*, (poſtquam totum Orbem peragrâſſet, & omnes Religiones vidiſſet,) eam Magorum amplexus eſt: ſic *Porphyrius*, de *Pythagorâ* agens, tradit; *Deorum Sacra & Cultum cæteráque vitæ Inſtituta, eum ex Magorum Inſtitutione accepiſſe ajunt*. Et poſteà narratur quomodo conceſſerit ad Magum *Zabratum* (qui creditur *Zoroaſtres*,) & quid boni ab ipſo didicerit: *Babylone, cum aliis Chaldæis vixit; atque conceſſit ad Zabratum, cujus ope, à prioris vitæ ſordibus expurgatus fuit, & à quibus rebus homini ſerio abſtinendum, didicit; tum de Rerum Naturâ & Principiis Univerſi docentem audivit*. Hinc *Pythagoras* ea, quæ à *Magis* didicerat, alios docebat: *Talia præcipere ſolebat: imprimis autem Veritati ſtudendum: ſolum enim illud Homines Deo ſimiles efficere poſſe: nam & Deum ipſum (uti cognoverat ex Magis, qui illum Oromazen appellant,) Corpore quidem, Lumini, Animâ autem, Veritati ſimilem eſſe*. Quomodo Perſæ ſemper orthodoxam in Deo Fidem tenuerunt, ſicut pios & bonos decet, vide in ſequenti Capite de *Perſarum Fide*. D. *Hieronymus* adverſus *Jovinianum* II, ex *Eubulo* refert; *Apud Perſas eſſe tria genera Magorum, quorum primum (qui doctiſſimi & eloquentiſſimi,) exceptâ farinâ & olere, nihil amplius in cibo ſumunt*. Hîc intelliguntur *Archipræſules:* nam alibi docuimus Magorum *Sacerdotium* diſtinctum fuiſſe in *Sacerdotes, Præſules*, ſeu *Superintendentes*, & *Archipræſules*. Et quòd ad hoc uſque tempus pii manſerunt, ſatis conſtat: nam ii, qui hodiernæ eorum converſationi aſſueti ſunt, referunt eos eſſe probos & bonos homines, vitæ honeſtate præ aliis popu-

lis notabiles, nemini facientes Fraudem aut Injuriam, ſed potiùs Injuriam patientes, ut priſtinæ Pietatis & Simplicitatis Exemplar: nam Indoles illis ab eâ omnium gentium diverſa. Et ut Deus benignus fuit erga *Kenitas*, & alias Gentes merè idololatricas, qui benè tractârunt *Iſraelitas* in tranſitu *Deſerti*, ita, multò magis dilexit *Deicolas Perſas*, propter *Ahaſueri* erga illos Amorem, in Captivitate eorum in urbe *Shuſhan*. Et poſteà Deus (qui ab omni ævo præviderat quid ex ſuâ Ordinatione futurum eſſet,) ex peculiari erga Perſas continuato favore, decrevit *Cyrum* Orientis Monarcham fore, & longè antequam naſceretur, præfinivit eum *Unctum* ſuum, & *Paſtorem* ſuum, qui executioni demandaret totam voluntatem ſuam, ſc. in Reædificatione *Domûs Domini*, & in Reſtitutione Vaſorum aureorum, quæ *Nebucadneſſar* auferens tranſtulerat in *Babelem*, &c. prout fuſiùs legitur in Libro Ezræ. Cùm itaque Deus inſigne opus præſtandum haberet, (ſcil. ad *ædificandum Templum* & ad *Vindictam* ſumendum contra idololatricos *Chaldæos*,) idque Perſarum manibus præſtari vellet, is hoc revelavit *Iſaiæ* Prophetæ, à quo *Cyri* Regis pientiſſimi Provincia expugnandi *Babylonem* prænotabatur & in anteceſſum deſignabatur CC annis antequam *Cyrus* naſceretur, aut dicta Prophetia impleretur. Sic *Iſa.* XLIV. 28; *Qui de Cyro dicit, Iſte eſt Paſtor meus, & perimplebit omnem Voluntatem meam.* Talis enim fuit Dei voluntas, ut Urbs & Templum reædificarentur, atque ut Chaldæi caſtigarentur. Ideóque pergit, prædicendo *Cyri* victorias contra eos, quos poſtea ſubjugavit, & eorum Idola confregit; ut *Cap.* XLV. 1; "*Sic dicit Dominus Uncto* "*ſuo Cyro, cujus dextram tenui ad ſubjugandum nationes coram eo*; & "*ſolvam lumbos Regum ad aperiendum coram eo Valvas, & Portæ non* "*claudebuntur.* 2, *Ibo ante te & loca curva complanabo: diffringam* "*portas æneas, & diſcindam vectes ferreos.* 3. *Et dabo tibi Theſauros* "*tenebrarum & divitias abſconditas è ſecretis locis, ut ſcias quòd ego* "*Dominus qui vocavi Nomen tuum, ſum Deus Iſraelis.* 4, *Nam propter Jacobum ſervum meum & Iſraelem electum meum, vocavi te Nomine tuo: cognominavi te, quamvis me nondum noveris.* 5, *Ego enim* "*Dominus, & non eſt alter, nec eſt Deus præter me: cinxi te, quamvis* "*me nondum noveris.* 13, *Suſcitavi illum in juſtitiâ, & dirigam omnes* "*vias ejus: ipſe ædificabit Urbem meam, & liberos dimittet captivos* "*meos; non autem pro pretio aut remuneratione, inquit Dominus exercituum.*" Hæc omnia ſpectant ad *Perſas*, & in eorum favorem dicta ſunt. Et inter *Onera Babyloniæ*, Deus minitatur ſe excitaturum *Medos*, *Iſa.* XIII. 17; "*En contra eos excitabo Medos qui non curabunt*

"*Argentum*

" *Argentum nec delectabuntur Auro.* 19, *Et Babylonia regnorum Gloria,* " *& Chaldæorum Excellentiæ Decor, erit ſicut quando Deus deſtruxit* " *Sodomam & Gomorrham.*" Et de Babyloniæ Ruinâ per *Medos* & *Perſos*, vaticinando pergit; *Cap.* XXI. 2, *Aſcende ô Elam, Obſidium pone ô Media.* 9, *Cecidit Babylon, omnia Deorum Sculptilia ad terram uſque confregit.* Scilicet *Cyrus* fregit & perdidit omnia *Babyloniorum Idola*, eorum loco, veri Dei cultum ſubſtituendo, ut ſuprà diximus: Deus enim promiſit per eorum manum profligare *Chaldæorum* Idololatriam, quod tandem præſtitit, quando poſteà *Cyrus Babylonem* expugnavit pro *Dario Medo. Beli* etiam *Templum Babylonicum* poſteà vaſtavit *Xerxes Perſa.* Et hodie tota Urbs evanuit, ita ut ne quidem Rudera ejus appareant ſupra terram. Atque idem *Xerxes* alia *Græcorum* Templa Idololatrica evertit. Tanta & tot magnalia fecit Deus per manum *Medorum* & *Perſarum*, qui ſemper veri Dei Cultores & fideles, Idololatriam exoſi. Sed propter eorum luxuriam, eos tandem tradidit *Alexandro:* & poſteà regnum veteribus Perſis ademit, ut hodie fit. Et ut Deus fecit Judæis (quamvis eſſent mali homines, ſemper à Deo deflectentes ad Idololatriam,) propter *Meſſiam* ex eis oriturum, nempe eos tantùm caſtigavit ſæpè, ut pater filios quos amat, & noluit abſolutè eos deſerere, ne quidem in Captivitate ſuâ; (nam curam eorum gerebat in omnibus locis ubi diſperſi erant;) ſic quamvis Perſæ multas nugas cum Dei Cultu miſcuerint, Deus connivebat propter grande Opus quod à *Cyro* Perſarum Rege præſtandum decreverat. Et poſteà, hoc facto, eóque mortuo, noluit tamen (ex veteri amore) hujus gentis totaliter oblivíſci, quin ſtatim poſt *Cyri* Tempus, per *Zoroaſtrem* revelavit eis *Nativitatem Meſſiæ*, ut Perſis annuntiaret Salutem. Et proculdubiò, Deus excitavit *Danielem* & alios qui *Cyrum* facerent certiorem quòd ab *Iſaiâ* Prophetâ *Ipſe* nominatim prædictus fuerat ut *Domini Paſtor* & *Operarius Dei cæli*; quæ cum religiosâ ejus diſpoſitione concurrerunt. Inſuper, cùm à *Judæis* nominarentur omnes eorum Ritus coram Rege, & inter alia, quòd Hieroſolymis Deus coleretur, Perſarum more, *Perpetuo Igne*, ille mox toto animo accinxit ſe ad curandum ut id, quod prædictum fuerat, impleretur. Hinc eſt quòd inter reliqua *Diplomatis* ejus Contenta, hoc tanquam Primarium & Præcipuum ibi præmiſſum eſt, jubendo (1 *Ezdræ* VI. 24,) *ut extrueretur Domus Domini Hieroſolymis, ubi Sacra peraguntur Igne Perpetuo*, ut ſuprà notavimus. Cúmque Deus Domum Gloriæ ſuæ Perſarum juſſu & autoritate extruendam & inſtaurandam cura-

verat, non eſt mirum quòd, ex peculiari erga eos favore, poſteà *Chriſtum* illis etiam in carne naſcendum revelaverit.

Eorum itaque اورغ علیمبون *Orangh Alimbûdi*, ſeu *Viri Sapientes*, videntes بنتغن *Bintangnja*, *Stellam ejus*, ejuſdem apparitione moniti, venerunt ad *Ghangh-diz Houcht*, ſeu *Paradiſum Judæorum*, ſic enim *Hieroſolymam* vocabant. Hoc autem eos docuit *Zerduſht* (qui *Græcis Zoroaſtres,)* cui hoc revelatum fuerat cùm aliæ Prophetiæ ferè ceſſâſſent. Deus enim in S. *Scripturâ* haud ſemel ſecreta revelavit *Pſeudoprophetis:* & ſpeciatim hoc ipſum de *Meſſiah* revelatum fuerat *Balaamo*, qui invitus pronuntiavit *Stellam orituram è Jacob*, &c. Talem itaque de *Meſſiah* Prophetiam (referente *Shahriſtâni) Zerduſht* in Operibus ſuis ſcriptam reliquit, obſcurè, ut ſolent eſſe Prophetiæ, ومما اخبر به زراشت في كتاب زندوستا قال سيظهر في اخر الزمان رجل يسمي اشندربكا معناه رجل العالم بدين العالم بدين والعدل ثم يظهر في زمانه بتيارة فيوقع الافة في امره ومدته عشرين سنة ثم يظهر بعد ذلك اسيدربكا علي اهل العالم يحيي العدل ويميت الجور ويرد السنن المغيرة الي اوضاعها الاول وينقاد له الملوك ويتيسر له الامور وينصر الدين الحق ويحصل في زمانه الراحة والدعة و سكون الفتن وزوال المحن *Ex eis quæ prædixit Zerâduſht in Libro Zendaveſtâ, eſt, quòd dixit ultimis Temporibus appariturum Hominem dictum* Oſhánderbeghâ, *i. e.* Homo Mundi, *qui Mundum Religione & Juſtitiâ ornaturus eſſet. Deinde ejus Tempore appariturum etiam* Petyâra, *ſeu* Diabolum, *qui Rebus ejus & Regno ejus moleſtiam afferret per viginti annos. Tum poſthac appariturum* Oſiderbeghâ, *qui incolis Mundi revivificaret Juſtitiam, & ſedaret Injuriam, & immutatas Conſuetudines in loca ſua priſtina reſtitueret. Et quòd illi obſecuturi eſſent Reges, eique facilitarentur Negotia: & quòd opem laturus eſſet Religioni veræ: & quòd in ejus Tempore obtineretur Quies & Tranquillitas, eſſetque Sedatio Diſſidiorum & Receſſio Moleſtiarum.* Sic *Shahriſtâni* Scriptor Mohammedanus ex Libro *Zendaveſtâ*. Hæc Hiſtoria eſt ferè eadem quæ apud D. *Tavernier* in *Itinerario* paulò aliter narratur Lib. 4. Cap. 8, prout acceperat à Sacerdote quodam

quodam Persâ in *Kirmân*,[a] qui obscurè in *suâ*, & *Persarum* (de *Messiah* & futurâ Mundi *Redemptione)* Hypothesi, sequentia ex *Zoroastrianis* Operibus referebat: " *Quòd scil. dum eorum Propheta super A-* " *quam ambularet, ab ipso excidisse tres seminis genitalis Guttas, quæ* " *semper posteà ibidem servabantur. Quòd eorum Deus mittebat Vir-* " *ginem ab ipso peramatam, super eundem fluvium, quæ per receptio-* " *nem primæ Guttæ imprægnaretur Puero, quem in antecessum voca-* " *bant* Oushîder: *qui tunc, posteà in Mundum cum Autoritate ve-* " *niens, efficiebat ut Patris sui Lex reciperetur; & eandem non tan-* " *tùm suæ Prædicationis Eloquentiâ, sed & Miraculis confirmabat.* " *Filius secundus, cui nomen* Oushîderma, *ex secundâ Guttâ in utero* " *conceptus, Fratrem suum juvabat, efficiendo ut Sol cursu suo sistere-* " *tur, totum Mundum de Doctrinæ ejus veritate convicturus. Tan-* " *dem ex tertiâ Guttâ Filium tertium, ex eâdem Matre, eodem modo* " *concipiendum, cui nomen futurum erat* Sennoïet-hotius, *qui cum* " *majore, quàm duo Fratres, Autoritate venturus esset, omnes ad Pro-* " *phetæ sui Religionem planè adducturus. Et quòd deinde posteà mox* " *futura esset universalis Resurrectio, quo Tempore, omnes cum Ani-* " *mabus corporibus rëunitis, vel in Paradisum, vel in Gehennam abi-* " *turi essent. Et quòd tunc omnes Montes humiliarentur, & omnes*

a Vid. Append. No. XIV. ubi in priori Editione hujus Libri, Monitum quod sequitur, ab Auctore ipso, præmittebatur. Quia vero, inquit, in eorum Libris *Abrahamus* aliquandò vocatur *Ibrahim Zerdusht*, ideò iste ignarus confundit Historiam *Zerdushti* cum Historia *Abrahami*, de *Puero Zerdushto* narrando ea ipsa quæ, in *Arabum* Historiis, dicuntur contigisse inter *Puerum Abrahamum* & *Nimrodum*, qui Culice aut Cimice necatus, ut suo Loco suprà fusius diximus; qui etiam Regni *Gravidas* omnes interficiendas curavit. Deinde proximè succedentem Regem, qui eandem Persecutionem contra dictum Puerum *Zerdushtum* promovebat, ponitur *Cha-Glochtes:* isto autem monstroso Nomine intelligendus est *Shah-Gushtaspes*, mille Annis à Nimrodo distans. Magnus quidem in Re Historicâ Lapsus Saltúsve! Iste enim Homo numerat per Saltum.

Dicto Puero, seu Infanti, impositum Nomen *Zerdusht*, seu *Zeratusht* (cujus Appellativam Significationem hodie ignorari suprà docuimus) iste dicit fuisse *Zer-Ateucht*, quod ineptè exponit *Argento-lotum*. Certè malè conflatum Nomen, & pejus interpretatum! Posteà dicit quod licitum sit habere V Uxores, quod est falsum. Dies Festos esse xxx, in Honorem Sanctorum, quod itidem falsum.

Alio loco, id quod dicit de *Stipitibus ligneis*, intelligendum est de *ferreis*. Tandem dicit istorum Regum ultimum fuisse *Cha-Jecherd*, malè, pro *Sha-Jezdegerd*. Prætereà fallitur de *Jejunio*; cum *omne Jejunium purum* sit eis planè *vetitum* in Libro *Sad-der*.

Hæc sunt præcipua quæ taxanda videntur. Et hoc modo præparatus Lector hunc Appendicem legere aggrediatur. Insuper monendum est, quòd aliquas Correctiones poscebant aliæ Relationes *Europæorum*, qui propter *Linguæ Persicæ* Ignorantiam, quædam aliquando *falsa* dederunt, & *veris* admiscuerunt. Ideoque si in nostris *Europæorum* Citationibus, eos in quibusdam Rebus sibi aliquando contradicentes inveneris, non debes mirari. Hujus aliquot Exempla invenies in Capite de *Sepulturis*, etiam ex *Agathia*, & alibi.

"*Mi-*

"*Mineræ liquefactæ; & Gehennæ Abysso oppletâ, Diabolorum Man-*
"*sio destrueretur.*" Hæc in Appendice nostro fusiùs recitabimus. * Hi dicti tres Filii Fratrésve videntur indigitare triplicem *Messiæ* statum, scil. ejus *Nativitatem*, & *Adultam Ætatem* in quâ Mundo prædicavit, & tandem ejus *Adventum* in extremo Judicio.

Dicta, inquam, *Zerdushti* Prophetia planè indigitat *Messiam*, cujus Expectationem prædictam noverat ex *Veteri Testamento*, quod ei benè notum fuit: & inde factum est, ut *Christi* Adventus in carne Persis revelatus fuerit; nec omnes *Judæi*, *Veteris Testamenti* Conservatores & soli Possessores, aliam Expectationis ansam habuêre. Ideóque nemo in posterum (ut spero) mirabitur, quòd *Christus Persis* revelatus fuerit.

Quin & planiora eum de *Christo* docuisse narrat *Abulpháragj* in *Dynastiarum Libro* p. 54, زرادشت معلم المجوسية والباقي *Zerâdusht Præceptor Magusæorum --- Persas docuit de Manifestatione Domini Christi, jubens illos ei Dona afferre: indicavitque futurum ut ultimis Temporibus Virgo conciperet Fœtum absque Contactu Viri; cúmque nasceretur, apparituram Stellam, quæ interdiu luceret, & in ejus medio conspiceretur figura Puellæ Virginis. Vos autem, ô Filii mei, ante omnes Gentes ortum ejus percepturi estis. Cùm ergò videritis Stellam, abeuntes quò vos illa dirigat, Natum istum adorate, offerentes ei Munera vestra. Est quidem ille Verbum quod cœlum condidit.* At apud eundem Autorem p. 70 legitur, *Autogius* (vel potiùs *Lycinius*) *ad Cæsarem scripsit; Persæ Orientales, Regnum tuum ingressi, Puero, qui in regione Judææ natus est, Dona obtulerunt. Quis autem ille sit, aut cujus Filius, ad nos nondum pervenit.* Hæc pulchrè conveniunt cum *Jacobi* Prophetiâ *Gen.* XLIX. 10, *Quòd ipse futurus esset Expectatio Gentium*, vel ut aliàs exponitur, *Ad eum esset aggregatio Gentium.*

Deum per *Balaamum* revelâsse *Chaldæis* (à quibus habuerunt *Magi*) *Messiæ* nativitatem, *Theodorus Tarsensis* refert; Τὸν φανέντα Αςέρα, μὴ ἕνα τῶν πολλῶν κατ' ὀυρανὸν εἶναι· ἀλλὰ Δυνάμιν τινα θειοτέραν, &c. *Visam Stellam non fuisse unam è multis in cœlo, sed Vim quandam diviniorem in Astrum conformatam, quæ omnibus Domini Nativitatem nuntiaret. Porrò, Magos à Chaldæis ita accepisse, Stellam quandam olim fore, quæ natum in carne communem Salvatorem nuntiaret: hoc illis Vaticinium, tanquam ejusdem Artis studiosum, narrâsse Balaamum*

* Vid. No. XIV.

illum

illum, qui, vel invitus, Imprecationis loco, benè precando Iſraeli, Benedictioni ſuæ, naſcituri Regis Ortum, & hujus Præconis Stellam admiſcuiſſet. Dum autem ſeſè videndum obtulit Dominus, præ cæteris Nationibus Perſis oſtenſus eſt; ut quibuſcunque eum expectantibus, ſive Magis, ſive Incantatoribus, per ipſum Gratia & Redemptio donaretur. Sic ille. Meliùs autem omiſiſſet *Incantatoribus*, cùm Perſæ non fuerint tales.

Zoroaſtri fermè contemporaneus fuit inſigniſſimus quidam *Aſtrologus*, cui Nomen جاماسپ *Gjâmaſp*, qui à quibuſdam *Turcis* & *Perſis* creditur *Danielis* Prophetæ filius: ſic *Chalîl Sûphi* habet, جاماسپ *Gjâmaſp fuit Danielis Prophetæ filius, celeberrimus quidam Philoſophus*; de quo *Arabicè* extat Mythologiæ Libellus de *Daniele* & *Gjâmaſp:* quamvis aliàs, apud *Judæos* nuſquam comperimus *Danielem* fuiſſe nuptum. Is fuerit potiùs *Danielis* Diſcipulus, aut Puer, cui ex more dicebat *Mi Fili*. Nam *Daniel*, qui ſenex, vivens tempore *Cyri*, potuerit habere Diſcipulum juniorem, qui diutiùs viveret uſque ad tempora *Hyſtaſpis*, cujus *Gjâmaſp* fuit *Conſiliarius*, quia Sapiens & Philoſophus inſignis. In Libro *Mugj.* p. 227, narratur, inter Perſas fuiſſe X viros incomparabiles, quibus in toto Orbe nulli ſuo genere pares fuêre: & inter hos fuiſſe *Gjâmaſp*; ششم جاماسپ وزیر گشتاسپ بن لهراسپ بود واورا کتابیست احکام جاماسپی گویند حکم کرده است بر قرانات ودر آنجا خبر داده ست بخروج عیسی ومنشاء محمد وزایل شدن دین مجوس وخروج ترک و خرابی عالم وخروج شخصی که ایشانرا ترک ومثل او منجمی در هیچ صنف نبوده است — *Horum ſextus fuit Gjâmaſp Aſtrologus, qui erat Hyſtaſpis Conſiliarius. Ille eſt Autor Libri quem vocant Judicia Gjamaſpis, in quo judicium fecit de* Planetarum *Conjunctionibus. Et ibidem Notitiam dedit, quòd aliquando prodiret Jeſus, & de Ortu Mohammedis, & quòd abolenda eſſet Magorum Religio: & quòd prodirent Turcæ, & deſtrueretur Mundus: & quod proditurus eſſet aliquis quem Turcæ ſibi --- Et ſanè ei ſimilis in omni genere Aſtrologus nunquam extitit.* Malè exaratum & mutilum exemplar citationem exhibet imperfectam. Perſæ, *Chriſto* citeriores, fabulantur *Chriſtum* in cœlos aſcenſurum, intrâſſe in ædes cujuſdam Religioſi cui nomen سکو *Socû*, & inde aſcendiſſe.

In

In Vitâ *Confucii*, qui plus quàm D Annis ante *Chriſtum* vixit, narratur, quòd ipſe ſolebat dicere, *Ipſe Homo eſt in Occidente*. Plura videas in ejus Vitâ in 8vo, p. 23. Sed in ejus Vitâ, per D. *Couplet* Philoſophiæ Sinicæ præmiſſâ, *Sinicè* legitur, *Si fam, Yeu Xim gin*, ſeu (ut noſtræ pronuntiationi conformare poſſim,) *Si fang, Yeu Shing gin*, i. e. *Vir Sanctus in Occidente exiſtit*. Quibus verbis, an *propheticè* reſpexerit *Chriſtum*, vel potiùs *hiſtoricè* Judæorum Summum Sacerdotem, dubitatur. Ego ſanè poſteriore ſenſu accipiendum duco. Utcunque tamen ſit, certum eſt LXV Annis poſt *Chriſtum* natum, Imperatorem *Mingh-Ti*, dictis *Confucii* verbis partim, partimque per Apparitionem Viri Sancti in Somnio viſi, miſiſſe Legatos in *Occidentem* ad exquirendum dictum *Virum Sanctum & Legem Sanctam*. Sed illi pervenientes ad aliquam Inſulam prope *Mare Rubrum*, non auſi ſunt ulteriùs procedere: re itaque infectâ redierunt. Ne autem in caſſum videretur Legatio, loco *Viri Sancti*, Imperatori retulerunt *un Pagode*, ſcil. Idolum *Fæ*, ſeu *Fe* Impoſtoris, *Fæ kiae*, (non *Fohi*, ut aliquis legit, qui fuit *Imperii Sinici* Fundator primus:) & hoc modo, *Idololatriam* atque *Metempſychoſin* in *Chinam* primò invexerunt. Sed nihilominus, poſteà Dei Providentiâ factum eſt, ut Lex Sancta propagata fuit in *China*, uti conſtat ex prolixâ Inſcriptione *Sinicâ* apud *Kircherum* in *Chinâ Illuſtratâ*; ut & ex ternis procerrimis *ſacræ Trinitatis* Effigiebus (non æqualis proceritatis) quas uſque hodiè in Idololatricis ſuis Templis ſervant, quod didici à *Chinenſi* Amico *Shin Fo-çungh*.

Cap. XXXII.

Ex Orientali Mythologiâ unius Σιβύλλης *Origo, reliquarum Explosio. In linguâ Chaldaicâ & Phœniciâ,* Virginis *Cœlestis Signum synecdochicè & tectè notari solere suî Symbolo* Σιβύλλα, *seu* Spicâ, *quo nomine intelligitur totus Asterismus. Unde Docti & Sacerdotes, Mythologiæ Cusores, de cœlesti & miraculosâ* Virgine *Vaticinatrice Mira, pro Ingenii Specimine, finxerunt & credulo vulgo obtruserunt, (ut in cæteris solebant facere :) adeò ut tandem mos esset cuilibet Insanienti* Virgini *se Vaticinatricem prætendere. Quâ occasione, etiam de Phœnice agitur, atque Zodiacalium Signorum Origo Græcorum Fictionibus antecedere statuitur. De illis & aliis Astris videri possunt Notæ nostræ ad Constellationes apud Ulugh Beighum Persico-Latinum.*

UTI autem hoc loco persequar præcipuos qui de Christo aliquid prædixerint, vel prædixisse prætenduntur, apud facilioris fidei viros, aliquid revelâsse censeantur *Zoroastris* Pseudoracula Carmine *Græco* conscripta : quæ tamen (proh dolor !) vel à *Psello*, vel ab aliquo *Græcorum Monacho* conficta sunt, & à *Patritio* & aliis edita. Talia autem Fictitia magis convellunt quàm *Christianam* Religionem confirmant, uti faciunt debilia Argumenta omnia, quæ aliquam causam semper labefactare potiùs quàm juvare judicantur. Ejusmodi spuria de *Christo* extant in *Apocryphis* 2 *Ezdræ*, Cap. II & VII. Et ejusdem farinæ censûsque sunt *Sibyllina Oracula* (ut vocantur,) quæ prætenduntur de *Christo* continuisse Vaticinia quædam per tot Virgines effusa, quæ (vah mirum !) clariores, quàm olim *Prophetæ*, Revelationes habuisse prædicantur. Hæ erant numero X, quas (cùm celebre evaderet nomen,) variæ Regiones sibi vindicare satagerunt. Harum primam *Persicam* fuisse meminit *Nicanor*, in rebus gestis *Alexandri Magni*. Et *Lactantius* dicit *Sibyllas* fuisse *multas*. Mirum est in quantum *Sibyllinorum* Rumor veteres delusit, tam *Ethnicos*, quàm *Christianos*, & æquè ac *Phœnicis* Fabula penè ab omnibus creditus. Quòd prætendebant *Sibyllam Erythræam* quædam de *Christo* scripsisse, refert D. *Augustinus* de *Civ. Dei* Lib. XVIII, Cap. 23. Sed talia non credenda docet in Libro contra *Faustum Manichæum* XIII, Cap. 15. Ea quæ hodiè sub eo nomine extant, *nullum Oraculum* continent, sed tantùm *Historiam Biblicam*, ab aliquo *Christiano* ex Bibliis & Patribus

collectam, & Carmine *Græco* conscriptam. Illa autem futilia, quæ *reverà* à *Sibyllis* scripta putantur, nullibi extant. Anilia quædam *Mysteria* IX Tomis scripta, olim oblata fuêre *Tarquinio Superbo* à *furente* quâdam *Vetulâ Cumis ortâ*, quæ ideò *Sibylla Cumana* audit. Nihil autem de *Christo* continuisse creduntur, sed potiùs Res ad *Romanum Imperium* spectantes. Et sic *Sibylla Erythræa*, & aliæ. Ideóque à *Romanis* primò designati sunt *Quinque Viri*, deinde *Quindecim*, qui ergò *Quindecimviri* nominati sunt, talium Fatidicorum Librorum Custodes; quorum etiam erat de eis Judicare, & in eis benè versari, ut, pro natâ occasione, consulentibus respondere possent. Et, ut notat *Tacitus* Lib. IV, talis erat *Caninius Gallus*, qui à Magistratu increpatus fuit, quia nimis temerè aliquid, quod illis videbatur spurium, inter *Sibyllina Oracula* admiserat; *cùm* (inquit *Tacitus*) *multa vana sub Nomine celebri vulgabantur*. Unde constat plures tunc solere se *Vaticinatrices* prætendere, & satagere ut sua Vaticinia, sub *Sibyllinorum* nomine, *Quindecimviris* obtruderent.

Videntur ea Scripta fuisse talia ac superiori Seculo erat *Nostradamus*. Debebant autem esse Fœminæ, eæque Virgines, ut hujus Fabulæ Origini meliùs corresponderent: &, si aliqua fatidica Fœmina *artificiosè* & *audacter* aliquid de rebus publicis pronuntiabat, tum ejusdem *Effata* inter *Oracula* admittebantur. Nam (ut ex *Orientali Mythologiâ* elicitur,) secundùm illorum Temporum genium, à Mysteriorum Cusoribus, *Chaldæis* & *Phœnicibus*, prætendebatur miraculosa quædam *Virgo*, nomine *Sibylla*, seu ut *Tacitus*, *Sibulla:* unde factum est, ut quævis *Enthusiastica* fœmina, & ecstatico Furore acta *Vaticinatrix*, eodem etiam nomine vocaretur. Sic *Lactantius*; *Omnes* [fœminæ] *Vates*, *Sibyllæ sunt à Veteribus nuncupatæ*. Et *Servius* ait; *Sibylla est appellativum Nomen omnium Vaticinantium:* & alibi; *Sibylla est omnis Puella cujus pectus numen recipit*. Ideóque *Sibyllæ* & *Bacchides* unà nominantur à *Plutarcho*; nec sanè melioris sortis erant quàm *Mænades*, & *Thyades*, & *Bassarides*, quæ ex *Bacchis* fuêre.

Quid Sibyllæ scripserint, certò non constat; cùm id quod scripserunt, nullibi extet: earum enim Libros *Stilico*, dum contra *Honorium* & *Arcadium* Defectionem moliretur, combussit. Libri ad *Tarquinium* allati, servati sunt usque ad *Bellum Marsicum:* & tunc unà cum *Cistâ lapideâ*, in quâ sub *Jovis Capitolini* Templo reconditi sunt, conflagrârunt dicti Templi Incendio. A talium rerum Fictoribus adornata sunt quædam Fragmenta, ab Autoribus citata, quæ *veterum Prophetarum* de *Christo* Effatis multò planiora sunt; & hoc nomine

Fictionem

Fictionem redolent; ut ſolent piæ Fraudes omnes. Adeò ut vetera *Sibyllina* in Orbe jam hodiè, Nomine & Rumore, potiùs quàm Re, circumferantur. Et fortè ſapientiores Ethnici talibus fidem reverà non adhibuerunt: ſed politicum erat: & cùm plebs talia crederet, ſatius erat ut Magiſtratus ejuſmodi *religioſis Fraudibus* in Obedientiâ contineret populum; *Dii ſic voluere: Oraculo monitum eſt: Sibyllæ prædixerunt:* quia *populus vult decipi, & decipiatur.* Nam omni ævo in uſu fuerunt tam piæ, quàm politicæ Fraudes, inter quas numeranda ſunt *Sibyllina*, quæ nullo ſenſu erant *Oracula*, niſi quòd fuerint dubia, obſcura, & Amphiboliæ plena, ut ita in utramque partem & latiorem ſenſum conſtruerentur, & omni Eventui indifferenter ſubſervire poſſent. Ne autem hæc gratis dixiſſe videar, audiamus *Ciceronis* de hac Re Sententiam in Lib. II de Divinatione; *Sibyllæ Verſus obſervamus, quos illa furens fudiſſe dicitur. Quorum Interpres nuper falſa quædam, hominum famâ, dicturus in Senatu putabatur, eum, quem reverà Regem habemus, appellandum quoque eſſe Regem, ſi ſalvi eſſe vellemus. Hoc ſi eſt in Libris, in quem Hominem, & in quod Tempus eſt? Callidè qui illa compoſuit perfecit, ut quodcunque accidiſſet, prædictum videretur, Nominum atque Temporum Definitione ſublatâ. Adhibuit etiam latebram obſcuritatis, ut iidem Verſus aliàs in aliam occaſionem poſſe accommodari viderentur.* Ex ejus verbis conſtat, eum hæc in Libris non vidiſſe, ſed ea tantùm Traditione accepiſſe. Nempe *Ciceroni* & Sapientioribus ſubolebat talium Fraus: ideóque à genere fœminino in maſculinum *qui* tranſit; cùm crederet hoc eſſe aſtuti alicujus nebulonis opus, ſummâ cum Induſtriâ & Meditatione confictum. Et ut adduximus *Ciceronem Sybillina* ludificantem, ſic etiam adducemus *Plutarchum*, qui in Dialogo de *Oraculorum Defectu* idem facit: ibi enim *Boethus* inclamat, *Sibyllæ* & *Bacchides*, ut in Buccam venit, diſſeminârunt Nomina & Verba omnis Generis Eventuum, quorum quædam cùm fortaſſis evenirent, falſum quod nunc dicitur, poſtmodum verum eſſe contingat.

Si *Cicero* & *Plutarchus* non crediderunt, an *Chriſtiani* credent? Cùm talia apud ipſos Ethnicos ſordeſcerent, haud mirum eſt, quòd eæ, quæ poſtmodum (arreptâ hac *Sibyllini* nominis Occaſione) editæ ſunt, quorundam *Chriſtianorum* piæ Fraudes, à *Celſo* & *Ethnicis* ſtatim detectæ & exploſæ fuerint, *Chriſtianæ Religioni* plus Detrimenti quàm Emolumenti afferentes, eámque Ethnicorum Contemptui & Deriſui exponentes. Miror Chriſtianos talia deprompſiſſe Tela, quorum acies tam facili negotio retuſa. Abſit ut quis prætendat Dei cauſam de-

fendere fictionibus ac mendaciis, & tam ineptis Argumentis, quæ eam potiùs enervare quàm corroborare cenſeant prudentiores. Nam aliquam cauſam debili ac infirmo argumento defendere, plus ei nocet & officit, quàm adverſarium afficit: à quo itaque abſtinuiſſe longè ſatiùs fuiſſet. Sic *Chriſtianitati* Patrocinium quærere à *Sibyllinis*, eſt cauſam perdere. Spero *Chriſtianam Religionem* non tam infirmis rationibus niti: ne fortè, fallaci fundamine ſubducto, collabaſcere & ruere potiùs quàm confirmari ſentiatur *Chriſtianitas*.

Unde autem tam myſterioſum Nomen natum, & ad nos derivatum fuerit, in ſequentibus dicetur. A *Sacerdotibus Ægyptiis* fingebatur, *Phœnicem* viſum fuiſſe apud *Heliopolin*. Addam, immò & apud quamvis urbem: ſed meliore prætextu fictum, quòd apud *Heliopolin* viſus fuerat *Helios*, (qui *Phœnix*,) alludendo ad nomen, in quo latebat *Jocus*, qui ab aſtutis Sacerdotibus, ut Myſterium, obtrudebatur ignaræ plebi. Cùm autem, in Notis noſtris ad *Itinera Mundi*, *Phœnicis* Fabulam explicavimus, *Oſirin* noctu amiſſum, criſtinâ luce reperiendum docuimus, & *Sirenum Mythologiam* expiſcati ſumus, (tanquam in *Chimæris* ſectandis & proſequendis verſati;) ſic & hujus loci ſcopus videtur depoſcere, ut, ejuſdem cenſûs, *Sibyllæ* origini etiam clariorem aliquam Lucem (quaſi â fulgentiore *Sydere* derivatam) affundamus.

Ut itaque *Sibyllarum* etiam Myſterium recludatur, & Fabula (ſuper quam tota hæc fundatur hiſtoria) retexatur, præmittendum eſt, quòd cùm tota vetuſtiſſimorum Hominum Felicitas & vivendi Ratio in *Agriculturâ* & paſtorali Vitâ conſiſteret, ab illorum temporum Vatibus & Sacerdotibus conſcriptus eſt ſuprà memoratus كتاب الفلاحة *Liber Agriculturæ*, qui Religionem & Agriculturam miſcebat, ut proſperitate hujus, homines ad illam excitari poſſent; & ut exercitio illius, in hac etiam feliciores & beatiores evaderent. Cúmque à *Vetutiſſimis Chaldæis* & *Arabibus* (ut teſtantur *Maimonides* & *Abulpharagius* & alii,) *Stellæ* crederentur inſignem vim habere in procurandis Pluviis & Imbribus, unde Terra donaretur lætiori fruge, & talem ſortiretur fertilitatem, quæ eorum Agriculturæ & Paſtorali vitæ apprimè quadraret, *multæ Conſtellationes* à Pecoribus & Rebus ruralibus denominatæ ſunt, ut olim in Notis ad *Olugh-Beighum* docuimus. Hinc etiam XII *Signorum Zodiacalium* Nomina, ab antiquiſſimis *Chaldæis* & *Phœnicibus* excogitata, Rei ruſticæ adaptata ſunt: quædam verò à *Græcis*, pro ſuo Ingenio, mutata & aliter interpretata. Propter dictam Rationem, horum XII Signorum *primum* (quod Tempore *Hipparchi*

TAB. XI. pag. 397.



maris accipias...

Gemelli vitulini.



ut utrum horum

Gemelli agnini.

Gemellorum tria parit

Gemelli hœdini.

Reverendo Viro GULIELMO STANLEY *S.T.D.*[ri] Archidiacono Lond. *et Cathedralis Paulini* Præb. Residentiario *hanc Tabulam Gratitudinis ergô lubens meritóq.* D.D.D. *Autor T.H.*

MB. sculp.

Hipparchi in *Zodiaci* & *Eclipticæ* Interſectione ſitum,) dictum eſt κριὸς, gregis *Zodiacalis* Dux in Circulo ſignifero, qui Ecliptică Figurâ, Cœlum ad inſtar Zonæ cingit: is eſt Orientalibus حمل *Hamàl*, i. e. *Agnus adultus*, ſc. *Aries*, Dux pecudum & gregum. Et proximè veniebat *Taurus*, Dux pecorum & armentorum; quia verno tempore (cui hæc duo Signa præſunt,) moventur Sales, qui omnis vegetationis & generationis principia ſunt, quibus Animalia ad ſalacitatem excitantur, & hujuſmodi Beſtiæ incaleſcunt; & cùm ſuas partes egerint, concipiunt: & deinde pariunt (ſecundùm tertium Signum) *Gemellos* pecudum & pecorum, vel ſaltem, ut *Geminos* pariant benè à Poſſeſſoribus ominatum eſt, & ab harum *Stellarum Influxu* ſperatum. Ideóque in *veterum Aſtronomorum* (ut & *recentiorum*) Sphærâ, pingendi eſſent *Gemelli* (non *Hominum*, ſed *Brutorum*,) qui in beſtiis gemellos procurarent, ut impoſiti Nomins ſcopo reſpondere, & rei ſignatæ Signum indigitare poſſent, cùm hæc omnia ad Agriculturam ſpectent. Nam *nihil ad Rhombum* ſunt *Caſtor* & *Pollux*, *Phœnicibus* non noti, ſed ex *Græcorum* Mythologiâ poſtliminiò petiti; cùm certè fuerit aliquid hiſce Denominationibus prævium & tempore antecedens. His ſupervenit Sol vernans: adeò ut *Aries* & *Taurus*, qui, virtute Solis & Salis ad ſalacitatem excitati, ſuas imprægnant fœmellas, quæ deinde pariunt *Gemellos*. Nam ſi verum ſit illud *Ariſtotelis*, *Sol & Homo generant hominem*, tum æquè verum eſt, *Quòd Sol & hæc Animalia ſuam generant ſpeciem*; cùm ſine Solis cooperatione nulla fiat generatio nec fructuum maturatio. Hiſce proximum Signum eſt *Cancer*, ubi Sol in *Tropico verſatus*, ad inſtar hujus Animalis *retrogradus* eſt. *Cùm* (inquit Macrobius Libro I, capite 17,) *Sol in Signo Cancri æſtivum Solſtitium facit, in quo eſt longiſſimi diei terminus, & inde retrogreſſum agit ad diminutionem dierum*; *Pythius eo tempore appellatur*, ὡς πύματον θεῶν, ὅ ἐστι, τὸν τελευταῖον δρόμον τρέχων. *Idem ei nomen etiam convenit, cùm Capricornum rurſus ingrediens, ultimum breviſſimi diei curſum intelligitur peregiſſe.* — *Ideò autem his duobus Signis, quæ Portæ Solis vocantur, Cancro & Capricorno hæc omnia contigerunt, quòd Cancer animal retrò atque obliquè cedit, eâdémque ratione, Sol in eo Signo (ut ſolet) incipit agere retrogreſſum. Capræ verò conſuetudo hæc in paſtu videtur, ut ſemper altum paſcendo petat: ſic & Sol in Capricorno incipit ab imis in alta remeare.* Hactenus *Macrobius*. Poſteà Sol perveniens in *Leonem*, ubi ſc. *Sol* evadit *Leo*, & ſicut illud Animal eſt fortiſſimum, in ſummo ſuo vigore & fortitudine conſtitutus in menſe *Julio*. Deinde Sol viſitur in *Virgine*, & poſteà in *Librâ*, ubi eſt in Æquilibrio Aſcenſûs

censûs & Descensûs, inter utrumque *Tropicum* seu *Solstitium* medius, quo in loco, est etiam Caloris & Frigoris Æquilibrium. V. p. 258, Lib. I, Cap. 21, fine.

Secundùm *Phœnices* & *Chaldæos*, Autumnali Tempori (quando Fruges ad Messem maturæ,) præest *Signum Virginis*, seu *Puellæ* Spicas in agro legentis. Hinc, insigni Astronomo Persæ *Abu Ma'shar* (corruptè *Albumasar*, & Απομάσαρης dicto) in Sphærâ *Pers-Indicâ*, *in primo Signi Virginis Decano oritur Puella cui Persicum Nomen* دوشيزه *Dushîza*, seu *Virgo*. In nostro *Albumasaris* Exemplari *Arabico*, pessimè scripto, legitur ينكلوس دوستيه *Yancalos Doustyia*, sensu planè nullo: & Veteris Versionis Autor videtur in suo Exemplari legisse, adhuc pejus, سكديدس دي درسمه *Secdeidos De Darsama*, quod etiam nihil est. At cum *Virginis Signum Græcis* sonet Στάχυς, hinc *Arabes* hauserunt istum *Græcum* Nomen, à Librariis postea, dicto modo, corruptum; quod rescribendum est ستكيوس اي دوشيزه *Stachys*, *ea est* Persicè *Dushîza*, *Virgo*. Nam *Arabum* Scribis familiare est *exotica* Nomina corrumpere. Nempè, præcipua hujus Signi Stella, est dictæ Virginis *Spica*, quæ Spicarum Fasciculum repræsentare censetur. Cùm enim quivis Asterismus, pro libitu fingentis, quamlibet Figuram æquè referre supponeretur, pro hisce Stellis configuratis, olim fingi & pingi solebat *Virgo Spicam in manu tenens*, seu *Spicarum Fasciculum*; uti & hodiè, apud nos etiam, pauperiores Puellæ virgines, tempore messis triticeæ, Spicas legunt, eásque, in parvum Fasciculum seu Manipulum (*Anglicè* a Songall) colligatas, domum reportant. *Virginis* itaque *Signum Cæleste* est tantùm Emblema Puellæ Terrestris (*Anglicè* a Leaser) quæ Messis tempore Spicas legit; idque, necessitatis sublevandæ causâ: quod quidem opus olim magis notabile, cùm *Judæis* jussum ut pinguius aliquod Spicilegium pauperibus relinquerent.

Apud *Arabes* & *Persas*, hoc Signum Synecdochicè vocatum est سنبل *Súmbul*, seu سنبله *Súmbula*, i. e. *Spica*; quæ tamen propriè, & absque figurâ, est tantùm primaria hujus Signi Stella, *Spicarum Fasciculum* repræsentans. Et hæcce *Virginalis Signi* Pars (nomine tamen totius, *Virgo* subinde vocata,) toti huic Signo exprimendo sufficiebat, cùm plura, vel pingere, vel verbis prolixiùs describere, non esset necessarium. *Chaldæis* & *Phœnicibus* שבולא seu שבולה, Σίβυλλα, est *Cælestis Virginis* Signum: unde (cuique hoc perpendenti) Fabula Sibyllarum tam obvia est, ut quisque fortè dolebit quòd, sine me monente, haud citius rem perceperit. Vocem quod attinet, eadem est

quæ

Persica seu Chaldaica Virgo spicilega, à Symbolo vulgò nominata Σίβυλλα, *i.e.* Spica.

Consultissimo Viro HENRICO NEWTON *LL.D.ri uni* Magistrorum in Cancellariâ, *et* Admiralitatis *Angliæ* Advocato *generali, atq; Diœceseos* London Cancellario *dignissimo, hanc Tabulam Gratitudinis ergô lubens meritóq; D.D.D. Autor T. H*

quæ in S. *Bibliis* שבולת *Sibbóleth*, quæ quidem Forma quibuſdam forte videatur aliquantulum diverſa. Sed quiſque in *Hebraiſmo* verſatus novit fœmininas Terminationes *a* & *eth* perinde eſſe, ut eſt נוגשה & נוגשת *Nogeſhà*, vel *Nogéſheth*, מלחמה *Milchama*, vel מלחמת *Milchemeth*; & ſic שבולה *Sibbola*, vel שבולת *Sibbóleth*, cum ejuſmodi aliis. Adeo ut, cum in his nullus ſit Delectus, in quamcunque harum Formarum primò incideris, eâ utaris. *Sibyllæ* autem ſuas Nugas ſubinde ſcribebant non tantum in *Libris*, ſed & in *Arborum Foliis*, facilè à Vento diſperſis; unde natum Proverbium, ut ſolutæ Chartæ, diſperſioni obnoxiæ, *Sibyllæ Foliis* aſſimilarentur. A *Phœnicibus* itaque & *Chaldæis* in *Zodiacalium Animalium* ſeriem inſerta eſt *Virginis* ſpicilegæ *Spica* erecta, eis dicta שבולה ſeu שבולא Σιβυλλα; meliùs reſcribendum Σιβυλα: ſub quo tamen nomine (ut dictum) totum *Virginis* Signum intelligi ſolebat: adeò ut, ſive *Spica*, ſive *Virgo*, hæc *Conſtellatio* dicta fuerit, perinde eſſet. Hac ratione factum eſt, ut Vocabulum, quo *Spica propriè* ſignificata eſt, tandem *Synecdochicè* pro *Virgine* acciperetur; cùm reverà id Nominis *Grammaticè* & *verbo tenùs* denotaret ſimplicem *Spicam*, Virginis Spicilegæ *Signum*, quod itaque *Spicæ* Nomine inclareſcere cœpit, & *Sibyllam* ſonabat. In poſterum ergò, non *Sibyllâ Cumanâ*, nec *Erythræâ*, &c. noſtræ aures perſtrepant: ſed *Sibylla Cæleſtis*, eáque unica ac ſola, audiatur & conſulatur.

Hinc, inquam, Sibyllinæ Fabulæ origo. Cùm enim hæc eſſet *Virgo* Cœleſtis, *Sibyllæ* ſeu *Spicæ* nomine ſignata, & illis temporibus ſcitum eſſet (quia ænigmaticum & obſcurum, dum plana & omnibus patentia ſordeſcerent,) & in eorum Mythologiâ ſpecioſum & ingenioſum, viſum eſt huic *Spicæ*, ſeu *Virgini*, aliquod תומה Θαῦμα tribuere, quaſi eſſet abſcondita revelans, & occluſa retegens reſeránſque, adeóque *Vatem* ſeu *Prophetiſſam* eandem appellare. Nam cùm ab Aſtris ſuam præteritorum & *futurorum Scientiam* illæ Gentes ſemper peterent, non erat illepidum, nec Veterum Ingenio incongruum, huic *Vaticinatrici Virgini* (tanquam *Scientiæ* Cœleſtis fonti) Σιβύλλης ſeu *Spicæ* nomine ſubindicatæ, rerum Indicationes & Revelationes attribuere, & aſtutè, ad deluſionem vulgi (ut ſolebant) multa futilia de eâ prædicare.

Eſt itaque hæc fictio valdè antiqua, imo antiquiſſima, *Chaldæorum* & *Phœnicum* Temporibus coæva: cùm ex horum Theologiâ deſumpta fuit hæc fabula. Apud eos enim, maximum Ingenii ſpecimen ſemper habebatur aptè fingere Myſteria, & res planas ingeniosè reddere

dere abſtruſas, eáſque ut Gryphos & Ænigmata proponere, dum cordatiores in talium admirationem raperentur, & ut horum *Oedypi* eorum Interpretationi ſatagerent & Explicationi allaborarent: ignarum autem vulgus, Sacerdotum & Sapientum Traditionibus implicitâ fide addicti, ſummâ credulitate, talia ut indubitata & oracula admiſerunt. Cùm itaque ob cœleſtem fabulam, de *Vaticinatrice Virgine* percrebeſceret fama, & quòd deberet eſſe, ut Sanctior (non autem nupta aut deflorata) quæ talium Revelationum particeps fieret, in more erat, ut quævis *deliræ* & mente captæ Virgines, de futuris & abſtruſis rebus capitis ſui *Chimæras* evulgando, novas Revelationes edere pretenderent. Et tum deinceps, talis vaticinandi prætextus doctiores Gentes, *Græcos* & *Latinos*, & omnes curioſarum rerum indagatores pervaſit, qui Imitationis Prurigine ducti, Virginalia ſua Oracula publicare non dubitârunt, dum interim talium Origo diu oblivioni tradita fuerat, & ab immemorialibus ſeculis ignorata: res autem ipſa firmâ ac indubiâ fide recepta, & tutò ab omnibus credita.

Quòd autem *Inſani* æſtimarentur *ſancti*, non eſt mirum, cùm *omnes Vates*, Tempore Vaticinii, ferè erant quaſi *Ecſtatici:* & ſanè apud *Turcas*, qui de dictis oraculis nihil unquam audiverunt, etiam hodiè, quivis *Maniacus* æſtimatur *Sanctus*, quia ſpiritu (ut credunt) afflatus & actus: unde fauſtum ducitur talis hominis Manicam tangere, vel eum tangere qui eandem tetigerat. Et talis ab eis & *Arabibus* vocatur مجنون *Spiritu Obſeſſus*, à Perſis ديوانه *Dæmoniacus, Furens*, ſeu ديوانه خدا *Furens Deo*, Numine tactus & afflatus, Ενθεος.

His poſitis, non ſanè mirum deinde eſſe debet ſi (ad talis Virginalis Vatis exemplum) aliquæ aliæ furentes, hoc prætextu, in tantam ſeductæ fuerint Inſaniam, ut fortiori Phantaſiâ ac Imaginatione correptæ, vel reverà crediderint, vel ſaltem prætenderint, ſe prophetiæ dono inſignes eſſe; adeóque, dictæ cœleſtis *Virginis*, ſub Σιβύλλης, ſeu *Spicæ* nomine, Perſonam induentes Ethnici, (quaſi Signiferâ Zonâ ſe ad vaticinandum accinxerint,) à primis mythologiſtis olim accepta *Sibyllina*, ſeu *Virginalia* Oracula, de novo recudentes, ea in variis Mundi regnis (præſertim *Græciâ* & *Italiâ*) ediderint tales *Nugivendulæ*. Neque aliquis mirabitur ſi, *citra Chriſtum* (hinc arreptâ occaſione) dictas Vaticinatrices imitando, aliquis *Chriſtianus Monachus*, piâ fraude ductus, talia etiam *ficta Oracula* Hexametro Carmine *Græco* effuderit. Nam poſt excogitatos ab Aſtrologis, rem ruſticam ſæpè reſpicientibus,

ſpicientibus, Aſteriſmos, Mythologiæ proceſſus erat triplex: nempe I. *Primò*, à Mythologiſtis *Chaldaicis* & *Phœniciis*, pro ingenuitatis ſpecimine, cuſa ſunt Virginalia quædam Vaticinia. II. *Secundò*, ad eorum exemplum, apud *Romanos* & *Græcos* tales fuêre Virgines Vaticinatrices, & Vaticinia ad res fraudeſque politicas ſpectantia. III. *Tertiò*, eodem exemplo, apud *Chriſtianos* prætendebantur ficta quædam Virginalia oracula, ad piam fraudem excogitata, Res divinas & *Theologiam Chriſtianam* ſpectantia, præſertim quaſi de *Chriſto* aliquid prædixerint *clariùs* quàm fecerunt *Dei Prophetæ* veteres in *Bibliis:* unde fraus facta eſt manifeſta.

Ne itaque in myſterioſis *Sibyllarum* Tenebris diutiùs hæreatur, in Mythologiam veterem urinando, Fabularum Involucro diu tectas Margaritas expiſcati ſumus, & ex fictionum umbris clariorem veritatis lucem (ut ſpero) eduximus. Ne quidem Σιὸς βελῇ (abſit prophanum) uſi ſumus, quia neque valdè divinitùs conſulta, neque humanam literaturam multùm redolet. Cœlitùs autem petito conſilio, dicta Oracula ſubtiliter excogitata, in antiquam fabulam reſolvuntur. Et ne Sibylla diutiùs à *Cumis* ad *Erythram*, & deinde aliorſum vagari, & à regno in regnum pedes ire cogeretur, hæcce terreſtris (ut vulgò creditur) Virgo, à nobis ex hoc Mundo terreno relegata, & ad ſuperos tranſlata, & in *Phœnicium* aut *Chaldaïcum* ſuum Cœlum, unde primò venerat, evecta, inter ſocia Sydera relata eſt, &, elevatâ autoritate, in priſtinam cœleſtem Sedem reſtituta.

Ut videas aliorum de hac re opinionem, *Dion. Petitus* in ſuo Libello ſtatuit tantùm unam *Sibyllam Erythræam*, reliquas negando. *D. Gallæus* ſcripſit duos craſſos Tomos in 4to, in quorum Primo, omnia *Sibyllina* corraſit & congreſſit, & in Secundo, omnia ut falſa & fictitia refutavit.

Cap. XXXIII.

Veterum Perſarum Fidei Summa: quæ tamen pleniùs petatur ex ſubſequente Libro Sad-der. Quid credunt de Deo & ejus Attributis; quòd ſit Omnipotens & Æternus, ſine Quantitate & ſine Qualitate, &c. De Ponte judiciali, & Beatorum ac Miſerorum Statu.

PERSÆ, ab origine Gentis, ſemper crediderunt in unicum verum Omnipotentem & Immortalem Deum: & ii qui *Chriſto* citeriores (præter alia Nomina) *Chriſtianos* nominant سه خوان *Sih-chuân*, *Trivocantes*, ſeu *Trinitarios*. Omnes Libros ſuos inchoant hujuſmodi formulâ, بنام یزدان بخشایندهٔ بخشایشگر مهربان دادگر *in Nomine Dei Condonatoris, Miſericordis, Juſti*, quæ conſonant cum eis quæ leguntur *Exod.* XXXIV. 6, יהוה יהוה אל רחום וחנון *Dominus, Dominus eſt Deus Miſericors & Gratioſus*, &c. Deo ſe applicant in omnibus neceſſitatibus cum دعا *Prece* & زاري کردن *Supplicatione*, & به نالیدن *Ingemiſcendo*, سبحان پاکا *Sobhâna Pakâ*, i.e. *Proh Sancte Deus!* cum aliis multis formulis. Credunt omnia Dei Attributa quæ nos credimus; quòd ſc. (ut eorum verbis utar,) is ſit omnium rerum کردگار *Factor*, ſeu آفریدگار *Creator*, & خداوندگار *Dominator*, & پروردگار *Altor*, ſeu *Suſtentator*, Mundi, ſcil. ejuſdem Conſervator: quòd ſit جاوید *Æternus*, ſine initio aut fine, دیرومند *Omnipotens*, cum pluribus aliis quæ recitare longum. Quòd ſit داور *Judex* omnium hominum, & Diei Judicii, in quo futura erit omnium رستخیز *Reſurrectio* generalis, in quâ quiſque accepturus eſt ſecundùm کرفه ها *Merita* ſua; quia ſc. inde ſequetur زندگانی جاوید *Vita æterna*, quæ اشوان *Beatorum* erit felix, & دوزخیان *Infernalium* miſera: quia Deus paravit بهشت *Behiſht*, *Paradiſum*, ſeu مینو *Mînu*, *Paradiſum-cryſtallinum*, eodem modo quo in *Apoc.* XV, 2, *Victores Sancti conſtituti ſuper Mari cryſtallino*. Et ibi erit پاداش *Præmium* pro Bonis: ſed pro miſeris erit دوزخ *Infernus* (al. dictus زرند *Zerènd*, ſeu زرنگ *Zerèngh*,

Zerèngh, ſc. مغاک *Barathrum*,) ubi تاوان *Mulcta* ſeu *Pœna*, ſive پاداه فره *Retributio mala* vel *Supplicium*. Tataris *Paradiſus* eſt اوجمق *Ogjmak*, & *Gehenna* طامو *Dâmu*, quam intelligunt ſub nomine Barathri profundiſſimi. Agnoſcunt ſe quotidie peccare: ſed profitentur ſe eſſe پشیمان *pœnitentes* propter omne peccatum ſuum ſibi notum, ſive ſit منشني *Cogitatione*, ſive گویشني *Sermone*, ſive کنشني *Facto*, ſitve تني *Corporale*, ſeu reſpiciens corpus, ſitve روادي *Spirituale*, ſeu reſpiciens animam, ſitve گیتي *Mundanum*, ſeu reſpiciens hunc Mundum, ſitve مینوانی *Paradiſiacum*, ſeu reſpiciens alterum Mundum. Credunt Planetarum & Angelorum omnibus Rebus & Regionibus ac Urbibus Præfecturam: quòd ſint Dei miniſtri pro hominum Bono, & quoque Malo ſeu Punitione, ſi ei videbitur; quòd nempe mittantur ad exequenda illius Mandata, ad juvandum in Religione pios, & ad arcendum ab eis Tentatorem. Quòd ſc. quiſque particularis homo habeat ſuum Angelum bonum, & quoque malum, qui in contrarium trahat: Diabolum eſſe infenſiſſimum humani generis hoſtem, ſuas وسوسه *Tentationes* ſeu بد اندیشها *Malas cogitationes* ſuggerentem & inſinuantem, quantum Deus patitur. Et hoc concordat cum D. *Pauli* ſententiâ, quòd ſcil. ſunt Miniſtri ſeu *Spiritus miniſtrantes pro eis qui Hæredes ſalutis*; ad defendendum & protegendum, eóſque à malis retrahendum, & ad mala ab eis arcendum ac amoliendum. Nec hoc tantùm pro Hæredibus, ſed & pro iis qui exhæredati, quamvis eos à peccato cohibere non poſſint. Quòd quiſque Angelum ſuum habere credebatur, haud obſcurè colligitur ex loco de Petro oſtium pulſante; idque à pueritiâ; cùm Chriſtus de pueris & infantibus dixerit, *Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei cæleſtis*. Tales (ut mihi videntur) ſunt qui ſub defunctorum ſpecie apparent, de rebus faciundis præcepturi, ſi aliquis eos alloquitur. Nam illæ Species, ſeu illa Spectra, non ſunt hominum Corpora, quippe quæ ſunt in Sepulchris; nec ſeparatæ Animæ, quippe quæ in humanis verſari deſinunt; nec Cacodæmones, quippe qui bona nuntiare & præcipere non ſolent. *Viſio beata* (quando ſcil. Angelus apparet, vel apparere creditur,) vocatur اندا *Andâ*, quæ ab iis definitur *Juvenis Figura, quam Angeli piis viris oſtendunt*. Et quidem quòd ſolebant ut Juvenes formoſi apparere, conſtat ex iis qui apparebant Abrahamo, & poſteà iverunt ad Sodomam, ubi, propter egregiam formam, eos maſtuprare, vel pædi-

care voluerunt Sodomitæ. *Spectri*, ſeu Spiritûs immundi, *Viſio infauſta* appellatur سنبات *Sanbât*, ſeu سنبوت *Sanbût*, & exponitur دمون بـي بود *Spectrum*, ſeu *Species ſine eſſe*, ſeu Apparentia ſine Exiſtentia, **a ſhew without being.**

Perſæ credunt hominibus inſidere خـورہ *Chura* ſc. *Lumen* quoddam, ſeu *Illuminationem* à Deo miſſam eiſque infuſam, per quam alii in alios dominantur, eis præſunt, eóſque regunt, & habiles redduntur, & Artes ac Artificia diſcunt. Hujuſmodi illuminatio quæ Regibus & Magnatibus & Doctis atque Juſtis infunditur, (quâ ad gubernandum habiliores fiunt,) vocatur کیاخرہ *Keiáchura*, ſeu کیان خـرہ *Keiânchura*, i. e. *Principum* ſeu *Illuſtrium Illuminatio*. Dictum iſtud *Lumen* aliàs aliquando vocatur اسپهبد *Iſpáhbad*, i. e. *Dux, Regens, Gubernator*, & دور اسپهبد *Lumen Regens*, & اسپهبد خورہ *Gubernans Illuminatio*. Hæc omnia nihil aliud volunt quàm id quod vulgo vocatur *Lumen Naturæ*, ſeu *Lumen Rationis*. Et quidem in *Ph. Gj. Iſpáhbad* etiam magis philoſophicè exponitur دفس ناطقہ *Anima rationalis*, quæ ſcil. Corporis Gubernatrix, illud regens & in omnibus dirigens. Ut autem meliùs innoteſcat quid de Deo ſentiunt, & quo ſtylo eum alloquuntur, id accipe ex, ſummæ apud eos autoritatis, Libro *Sad-der*; in cujus Proœmio Sacerdos, qui eum Librum conſcripſit, hæc ſequentia habet carmine effuſa,

بنام خداوند ذات وصفات	*In nomine Domini Eſſentiæ Divinæ & Attributorum,*
خداوند فیض وخدائی حیات	*Domini abundantiæ & Dei vitæ :*
خدائی کہ عقل وروان آفرید	*Dei qui intellectum & animum creavit,*
خدائی کہ او جسم وجان آفرید	*Dei qui corpus & animam condidit :*
خداوند هست وخداوند زیست	*Domini exiſtentiæ & Domini vitæ,*
خدائی کہ در کل عالم یکیست	*Dei qui in toto orbe unus eſt :*
خدائی کہ از عنصر او مختلف	*Dei qui ex elementis ſuis variis*
سما کرد گردان زمین معتکف	*Cælum fecit circumrotans & Terram fixam.*
سما را بنقش کواکب نگاشت	*Cælum ſtellarum Variegatione depinxit,*
نہ ایوان افلاک را بر فراشت	*Orbes novem Xyſtis ſeu Contignationibus extulit.*

Terram

زمین از موالید معمور کرد	*Terram ſobole-humanâ habitatum reddidit,*
درو روشنی از مه و هور کرد	*Inque eâ lumen ex Lunâ & Sole effecit.*
جهانرا زجوهر ببست وعرض	*Mundum ex Subſtantiâ & Accidentibus compoſuit;*
از آن کار آدم بد اورا غرض	*In eo opere Homo fuit præcipua cura ejus:*
که تا آدمی زآن هویدا شود	*Ut ſc. Homo exinde manifeſtaretur,*
خلایق ازین دور پیدا شود	*Creaturæ ex iſto ſeculo comparerent,*
پرستش کنندش زروئی نیاز	*Eumque propter neceſſitatem colerent,*
بگویند با خالق خویش راز	*Et Creatori ſuum arcanum dicerent:*
خدارا کنند از ره بندگی	*Ut Deo per modum ſervitûs facerent*
زامر او اطاعت پرستندگی	*Mandato ejus obſequium cultûs.*
اگر بندهٔ راه پاکان گزین	*Si ſervus es, viam ſanctorum elige,*
سخنهای دین را زپاکان به بین	*Verba Religionis à ſanctis percipe.*
زپاکی واز راستی سر مپیچ	*A ſanctitate & rectitudine caput ne flectas,*
که در دین پاکان جزین نیست هیچ	*Nam in ſanctorum religione, præter hoc, non eſt quicquam.*
مناجات	*Soliloquia*; ſc. Petitiones ut is hoc Opus feliciter præſtare poſſit.
الهی دلم را صفائی به بخش	*O Deus, cordi meo claritatem largire,*
من بی نوا را نوائی ببخش	*Mihi inopi opulentiam largire.*
به پیغولهٔ ظلمت افتاده ام	*In obſcuritatis angulum illapſus ſum,*
زشیطان بصد شبهت افتاده ام	*Propter Satanam in centum dubia incidi:*
زشیطان دلم را رهائی بده	*A Satanâ cordi meo liberationem dato,*
براه خودم رهنمائی بده	*In viâ meâ directionem dato.*
دیو را زرگهای من دور کن	*Dæmonium à venis meis procul agito,*
دل ودیده ام را پر از نور کن	*Cor & vultum meum lumine impleto.*
مکن دیورا بر تنم کامگار	*Ne facito Diabolum ſuper corpus meum voti compotem,*
مرا دستگیری کن ای کردگار	*Mihi manuductionem facito, ô Creator.*

Cor-

دلم را مبر جانب حرص وآز — *Cor meum ne ferto ad cupiditatem & avaritiam,*

بلطف وکرم کارهایم بساز — *Favore & beneficentiâ opera mea facito.*

تو جان مرا محرم راز کن — *Tu animam meam arcani participem facito,*

در فیض بر روی من باز کن — *Abundantiæ portam coram facie meâ aperito.*

آلهي تو داني که بیچاره‌ام — *O Deus, Tu nôsti quàm inops sum,*

بدام درج ستمگاره ام — *In reti Dæmonii iniquissimi sum.*

زدام دد ودیو بیرونم آر — *E reti feræ-rapacis & Diaboli me eripito,*

که پرورد گاري وآمرزگار — *Quia Altor es & Condonator.*

آلهي تو آگاهي از کار من — *O Deus, Tu conscius es operis mei,*

همي داني احوال واسرار من — *Nôsti res & secreta mea.*

که در راه دینت کمر بسته ام — *Nam in viâ religionis tuæ cingulo me accinxi,*

امید از همه خلق بگسسته ام — *Spem ab omni creaturâ abrupi.*

بتو دارم امید اي دادگر — *In Te spem habeo, ô Justissime,*

که این نظم صد در رسانم بسر — *Quòd hanc τῆς Sad-der compositionem ad finem perducturus sim.*

درین نظم عقل مرا تازه کن — *In istâ compositione intellectum meum vegetum facito,*

وزو عالم را پر آوازه کن — *Et Mandum rumore ejus impleto.*

چنان کن هر کس که این بشنود — *Ita efficito, ut quicunque hunc* [librum] *audierit,*

بدین مایل آرد بدین بگرود — *Ad Religionem inclinetur, in Religionem credat.*

ازو تازه گردد دل وجان شان — *Ex eo vegetum sit cor & anima eorum,*

زجنت بیابند یکسر نشان — *Paradisi signum simul inveniant.*

روان همه شان باشند ازین — *Hinc omnium animæ erunt lætæ,*

بکوشند آنگاه در راه دین — *Et exinde in viâ Religionis annitentur.*

آلهي زبان مرا در بیان — *O Deus linguam meam in explicatione ejus*

روان ساز مانند آب روان — *Fluentem facito ad instar aquæ fluentis.*

Cœlestia

Cœleſtia gaudia credunt eſſe omnis generis perquam maxima, quæ in genere memorâſſe ſufficit: at in Suppliciis magis particularis eſſe præſtat. *Perſæ Mohammedani* aliquando vocant دمندان *Inflatorium*, ubi Pœna per Ignem. De *veteribus* etiam loquens *Shahriſtâni*, ex eorum ſententiâ, meminit Pœnæ per Ignem in altero Mundo: ſed is eſt ex *Arabibus*, qui non ſemper fideliter & infallibiliter tradunt Perſarum res. Nam *veteres Perſæ* in Libris ſuis id non agnoſcunt. In Libro *Sad-der* memoratur intolerabilis Animæ Fœtor, cum ejuſmodi aliis, quæ non tam ſpiritualia quam ſenſualia Supplicia, & tamen eis affici volunt Animam, incogitanter loquendo. Et tales ſunt quæ in Libro *Erdavirâph-nâma* enumerantur Pœnæ Damnatis irrogandæ. Ibi enim, in Capite de *Statu Gehennæ*, dicit *Sorûſh* & *Adur-Jezàd* ei monſtrâſſe ſupplicia Peccatorum, eúmque deduxiſſe ad Ripam *nigri fœtentis Fluvii* (cujus aqua ut Pix, & frigida ut Nix,) in quem projectæ ſunt miſerorum Animæ plorantes & deplorabiles. Deinde viſæ ſunt aliæ Animæ in *Barathro tenebricoſo*, ex quo erumpebat fumus, & in quo erant Scorpiones & Serpentes & Sanguiſugæ pedes mordentes, & Diaboli peccatorum Animas jactantes, eáſque pungentes, & lacerantes, & vulnerantes, & mordentes, & rodentes ut canes rodunt oſſa. In alio angulo erat Anima Capite humano & Corpore ſerpentis, & multi circumſtantes Diaboli eam capite & pedibus plectentes; ſc. unus eam Bipenni [vel aliàs Securi recurvâ] exaſciabat, alter in eam adegit Pugionem, & alius eam maſſâ ferreâ tundebat perpetuò, & Scorpiones eam perpetuò mordentes, & Trigides, & Lupi, & Leones, aliæque malæ Beſtiæ, illam lacerare non deſinebant. Hæcque, quia fuerat *Pathicus* & *Pædicator*, ideóque eum decerpebant membratim: nam cùm ejuſmodi fuerat Opus ejus in Mundo, Anima ejus in formam Serpentis mutata eſt. In alio loco viſa eſt Fœmina manibus portans pelvim plenam ſanguinis, qui fuit pabulum ejus, eò quòd, Puerpera, non fuerat ſatis cauta quin accederet Aquam, & Ignem, & Lignum اورور *Uruër*. Alibi viſus eſt Homo uno pede ſuſpenſus, in quem pugiones adigebant, & graviter plorabat; hæcque, quia trucidaverat virum aliquem Fidelem. In alio loco viſus eſt Homo cui adminiſtrabant ſanguinem & ſaniem, & in os ejus infundebant, & pugiones adigendo, eum ſeptem membris puniebant; iſque centum doloribus obrutus eſt, quaſi mons in pectus ejus cecidiſſet: hæcque, quia cum alienâ Uxore concubuiſſet. Alibi viſus eſt aliquis propter dolores exclamans, conquerendo quòd ex fame & ſiti torqueretur,

carnem

carnem ſuam rodens laceranſque; hæcque, quia باز مي دگرفتن بـر خوان *Silentium non ſervârat in menſâ*, & aliorum cibos gratis comederat, unde *Churdâd* & *Murdâd* in eum offenſi ſunt, Alio loco viſa eſt Fœmina Mammis ſuſpenſa, & ſemianimis ſicut ebria, quam circumdederant Scorpiones & Serpentes, & Sanguiſugæ eam inceſſanter mordentes in Mammis, & dentibus dilacerantes; hæcque, quia fuiſſet Meretrix, quæ, abiens, Maritum quæſiverat alium. Deinde aliquot paſſus progrediendo, viſus eſt Cœtus Animarum, quæ omnis generis dolores patiebantur, à Feris & Leonibus dilaniatæ, à Sanguiſugis & Serpentibus & Scorpionibus compunctæ; hæcque, quia کشتي *Cúſhti* ſeu *Cingulum* non induerant, & Religionem neglexerant. Poſteà viſi ſunt ſerpentes & ſcorpiones, & fœmina in angulo pedibus ſuſpenſa, cujus lingua per cervicem extracta, & ipſa plorabunda; hæcque, quia non obedierat Marito, & Reſponſa ei ſemper regerebat, & quicquid ab eo audiret, id vehementiùs reddebat. Cùm multis hujuſmodi aliis, quæ narratu prolixa. Hæc talia ſunt ac ea *Veterum Græcorum* & *Chinenſium*.

Perſæ quidem, non omnes in omnibus rebus idem ſentiebant, nec hodiè ſentiunt; ſed habebant inter ſe opinionum diverſitatem & varias ſectas, ut ſupra diximus. Aliqui credebant Beatorum Sedem fore in corpore Solis, ut *Manichæi* & alii Hæretici. Orthodoxi, poſt animæ aſcenſum ad Deum (ut apud Sepulchreta cernitur,) & requiem apud eum uſque ad Reſurrectionem, credunt habitationem corporalem, reunitis animabus, rurſus tandem fore in hoc Mundo renovato & refícto: Terram enim de novo *refingendam*, & talem ejuſdem ſtatum fore in ultimo judicio, ipſi *Indo-Perſæ* produnt, ut ex ſuperioribus conſtat. Idem quoque ex eorum ſententiâ aliunde habuit D. *Huetius* in *Quæſtionibus Alnetanis* p. 290, (ut monuit me Amicus, nam Librum non vidi,) his verbis; *Guebri (qui Zoroaſtrem dogmatum ſuorum autorem jactant,) ajunt Terram olim liquefactum iri, & in aliam formam, longè amœniſſimam, reparatum.* Hæc conſonant cum eorum opinione quam tradit *Plutarchus* in Libro de *Iſide & Oſiride*, nempe *Terram tandem planam & æquabilem fieri, unámque Vitam unámque Civitatem Beatorum fore*, &c. Quâ autem ratione, quóve modo, hoc grande Opus faciendum ſit, non dicunt. Sed quòd hæc ſit reverà eorum traditio, conſtat ex Libro *Sad-der*, ubi, inter Zoroaſtris Præcepta & Canones, traditur talem fore Paradiſum terreſtrem amœnitate, ad inſtar *Horti glorioſiſſimi*, ad quem etiam per Pontem tranſeundum

ad

ad ſtatum renovatum: quod haud multùm abludit ab eo qui in *Apocalypſi* deſcribitur, & D. *Paulus* expectabat, & Orbis melior pars credidit, unde etiam in ipſo *Corano* promittitur. Hæc ergò Opinio de Terrâ in Amœnitatem reformandâ, antiqua fuit *Zoroaſtris*, à quo ad poſteriora tempora deſcendit & continuata eſt. Cùm autem tale quid in *Veteri Teſtamento Zoroaſtri* noto, non fuit revelata, id ille videatur à *Poſtdiluvianis Patriarchis*, ut receptam opinionem, accepiſſe. Ex dictâ opinione reſilire videtur quâ ratione Beatis comparetur talis Paradiſus terreſtris, quando Animæ cum Corporibus reuniantur, nempe dum, ſublatâ maledictione, quâ terra damnata fuit ad producendum Spinas & Tribulas, tunc terra ad primum Beatitudinis ſtatum reſtituatur, uti fuit ante *Adami* Lapſum. Tunc *renovabitur facies terræ*, & erit *omnium rerum reſtitutio* (ut meminit S. *Scriptura*,) in priſtinum & primum ſtatum, quo Terra non ampliùs maledicetur, ſed Innocentia & æterna Juſtitia è Terrâ refloreſcent, ſecundùm D. *Pauli* Expectationem, ſeu Revelationem de *novo Cælo, & novâ Terrâ in quâ habitaret Juſtitia*. Hæc itaque Paradiſi repræſentatio, ſeu Revelatio, non eſt novella, ſed (ut videtur) ab ipſo *Diluvio*, veteri Orbi credita, & eorum animis firmiter implantata, & nobis tandem *firmo Prophetiæ verbo* confirmata, & huc uſque propagata.

Et ut *Jacobo* olim exhibita fuit Scala à terrâ ad cœlum pertingens, ſic iſti, ut Animarum tranſitum quodammodo ſenſibiliter exponant, deſcribunt Pontem per hujus Mundi Abyſſum extendendum, ſc. per immenſum illud ſpatium inter nos & Paradiſum interpoſitum.

Dictus itaque *Pons Judicialis* (ut ἀνθρωποπαθῶς loquantur,) à *Camûſi* Autore deſcribitur جسر ممدود علي ظهر جهنم *Pons extenſus ſuper dorſum Gehennæ*. Et quicunque per hunc Pontem, à nemine Angelorum præpeditus, pertranſit, ad Paradiſum pertingit: aliàs à Ponte delapſus, in *Tartara* cadit & in ea præcipitatur. In iſto Ponte conſtituti ſunt duo Angeli Examinatores, مهر *Mihr* & سروش *Sorûſh*: quorum ille ترازو *Terâzu*, *Trutinam*, ſeu ميزان *Mizân* i. e. *Bilancem* ſecum in manu habet, ut poſſit examinare Hominum Bona Opera ſeu Merita; ut, ſi nimis levia ſint, à Ponte dejecti immergantur in Gehennam; ſi verò graviora & ponderoſa, tum per prædictum Pontem tranſeant in Paradiſum amœniſſimum, ubi eſt glorioſa Urbs (putemus talem eſſe ac cœleſtem *Hieroſolymam*,) ubi

ſunt *Paradiſeæ Virgines*, non defloratæ nec deflorandæ, ſed intuendæ, Loci Amœnitatem ſuâ præſentiâ augentes; & Horti & Flumina, &c. ut in Libro *Sad-der*. Ille, inquam, in Ponte bona ac mala hominum Opera trutinat, utrum horum præponderet, & quid de defunctorum Animabus illac pertranſeuntibus ſtatuendum ſit perpendit; atque ex Trutinâ diſcernens, Deo renuntiat. Et hoc modo Judicium præparatum defertur ad Deum, qui ſecundùm iſtam Trutinationem de dictis Animabus decernit, (per Angelos Examinatores,) ut ſcil. ψυχοστόλος Ηχὼ eos, vel in æternam Felicitatem evehat, vel in æternam Miſeriam præcipitet. Et ſecundùm ultimam definitivam ſententiam, Executio Dei Decreto demandatur per hoſce duos Angelos, qui (ut *Miſericordia* & *Judicium*) junctim procedunt: ut quos *Mihr*, ſeu *Miſericordia*, non excuſaverat, nec inſontes pronuntiaverat, illos *Sorûſh*, qui Angelus ferocior, tanquam Carnifex, ad judicii executionem deducens, in Tartara detrudat. Quid verò ſecundùm eorum Doctrinam in Bilancibus præponderet, poſteà ex Libro *Sad-der* docebitur. Metaphoricæ & figuratæ ſunt hæ omnes loquendi Formulæ, uti etiam eſt in Fronte notatio, ut in *Apocalypſi*, ubi diſertè memoratur *Liber Vitæ:* & in tali Libro Judiciali conſcriptio inſinuatur à *Moſe*, qui ſe delendum exoptat, *Iſraelitarum* cauſâ. Dicta Animarum Lanci impoſitarum Ponderatio convenit cum *veterum Græcorum* Ψυχοστασία. Et Angelo *Sorûſh* par erat *Græcorum* Νεκροπομπὸς, ſeu Ψυχοπομπὸς, ſive Ψυχαγωγὸς, *Animarum Deductor* ad Inferos; vel etiam *Eductor*, ſeu *Evocator*, ut (ex ſententiâ *Græcorum*) reſponſa daret interrogantibus.

Semita, ſeu Trames, per Pontem ad Paradiſum ducens, in vetuſtioribus Libris dicitur چينوَد پـــول *Pûl Tchînavad*, ſeu tantùm چينوَد *Tchînavad*, ſive وَر چـينـه *Tchîna-var:* & ſubinde ſonatur *Tchînûr*. Hæc autem Vox, pro Scribarum imperitiâ, olim deformata, eodem vitioſo modo etiam ſcripta retinetur in quibuſdam Libris, qui aliàs authentici: ſic in *Pharh. Sur.* ſcripta legitur خنيور *Chumpûr*, & in *Pharh. Gj.* خنيور *Chinîvar*, ſeu *Chunîvar*; & in *Nim.* دينور *Dînavar*, ſeu *Dînûr*, q. d. *Religioſus*, vel *Judicialis*. Non autem eo nomine intelligitur *Dies Judicii*, ut in D. *Caſtelli* Lexico malè vertitur; ſed eſt *Pons*, per quem tranſeundem eſt in Die Judicii extremi. Quoad vim vocis *Tchînavar*, in Libris *Nim.* & *Waſ.* exponitur *Perſicè* واستن, & (quod idem eſt) *Turcicè* طغري *Rectum*, *Directum*, ſcil. non curvum:

vum: adeò ut *Pûl Tchînavar* ſit *Pons rectus*, rectâ Semitâ in alterum Mundum ducens.

Dictus Pons *Arabibus* (& ſubinde *Perſis* eâdem voce aliquando utentibus) vocatur صراط *Sſirât*, ſeu سراط *Sirât*, ſive زراط *Zirât*, quod in pleriſque *Lexicis* (ut *Camûs*, *Gjeuh.* &c.) exponitur ſimpliciter *Via*, *Semita:* apud *Golium* ex *Ma'rûphide* exponitur *Via patens.* At in *Turgi. Arabico* eſt راه باريک *Via anguſta:* quo quidem ſenſu meliùs convenit cum eo ejuſdem vocis uſu qui *Orientalibus Theologis* peculiaris eſt, dum hoc nomine appellant illam *Viam*, illúmve *Pontem*, per quem ex hoc Mundo in alterum tranſeundum ſit; qui certè (ut & in *Evangelio)* anguſtus eſſe debet: heic verò, propter diverſam rationem, ut ſcilicet *Angeli Cuſtodes*, qui ibi tunc vigilant, poſſint examinare omnes tranſeuntes, & reprobos ac damnatos repellere atque arcere. Talis autem iſtius vocis uſus elucidat *Alcorani* Caput primum, ubi à *Pſeudoprophetâ* vocatur *Via directa*, ſc. ſine aliquo diverticulo: ibi enim legitur, اهدنا صـراط مستقيم صـراط الذين انعمت عليهم غير مغضوب عليهم ولا ضالين *Duc nos in Viâ directâ, in Viâ eorum quibus beneficus es, ſine iraſcendo in eos, & non errantium:* ſc. in Viâ ducente ad Paradiſum, quæ recta eſt: heic enim *Via recta* non ſic dicitur in oppoſitione *Viæ falſæ*, ſed in oppoſitione *Viæ curvæ.* Senſus itaque eſt, O Deus, ducito nos in Viâ Salutis æternæ, ſeu in Viâ ſalvandorum, quibus miſericors es; non autem in Viâ errantium, in quos iratus es; in viâ, inquam, per quam Probi & Beati rectà ituri ſunt, directo Itinere, ſine Diverticulo & ſine aliquâ Repulſâ. Quin & *Sirât*, ſimpliciter ſumptum, ſine adjecto Epitheto, apud eos uſurpatur pro *Viâ quæ ducit in alterum Mundum*, & peculiariter pro illo *Ponte* qui in dictâ Viâ invenitur, per quem omnes Beati tranſituri ſunt, Reprobi verò, ab eo repellendi & dejiciendi. Ideóque in Nomenclatore *Turcico-Perſico-Mogulenſi* (cum eis quæ ad Paradiſum ſpectant) صراط *Sirât* exponitur پول *Pûl*, ſeu *Pons*; qui alibi in *Perſarum* Libris vocatur junctim پول صراط *Pûli Sirât*, ſeu *Pons* τῆς *Sirât*, *Turcicè* صراط كيري سي *Sirât Kiúpriſi*, eodem ſenſu.

Quoad medium ſtatum; credunt defunctorum piorum Animas eſſe apud Deum, aliorum alicubi, uſque ad Reſurrectionem, in quâ Corporibus veſtitæ, per Pontem (ubi ſunt Angeli cuſtodes) tentabunt tranſitum in Terram Felicitatis, & judicium ſubibunt in ipſo Ponte. De *Mohammedanorum* برزخ *Bérzach*, & اعـراف *Ahrâph*, in Notis ad

Religionem Turcarum distinctè egimus. Sed neutri horum agnoscunt *Purgatorium*. Nullus enim est Purgatorius Ignis, quod imaginatu stultissimum: nam Anima non est capax supplicii per Ignem, cùm sit Spiritus; nec Corpus est capax cruciatuum, cùm sit mortuum & sensûs expers, jacens in sepulchro. Ergò nulla potest esse pœna per Ignem, nisi hisce rëunitis, quod non faciendum ante Resurrectionem. Tunc enim Homo, Corpore & Animâ constans, capax est Supplicii per Ignem, uti dicit S. Scriptura.

In Libro *Ph. Gj.* legitur, quòd *Magi* faustum reputant habitare in Monte سولان *Savalân* in *Aderbayagjân* III Parasangis ab *Ardebîl*; ibi enim homines pios & devotos habitare existimant. Veterum Persarum Fœminis est *mirum* quoddam *Medicamentum* dictum دانـك *Dânuk*, est sc. omnis generis Frumenta commixta, & unà cum superinjectis Globulis stercoris Ovini simul cocta. Credunt Infantibus suis Dentes faciliùs nasci, si, nascendi tempore, ejusmodi Coctúram ad amicorum domos dono miserint.

Plutarchus dicit Persarum Magos interficere *Mures*. At non tantùm *Mures*, sed *Serpentes*, & *Ranas* & *Corvos*, & multa alia noxiorum animalculorum Genera certo quodam Tempore interimere solent; quod quidem Tempus apud *Agathiam* vocatur Κακῶν Ἀναίρεσις, de quâ videri potest Libri *Sad-der* Cap. XLVII. Credunt enim Gehennam esse subterraneum quendam Carcerem, plenum Fumo & Tenebris, ubi humanâ formâ Carnifices Crudelitatem exercentes, & omnium formarum Diaboli; & inter alios, *Serpentes*, qui sibilo, & Ranæ ac Corvi, *Persis* valdè exosi, qui crocitatione suâ perpetuâ divexabunt miseros.

Persæ (dicente D. *Ovington*) multùm æstimant *Gallos Gallinaceos*, utpote qui, suo Cantu, homines à somnolentiâ excitare solent. Ajunt, quòd post mortem *Yezdegherd*, quando à Persis fuga capessabatur per mare in *Indiam*, Nocte tenebrosâ periissent nisi *Gallus* ceciniset, & Cantu ac Vociferatione suâ indicâsset eos haud procul fuisse à Littore *Indico*. Prætereà est pugnax Animal, Marti sacrum, & *Persica Avis*; de quâ re videatur *Casaubonus* ad *Athenæum*, qui *Gallos* primò ex *Persiâ* ortos prodit.

CAP.

Cap. XXXIV.

De Nuptiis: de Baptiſmo ſeu Lotione: atque de Sepulturis.

IN Officio Precum, ſeu *Liturgiâ Magorum*, extat ſolennis Forma Nuptialis valdè prolixa; ubi, convenientibus amicis in Eccleſiâ, & quæſito conſenſu Parentum, & pacto de Dote in tali ſummâ rubentis Auri, cum aliis conditionibus, Sacerdos hæc omnia rata eſſe pronuntiat, eóſque ſolenniter in Matrimonio conjungit, ſimul eis apprecando plurimas particulares Benedictiones Fœcunditatis, & Longævitatis, &c. Olim *inceſtuoſas Nuptias* faciebant, quando, eorum Prophetæ *Zoroaſtris* permiſſu, cum *Matribus* & *Sororibus* Conjugium erat *licitum*. Illud autem ſuſtulit *Alexander*, jubens Matres honorare, non autem nubere. Secundùm *Petrum de la Valle*, nullas alebant Concubinas, (quamvis paulò aliter dicat *Tavernier* in Appendice noſtro:) nam Scortationem omninò illicitam habebant, & (etiam in homine plebejo) inexpiabile crimen. Et, eodem autore, Sacerdotes & alii habent unam tantùm uxorem eodem tempore: niſi fortè prior Uxor ſit ſterilis; tum enim poſſunt ſuperinducere aliam, multiplicandæ ſoſolis ergô, ſi modò prior illa conſenſerit: nam, ſine prioris conſenſu, non fit. Sed multiplicare Liberos (ſi legitimè id fiat) eſt opus multæ Pietatis & magni Meriti in ultimo Judicio; quia, hoc modo, Fidelium numerus augetur. Idem quoque ſtatuunt *Perſæ Mohammedani* in Religione ſuâ. Præſulibus autem & Archipræſulibus *ſecundæ Nuptiæ* non ſunt *licitæ*.

In Libro *Ph. Gj.* dicitur, quòd Domiductionis Nocte, & quo tempore Sponſam Sponſo tradunt, viridia Folia ſuper eorum capita ſpargunt, & *Ignem feſtivalem* پروازه *Pervâze* dictum accendunt, &, Sponſi Sponſæque veſtium Extremitatibus ſibi invicem conſutis & colligatis, eos circumagunt, & circa dictum Ignem ducunt, cum Feſtivitate & Epulis. Sed in omnibus Feſtis intra ſobrietatis limites ſe continent, cùm *Veteres Perſæ* ſint populi graves & auſteri: & ſi aliquid luxuriæ habent, id didicerunt à *Medis*. Præſertim, Ebrietas eſt peccatum maximum, non ſine ſeverâ pœnitentiâ, à Sacerdote impoſitâ, expiandum: vel aliàs, eorum Communio relinquenda: nam ſequitur Excommunicatio. Ideóque olim, ne quidem Regi, niſi ſemel in anno, licebat inebriari, ut ſuprà notavimus ex *Euſtathio*.

Pro

Pro Infantibus non utuntur *Circumciſione*, ſed tantùm *Baptiſmo*, ſeu *Lotione*, ad Animæ Purificationem internam. Infantem ad Sacerdotem in Eccleſiam adductum ſiſtunt coram Sole & Igne; quâ factâ Cerimoniâ, eundem ſanctiorem exiſtimant. D. *Lord* dicit, quòd Aquam ad hoc afferunt in Cortice arboris *Holm*: ea autem Arbor reverà eſt هوم المجوس *Haum Magorum*, cujus mentionem aliâ occaſione ſuprà fecimus. Alias, aliquando fit immergendo in magnum Vas Aquæ, ut dicit *Tavernier*. Poſt talem Lotionem, ſeu Baptiſmum, Sacerdos imponit Nomen à Parentibus inditum. Et poſteà, anno ætatis XV^to^, quando incipit induere Tunicam *Sudra* & *Cingulum*, ut Religionem ingrediatur, & ille in Articulis Fidei verſatur, à Sacerdote ei datur *Confirmatio*, ut, ab eo tempore, inter Numerum Fidelium admittatur, & Fidelis eſſe reputetur.

Quoad *Sepulturas*, Perſæ, nolentes Terram polluere, defunctorum Corpora non humant, &c. Elementa enim omnia tenentur ſervare pura, prout in Libro *Zerâtuſht nâma* præcipitur, Cap. LXVII;

بکوشند تا گوهران هر چهار	*Conatum adhibeant ut Elementa quatuor*
بدارند پاکیزه وبي عوار	*In puritate conſervent abſque vitiatione:*
زرخشند آتش زآب روان	*Sive ſit Ignis ſplendens, ſive Aqua currens,*
زباد لطیف وزخاک گران	*Sive Ventus ſubtilis, ſive Terra gravis.*
که زین چار گوهر تن جانور	*Quia ex his 4 Elementis corpora animalium*
سرشت استد دادار فیروزگر	*Compoſuit Juſtiſſimus Potentiſſimus* Deus.

Quatuor Elementa, ille *Quatuor Subſtantias*, ſeu *Materias* vocat. Funus ad Conditorium deducitur, & à *Veſpillonibus* deportatur ſuper کاهو *Feretro* ferreo: lignum enim nolunt polluere, quia alit Ignem. Lapideum Sepulchretum (ſi ita appellare liceat,) vocatur سـتـودان *Sotûdân*, ſeu aliàs دخمه *Dáchma*, vel etiam دادگـاه *Dâdghâh*, i. e. *Juſtitiæ Locus*, ubi ſc. mortuus à ſpectantibus amicis juſtè adjudicatur ad Felicitatem, aut Miſeriam, ex Præſagio, ſeu Prognoſi, quæ mox memorabitur, quod putatur fieri die quarto: nam per III dies credunt Animam volitare circa corpus; ideóque, metuentes ne aliquid defunctis deſit, dum adhuc peregrini ſunt, inter hunc Mundum & alterum, ſuperſtites Amici primâ Mortui nocte (ut ſuprà meminimus,)



Magorum conditoria duo, (Album *et* Nigrum,) *12 pedes alta, 80 circuitu.*



Focile arundine-
um *atq;* Focile Brachii
inter se collata, et comperta
sibi invicem analoga.
pag. 338.

Reverendo Viro EDWARDO WAPLE *S.T.B.* Archidiac. Taunton. *et* Præb. Resid. Winton. *atque Eccl.* S.ti Sepulchri Rectori *dignissimo, hanc Tabulam Gratitudinis ergô lubens meritóq; D.D.D. Autor* T. H.

MBurg. sculp.

mus,) Cibi & Potûs triduanum commeatum prope Conditorium apponunt, quod laudabile in hoc Mundo, & meritorium in altero. Et, ſi mortuus non guſtat, inde reficiuntur *Canes*, & pauperiores *Mohammedani*, Eleemoſynas ſepulchrales guſtantes & ligurientes. Quarto autem die, Animas corpora prorſus relinquere, & ad ſua Præmii vel Pœnæ loca diſceſſuras credunt. *Armeni* & *Perſæ Mohammedani* ſuos mortuos humantes, hoc idem faciunt ſuper ipſo Sepulchro: *Perſæ* autem *Veteres* id faciunt juxta commune ſuum Sepulchretum, cùm particularia Sepulchra non habeant. Vide ſuprà p. 268.

Mortuos ſiſtunt erectos, ſtipite ferreo juxta murum, obſervantes ad utrum oculum primò accedat Vultur. Nam de mortuorum ſtatu duorum generum habent Præſagia facienda, ſc. per *Vultures* & per *Canes*, ſagaciſſima animalia, ſtultè imaginantes iſta, narium ſagacitate, Animæ puritatem, ſeu impuritatem, ſive fœtorem, odorari poſſe. *Tavernier* dicit eos moribundorum Ori applicare Os Canis, qui (ſi poſſit fieri) ultimum morientis halitum excipiat. Hinc eſt, quòd in *Zoroaſtris* Præceptis Canes paſcere jubeatur. Non autem credunt *Tranſmigrationem Animarum*, ut *Indi* faciunt. Si Vultur primò invadit rectum Oculum, aut Canis adducitur ut ultimum Halitum excipiat, tum ad album Conditorium ferunt: alias, ad nigrum deferunt. Si omnia mala ſigna concurrunt, miſerrimum judicant. Sed quid mirer *Perſas*, cùm quotidie videam *Chriſtianos* (quaſi *Ethniciſmo* nondum *depoſito*,) in mediâ Luce *Evangelicâ* viventes, Auguria captantes à *Cornicibus* & *Leporibus*, &c. quaſi Bruta illa Animalia meliùs quàm Homines præſcire poſſunt. De his rebus audiamus D. *Ovingtonum*, qui in *Itinerario Suratenſi* Veterum Perſarum in *Indiâ* Sepulturas ſic tradit: "*Ad unum milliare ab urbe diſtat Sepulchretum, quod eſt Struc-*
"*tura lapidea rotunda*, XII *pedes alta*, & C *pedes in circumferentiâ*
"*habens. In Medio Muri eſt Oſtium Lapideum* VI *pedibus à terrâ di-*
"*ſtans, quod ad excipiendum Cadaver aperiri ſolet. Hujus ſtructuræ*
"*Area inferior, in quâ jacent Cadavera, elevatur quatuor pedes à terrâ,*
"*ab omni parte declivis verſus centrum, ubi eſt Foramen, ſeu Cloaca, ad*
"*excipiendum Saniem Cadaverum. Hoc ſepulchretum eſt miſerrimum*
"*Spectaculum, &c. Verſus iſtud Sepulchretum, Veſpillones, dicti* les Ha-
"lâlchors, *ſuper Feretro* [ferreo] *deferentes Cadaver, illud ſuper ter-*
"*ram deponunt: & mox ad vicinas domos, ſeu villas, excurrunt ad quæ-*
"*rendum aliquem Canem, quem per Fruſtula Panis, aut Placentæ, quan-*
"*tum poſſunt, alliciunt ut accedat ad Cadaver: & quanto propiùs acceſ-*
"*ſerit, eò melior eſt Prognoſis de Felicitate defuncti. Et ſi poteſt adduci*

"*ut*

" *ut accipiat Fruſtulum dictæ Placentæ ex Ore defuncti, eſt certiſſimum*
" *felicitatis ipſius ſignum. At ſi Canis, fortè metuens ſibi, recuſat acce-*
" *dere, & dictum fruſtulum ex defuncti ore accipere, tum certò conclu-*
" *dunt iſtius mortui conditionem eſſe deſperatam & deplorabilem. Et certè,*
" *ſecundùm haſce Prognoſes, peſſima erat conditio illius miſelli defuncti,*
" *quem* (inquit) *ego in hoc ſtatu vidi: nam fugiens averſabundus Canis*
" *noluit allici ut ad commodam aliquam diſtantiam prope accederet ad*
" *Cadaver. Quando Canis (ſi vult ad hoc allici) hujus Ceremoniæ ſuas*
" *partes egit, duo Sacerdotes ad unius Stadii diſtantiam à Feretro ſtantes,*
" *junctis manibus, ſonorâ voce, per ſemi-horam memoriter recitant tæ-*
" *dioſam aliquam precandi formulam: & tantâ celeritate hoc faciunt,*
" *ut vix halitum reciprocare liceat, quaſi invincibilis eſſet neceſſitas eam*
" *verborum Formulam tantillo tempore recitare. Dum, iſto modo, Sa-*
" *cerdotes garriebant, eorum facies obvelatæ erant, Chartâ albâ per*
" *tranſverſum Vultum utrique Auri affixâ, quæ II aut III uncias infra*
" *Mentum dependebat. Quando iſti ſuas Petitiones abſolviſſent, Halal-*
" *chori, elevantes Cadaver, illud in Repoſitorio ſeu Sepulchreto depoſue-*
" *runt; dum omnes Funus concomitantes binatim junctis manibus ſeque-*
" *bantur. His factis, omnes contulerunt ſe ad proximum Rivulum, ad*
" *quamvis, quam fortè contraxerant, Impuritatem ſeu Pollutionem abluen-*
" *dum.*" [Sed ante hæc omnia] " *aliqui Conſanguinei Cadaver erectum*
" *relinquebant, ad obſervandum an dextrum, vel ſiniſtrum, defuncti Oculum*
" *primò peterent Vultures, ut ex eâ etiam Prognoſi, de defuncti Felicitate,*
" *aut Infelicitate, judicaretur. Ad iſtud etiam Sepulchretum, ſemel quo-*
" *tannis, deferunt Crinium & Unguium Præſegmina, quæ ideò diligenter*
" *in hunc finem ſecum conſervant. Dicti Halalchori ſunt inferioris ge-*
" *neris Indi, qui ad viliora quævis Opera adiguntur, (ad mundandas*
" *Plateas & evacuandas Cloacas, &c.) eáque libenter ſuſcipiunt, dum*
" *Mauri & Baneani talia recuſant ne polluantur.*" [Iſti etiam edunt Cadaveroſas Beſtiarum Carnes, & nullum cibi genus, Conſcientiæ ergô, recuſant: unde nomen حلال خور *Halâl-chûr, Licitum Edens*; nempe his quidvis eſt licitum licetque omnia edere.] " *Iſti propter*
" *operas & diætam habentur impuri, ideóque neminem alium libenter tan-*
" *gunt, nec aliquis ab eis vult tangi: & quia tactus inquinat polluitque,*
" *ſeparatim vivunt ab omnibus aliis: quia quicunque ab his tactus eſt,*
" *tenetur habere moleſtiam purificandi ſeipſum. Per modum Improperii*
" *vocare* Halâlchor, *eſt magnum convitium: & tamen iſti patienter fe-*
" *runt, quaſvis ſordidas & laborioſas operas libenter ſuſcipiunt & con-*
" *tenti alacriter peragunt.*" Dicente *Herberto*, Cadaver Involucro lin-

teo

teo veſtitum, verſus Conditorium defertur, comitantibus Amicis, qui *tacitè* dolendo ſe verberant, donec ventum fuerit prope dictum Conditorium; ubi *les Naceſſelars*, Sacerdotes, obviam facti, Pileis & Amiculis luteis velati (relictis ibidem Comitibus, qui Funus deduxerant) accipientes Cadaver, illud deferunt ad vicinum Ignem, ubi quaſdam Preces obmurmurant: quo facto, Cadaver in Conditorium elevant, & ablato Involucro, illud nudum, à Volucribus devorandum, relinquunt. *Sic ille.* His addimus, quòd dictas Preces celeriter recitant, cùm non detur in illo Loco diu morari, propter intolerabilem Fœtorem, tam Conditorii, quam inſtantis Cadaveris, quippe quod per Triduum (dum Anima circumvolitare putatur) Rebus neceſſariis ſuppeditatum, & Stipiti appenſum ſervârunt; idque partim, ad obſervandum Volucrium Acceſſum, ad quemnam Oculum primò advolent, partimque, quia ante quartum Mane fatalis Determinatio fieri non creditur. Et quidem tale Auſpicium non habetur incertum, nec Augurium fallax.

D. *Mandelſlo*, ex Relatione Perſarum in *Indiâ*, refert, "*quòd Moribundus, lecto exemptus, ponitur ſuper aliquibus glebis virentibus; quæ etiam poſt V aut VI ſeptimanas deferuntur ad Sepulchretum, ubi relinquuntur ut res immunda. Et quicunque tetigerit mortuum, aut oſſa cadaveroſa, debet ſe mundare & mutare veſtes, & immundus manere per IX dies, in quibus nemo ad eum accedere debet, ne ſit Immunditiei particeps. At quorum oſſa cadunt in Aquam, certò damnati. Singulis menſibus celebrant Convivium pro defunctis Amicis cognatione proximis. In Indiâ quidem gerunt comam prolixam, ſuorum Anteceſſorum More: at alii (ut Mohammedanis gratificari poſſint,) abradunt crines, præter unum in vertice Cirrum. Et ut meliùs placeant Baneanis, abſtinent à Mactatione Animalium: & eâdem de cauſâ, omnes, tam Sacerdotes quàm alii, conformant ſe habitui ejuſdem regionis, ubi albis veſtibus induti. Si plorant pro defunctis ſuis, illud eſt irregulare. Non habent Templum in Surát. Si orant ſedentes, eſt irregulare:*" [nam alii oculati teſtes ajunt quòd orant ſtantes.] "*Tam viri, quàm fœminæ, ex lanâ aut pilis camelinis gerunt Cingulum corpus bis circumdans, & ponè duobus nodis fixum. Adulterium & Fornicatio ſunt Peccata magna. Non bibunt Aquam Vitæ, ſed Vinum bibunt, ſi poſſunt habere: nam in Indiâ non naſcitur. Sed Ebrietatem odio habent, & pro eo delicto ſevera Pœnitentia imponitur. Domus ſuæ Incendium, non Aquâ,*

"*ſed Terræ Injectione extinguunt. Iſtorum Statura eſt mediocris:*
"*& vultu nitidiores ſunt quàm cæteri Indi. Et citra omne dubium,*
"*Guebrorum Fœminæ ſunt candidiores & pulchriores omnibus aliis in*
"*eâdem Regione.*"

Quòd *Perſæ* olim aliquando habuerint *magnifica Sepulchra*, tradit *Procopius* de *Bello Perſico Lib.* I, & *Agathias* Lib. II, & alii. Tale erat *Cyri* Sepulchrum in *Paſargadis*; nam *Xenophon* narrat, quòd *Cyrus*, paulò ante obitum, jubebat corpus ſuum humari; & is inhumari curavit Liberos ſuos, at ſine magnifico Tumulo. Et *Darii* Sepulchri meminit *Strabo*, cum utriuſque Inſcriptionibus. Nam cùm *Darius* ab Alexandri *Beſſo* fuiſſet interfectus, Principiſſæ petebant veniam eum *inhumandi*. Et *Herodotus* p. 478, notat *Xerxem* funerâſſe *Artachæum* ſumptuoſo funere, adhibitis etiam Epulis maximis, cum Tumulo magnifico quem extruxit exercitus. Hoc de Sepulturis teſtatur Perſicorum Regum *Mauſoléum* prope *Perſæpolitanum Palatium*, ubi in *Baſſo-Relevo* cernuntur *Regum Statuæ*, ex integrâ Rupe exciſæ, ſtantes ſuper Tumulum, in Rupem excavatum & Columnis elevatum: hæc omnia in Pariete ſeu Latere ejuſdem Rupis. Iſte autem condendi in Tumulo Mos, peculiaris Favor fuit erga Reges & Magnates, eiſque tanquam peculiare Privilegium conceſſum. Nam Magi vulgò ſuos defunctos Volucribus & Feris exponebant & hodiè exponunt: ideóque, haud immeritò, Perſas barbaras Conſuetudines habuiſſe dicit *Diodorus Siculus* libro XVII. Et *Herodotus* libro III, ait eos ægrotantes & ſemimortuos ſuos Milites in Sylvis expoſuiſſe, juxta eos relictâ parvâ quantitate panis cum baculo: & ſi fortè, revaleſcens quis domum rediret, omnes eum tanquam Spectrum metuebant, nec audebant cum ipſo converſari donec à Sacerdote expiatus fuerat; quia putabant cum Dæmonibus & Geniis converſatum fuiſſe. Et cùm, extra bellum, non ſolerent mortuos ſuos ſepelire, *Seoſes accuſabatur quòd vanos deos coluerat, quos non colunt Perſæ; & quòd contra morem, defunctam uxorem ſuam humaverat*, ut notat *Procopius* de Bello *Perſico* p. 32. Et quidem Magi, tam olim, quàm hodiè, graviſſimum peccatum ducunt aliquem inhumare, quia Terra eſt ex Elementis quæ habentur Sacra. Cùm autem Ignis ſit ſacratior, mirum eſt cur *Darius Hyſtaſpes Pœnis* permiſerit mortuos ſuos *cremare*, potius quàm *humare* & Terrâ obruere: eiſque prohibuit humanas Hoſtias immolare & Canina veſci, ut notat *Juſtinus*. Fallitur autem Annotator varius

varius ad *Juſtinum* p. 290, cum Perſæ nec *hument*, nec *crement*, ex generali Regulâ; quam tamen aliquando tranſgrediebantur, ut in prædictis caſibus, & in caſu *Cambyſis* qui combuſſit *Amaſis* Cadaver. Et quamvis Magi, ex Lege, ſuos defunctos exponebant, tamen quia aliis Gentibus hoc grave fuit, in hoſtes, ut pœnam, infligebant Cadavera ſua exponere. Ideóque, quando inter *Juſtinianum* & *Coſroëm* de Pace agitaretur, pactum eſt, ut *Chriſtianis* liceret mortuos ſuos ſepelire, ut tradit *Menander* in *Excerptis* de *Legationibus*.

In *Erdavirâph Nâma*, Capite de *Mortuorum Statu*, memoratur quòd Stygius, Gehennæ fluvius nigerrimus & frigidiſſimus, fiat ex lacrymis lugentium pro mortuis: nam gemitus pro illis auget pœnam, & Tranſitum per Judicii Pontem reddit difficiliorem. Ideóque ne mortuorum miſeria augeatur, ne quidem Parentibus permittitur plorare, nec ullus gemitus audiendus, nec futilia verba proferenda: hoc jubet *Virâph*, & ut potiùs utantur باژي *Silentio* & *Muſſitatione mentali* propter mortuorum meritum, & ut recitent Librum *Aveſtâ*, ut ſic quiete fruantur: ſed plorare, eſt Mos Diabolicus, & ejus juſſu fit. Sic ille.

Quando autem, ſupradicto modo adjudicatos ad reſpectiva Conditoria deferunt, ferè ad C paſſuum diſtantiam, antequam ad Conditoria veniant, Sacerdos obviam eis procedit (X tamen pedum diſtantiam ſervans) luteo flammeóve Amiculo Pileóque indutus, omneſque Funeris Comites ibi relinquens, adit adjunctum Focum, Sacellúmve Ignis, ubi aliquibus ex Libro *Zend* Precibus obmurmuratis, ut ſuprà, dicti *Veſpillones* defunctum in Conditorio, ei adjudicato, per Oſtium, ſeu Foramen, in loricationis latere factum deponunt, ibique nudum Cadaver à Volucribus devorandum relinquunt. Poſteà verò, propter horribilem fœtorem & miſerrimum ſpectaculum, omnes abhorrent illum locum adire; ægrè etiam ferentes ut aliquis *Chriſtianus*, aut alius, illa *Conditoria* videat. Et certè nemo, niſi ſummâ curioſitate ductus, illum locum luſtrare tentabit.

Videri poſſunt quæ ſuprà ex *Strabone* notavimus. Heic autem ſequentia adſcribam ex *Agathia* lib. II. "*Tunc utique demortuum Mer-*
"*merois Corpus ipſius familiares elatum, extráque oppidum deportatum,*
"*(ſolum ita ac nudum) patrio ritu, canibus pariter atque avibus obſcœ-*
"*nis, quæque cadaveribus paſcuntur, devorandum expoſuerunt: hunc,*

" *ſepulturæ loco, morem obſervant Perſæ, atque, hac ratione, abſumptis*
" *carnibus, nuda oſſa ſparſim per campos projecta putreſcunt* [ſc. tem-
" pore belli.] *In Capſâ enim aliquâ vel Loculo condere, vel etiam Terrâ*
" *obtumulare, neutiquam fas eſt. Cuicunque verò Cadaveri non ſtatim*
" *advolârint Aves, vel accurrentes Canes non illicò dilaniârint,* [falſum
" eſt,] *illius hominis Impuros fuiſſe Mores credunt, animúmque injuſtum,*
" *& Barathro dignum, malóque Dæmoni dicatum. Tum porrò, & qui-*
" *dem magis, Neceſſarii atque Amici jacentem lugent lamentiſque proſe-*
" *quuntur,* [ſc. tacitè, non autem aſſâ voce,] *ut penitùs emortuum, nec*
" *melioris fati participem. Qui verò quàm citiſſimè devoratus fuerit, fe-*
" *liciſſimum prædicant, ejúſque animam ſummâ admiratione proſequuntur,*
" *ut longè præſtantiſſimam & Deo ſimilem, & in beatas ſedes evolaturam.*
" *Promiſcua verò atque obſcurior turba, ſicubi in Exercitu graviſſimo*
" *aliquo morbo premantur, ſpirantes adhuc & mente conſtantes educuntur:*
" *& poſtquam expoſitus in hunc modum aliquis fuerit, Panis Fruſtum ei*
" *& Aqua Baculúſque juxta apponuntur, ut quamdiu cibum deguſtare*
" *poſſit, & virium aliquid ei ſuperſit, Baculo illo Animantia irruentia*
" *arceat, Epuloneſque propulſet. Si verò nondum quidem interierit, vin-*
" *cat tamen vis morbi, adeò ut jam ampliùs manus movere nequeat, tum*
" *utique miſerum ſemimortuum & jam animam agere incipientem devo-*
" *rant, & ſpem diutiùs etiam fortaſſe vivendi præripiunt. Multi enim*
" *cùm convaluiſſent, domum redierunt, veluti in Scenâ & Tragœdiâ, ex*
" *tenebricoſis Orci Portis reverſi, macilenti quidem & decolores, obvióſque*
" *terriculantes. Si quis autem ita redeat, averſantur eum omnes & de-*
" *fugiunt, ut maximè piacularem, & inter ſubterraneos eum adhuc cen-*
" *ſent; neque anteà priſtinum vitæ Inſtitutum colere ei permittitur,*
" *donec à Magis expiatum fuerit Piaculum expectatæ mortis, & quo-*
" *dammodo vitâ redonetur. --- Illud verò, & quidem vehementer, mi-*
" *ror, quòd vetuſtiſſimi illius regionis habitatores, Aſſyrii videlicet,*
" *Chaldæi, & Medi, non eadem cum Perſis ſentiant: nam circa*
" *Nini urbem, & circa Babylonicam, ac prætereà Medicam Regio-*
" *nem, Tumuli & Capſæ eorum qui olim mortui fuerunt exſtant, non*
" *alium quàm noſtrum morem ſervantes; & ſive Corpora ſint, ſive*
" *Cinis, quod iis conditur, (utpote illis Græcanico ritu crematis,)*
" *neutiquam certè ſimilia hæc eis quæ nunc fiunt, fuerunt, Nequa-*
" *quam itaque illi hoc pacto ſenſerunt, neque ita, ut qui nunc vivunt,*
" *& Sepulturæ & Thori Jura pro ſuâ Libidine violârunt, non ſolùm*
" *cum Sororibus & Neptibus rem habentes, ſed Patres cum Filiabus;*

" &

" *& quod omnium eſt ſceleratiſſimum (ô Leges, ô Natura,) Filii cum*
" *ſuis Matribus. Hujus enim flagitii Novum ab eis Exemplum ſtatu-*
" *tum fuiſſe, manifeſtiſſimè hinc cuivis liquere poteſt; fertur namque,*
" *magnam illam Semiramin Aſſyriam eò Incontinentiæ veniſſe, ut cum*
" *Filio ſuo Ninyâ congredi voluerit, atque adeò juvenem ſolicitâſſe;*
" *illum verò recuſâſſe, moleſtéque tuliſſe. Tandem verò quum Matrem,*
" *libidinis impatientem, urgentémque cerneret, eam interfeciſſe, & hoc*
" *potiùs quàm alterum illud ſcelus perpetrare maluiſſe. Atqui ſi Lege*
" *hæc permiſſa fuiſſent, nequaquam, uti arbitror, Ninyas eò crudeli-*
" *tatis veniſſet. Sed quid attinet hæc perquàm vetuſta commemorare?*
" *Paulò enim poſt Macedonica Tempora & Perſarum Everſionem,*
" *ajunt Artaxerxem, Darii filium, Matrem ſuam Paryſatidem (quum*
" *eidem, quo Semiramis, Malo obnoxia, rem ſecum habere cuperet,)*
" *non quidem necâſſe, ſed declinâſſe iracundè & rejeciſſe; quòd neque*
" *pium eſſet neque patrium, neque in communi Vitâ conſuetum.*" Hæc ille. *Bardeſanes Syrus* apud *Euſebium* de Medis (adeóque de Perſis) dicit, *Quòd nutriebant Canes, ad quos moribundos amicos nondum exanimatos abjiciebant, ut devorari poſſent.* Sed ille eodem errore cum *Agathiâ* errat. Id autem quod iſtos autores fefellit, eſt Perſarum Mos ad moribundum adducendi Canem ad excipiendum ultimum halitum. Non itaque Moribundos Canibus, ſed Canes moribundis objiciunt, ſeu apponunt, Canis Os morientis Ori applicando. Dictus autem *Bardeſanes*, vel pronus fuit errare, vel mendacia fingere in *Perſas*, ſeu *Parthos:* nam is, apud *Euſebium*, dicit *quòd Parthis Uxorem, Filiam, Fratrem, aut innuptam Sororem occidere liceret.* Sed hoc non habet plus veritatis quàm alterum præcedens: ideóque fides ſit penes Autorem de rebus aliàs inauditis.

CAP.

Cap. XXXV.

De Perſiæ & Perſarum Nominibus; & de Modernâ atque Veteri Linguâ Perſicâ ejuſque Dialectis: ſc. de Perſiâ, Parthiâ, Mediâ, & de harum Regionum Linguis & Dialectis.

INTER Perſarum Nomina, apud *Herodotum* legitur *Cephenes*. *Strabo* autem refert *Æthiopum*, ſic dictorum, quoſdam venientes in *Perſiam*, ibi dediſſe hoc nomen. Sed quòd (ut dicit) à ſeipſis & Accolis dicti fuerint Αρταῖοι *Artæi*, meliùs arridet; cùm ارد *Ard*, ſeu *Art*, ſit *Strenuus*, *Magnanimus*, quaſi *Artæi* ſint *Fortitudine pollentes*. Apud *Rivolam* in *Lexico Armenico*, *Perſia* moderno Nomine vocatur *Shahiſtân*, i. e. *Ditio τῦ Shâh* ſeu *Regis*, ſc. quæ paret Dominio ejus cujus Titulus eſt *Shâh*. In Libro *Nim.* Perſarum Regio nominatur تاجيك *Tâgjik*, i. e. ubi Rex gerit *Coronam* dictam *Tâgj:* ſed apud dictum *Rivolam*, *Tâgjik*, minùs rectè, exponitur *Turca*, quod monendum duxi.

Antiquiſſimum Perſiæ nomen *Biblicum*, eſt עילם *Elam*, qui Perſarum Pater: unde diſcimus Perſas fuiſſe *filios Elam filii Shem*. Hinc apud *Rivolam*, *Perſæ Armenicè* vocantur *Semazik*, *Semitæ*. Sed Regio *Elam* (quæ *Elymais)* ubi primò ſedem fixit, propriè eſt citerior *Mediæ* Pars, ſeu potiùs Pars quæ eſt *Mediâ* citerior & occidentalior. Nam *Medi*, qui filii *Madai* filii *Japhet*, fuerunt paulò orientaliores: & quamvis à diverſo Parente orti, eâdem tamen uſi ſunt Linguâ, ad quod fortè alter alterum coëgerit, vel ſaltem Commercium inter ſe habuerint. Et his ambobus adhuc orientaliores erant *Perſæ*, propriè ſic dicti, qui Provinciam پارس *Pars* ad Orientem *Mediæ* inhabitabant. Atque ſub Perſarum Ditionem ceſſerunt adhuc Orientaliores, quæ ſunt in *Ariâ Bactrianæ*, hodiè dictâ *Choraſân*. Nam *Aria* fuit duplex: ſc. una fuit illa *Ptolemæi*, ſic dicta à *Choraſaniæ* præcipuâ Urbe هراة *Hara*, ſeu هرات *Harat*, ſive *Herat*; quæ, inquam, eſt *Aria Ptolemæi*, in *orientali* Parte Imperii Perſarum. Et huic è diametro oppoſita, in *occidentali* dicti Imperii Parte, eſt *Aria Herodoti*, comprehendens *Elymaidem* & *Mediam:* ſic ille; Μῆδοι — ἐκαλέοντο δὲ πάλαι πρὸς πάντων Αριοι. Hujus præcipuæ Urbes

Urbes in *Linguâ Biblicâ* fuerunt הרא *Hara*, & גוזן *Gozan*, cum reliquis Urbibus Medorum, ad quas tranſlati fuerunt Captivi Iſraelitæ.

Horum, & *Elymæorum*, & *Chuzæorum*, Lingua, ea eſt quæ hodie ab omnibus nominatur *Perſica*, ſed non eſt; quippe quæ ſit reverà *Medica*, totâ ſuâ Naturâ & Structurâ differens à *Perſicâ*, quæ reſpectu illius eſt barbara: ideóque eam ex Aulâ ſuâ excluſit Rex *Behrâm-Ghûr*, (ut mox dicetur,) ejus loco ſubſtituens *Medicam*, ideo dictam *Deri*, ſeu *Aulicam*. Eæ itaque voces quæ, apud *Herodotum* & alios, de linguâ *Perſicâ* & *Parthicâ* eſſe dicuntur, reverà ſunt ex *Medicâ*, vel ſaltem maxima earum pars. Illa ipſa lingua *Medica* eſt quæ hodie in *Elymaide*, & *Mediâ*, & *Parthiâ*, & *Chorafân* (exceptis quibuſdam locis,) jam obtinet, & olim cum *Medico Imperio* ibi plantata fuit: *Medorum* enim primò fuit Imperium, poſtquam (unà cum Perſis) *Aſſyriorum* jugum excuſſerant, & eorum *Exarchia* eſſe deſierant. Hæcque *Medorum* lingua (antequam excluderetur,) *veterem* linguam *Perſicam* reddidit mixtam, & penè obſoletam effecit, non autem ubique extinxit: nam harum Gentium Religio, quæ olim ſemper eadem, ſcripta eſt in *veteri linguâ*, quæ ubique (unà cum *Medicâ*) obtinuit uſque ad tempus dicti Regis *Behrâm-Ghûr*, & in quibuſdam locis hodiè obtinet.

Occidentalior Mediæ Pars, urbi *Ninivi* & *Mauſil* proxima, eſt كردستان *Curdiſtân*, ſeu *Curdorum* Regio, vulgò *Gordyæi Montes*, qui tam celſi, ut Ignes & Candelas noctu lucentes videre poſſunt *Mauſilenſes* X milliaribus diſtantes. Deinde occurrit Regio لرستان *Luriſtân*, ubi eſt لر *Lùr* magna & *Lùr* parva. Paulò auſtraliùs, eſt Regio *Elymais*, ubi ſunt urbes ڤسّر *Toſtar* & Σῦσα, *Perſis* سوس *Sûs*, i. e. *Glycirrhiza*; quam *Judæi*, *Ahaſuero* gratabundi, per Euphemiſmum, in Libro *Eſther* nominârunt سوسن *Sûſan*, i. e. *Lilium*.

Ab *Elymæis* orti creduntur *Perſæ*: ſic Bar-Bahlûl, ܡܓܘܣܝܐ ܡܢ ܥܝܠܡ ܗܘ ܐܠܝܡ ܒܪ ܫܡ ܡܢ ܒܢܝ ܥܝܠܡ *Magi fuerunt ex Perſiâ, ex filiis Elam filii Shem*. Et idem vult Fl. *Joſephus* p. 24, Ελυμος μὲν γὰρ Ελυμαίους, Περσῶν ὄντας ἀρχηγέτας, κατέλειπεν. Cùm itaque *Elami Sedes* propria fuerit *Elymais*, ab eo denominata, ejus Poſteri ſeu Nepotes (ut videtur,) conceſſerunt magis orientaliter in *Mediam* & *Perſiam*. Sed cùm Elami filii in S. *Hiſtoriâ* non recenſeantur, plenâ luce in hac parte deſtituimur.

At

At quoad *Elami* ipsius Sedem, ea apud *Bar Bahlûl* statuitur in Regione *Ahwaz*, quæ est *Elymais*: حكم بلد الاهواز *Elam est regio Ahwâz*, quæ in Persarum Libris est خوز *Chûz*, *Stephano* Κοσσέα, *Herodoto* Κοσσαῖοι, seu Κίσσιοι. Ideóque, vel *Elam*, vel aliquis alius habuit filium aut nepotem à quo ista Regio sic denominata fuit. *Gen.* XXII. 21, memoratur חוז *Chûz*, *Nachoris* (Abrahami fratris) filius, qui videtur posteà fixisse Sedem in *Elymaide*, ibi relinquens sui nominis urbem *Chûz*, quæ nunc extat, unde tota Regio hodiè in Libris nominatur خوزستان *Chuzistan*, seu *Cossæorum* Regio; non autem خورستان *Churestân*, ut quidam malè legunt. Iste *Chûz* fuit ex *Arpacshadi* Prosapia, seu seris Nepotibus, in succedente Generatione VIII^va. Is autem aliàs, tam à suis, quàm à vicinis Gentibus, dictus est ܗܘܙ *Hûz*, (sc. هوز,) unde supradicta Urbs, ad hodiernum diem, in plurali formâ appellatur اهواز *Ahwâz* seu *Ahvâz*. Nam *Assyriis* isti populi vocantur ܗܘܙܝ *Huzóye*, *Huzæi*; & Regio ipsa (quæ *Chuzistân*,) est ܒܝܬ ܗܘܙܝ *Beth-Huzóye*, *Locus Huzæorum*. Hujus itaque regionis Incolæ, qui primò ab *Elam* dicti sunt *Elymæi*, posteà ab alio Progenitore, ex *Shemi* Familiâ prognato, dicebantur, & hodiè dicuntur *Chuzæi*, seu, ut *Assyrii* scribunt, *Huzæi*.

Ista est Urbs quæ in S. *Bibliis* vocatur גוזן *Gozan*, minùs rectè, pro Persico خوزان *Chozan*, seu *Chuzân*, quæ (ut dictum) hodiè in Libris scribitur اهواز *Ahwâz*, plurali formâ, ab هوز *Hûz*. At *Mediæ* antiqua urbs הרא *Hara*, quæ cum eâ memoratur, hodie non extat, quippe quæ immemorialiter deleta.

Post *Gordyæam* & australiorem *Susianam*, occurrit *Media*, in *Arabum* Libris dicta الماه *AlMâh*, & Lingua *Medica* الماهي *AlMâhi*, seu *Mahæa*. In Persarum Libris *Media* aliquando vocatur شيروان *Shírvân*; an *Lac* vel *Leones servans?* Aliàs in *Geographicis* Libris vocatur جبال *Gjibal*, i. e. *Montes*, seu *Montana Regio*, seu, magis distinctè, جبال الاهواز *Montana* τῆς *Ahwâz*. In eâ magnæ quædam Urbes sunt, sc. اردبيل *Ardebîl*, & قزبين *Cazbin*, unde denominativum est قزبي *Cazbi*, seu *Caspius*; de quo Nomine *Caspii Maris* fusiùs differuimus in Notis ad *Itinera Mundi*. In eâdem Regione præcipua Urbs est آذرآبادگان *Adurabâdaghân*, seu contractiùs آذربايجان *Aderbâyagjân*

Aderbâyagjân, (quæ quidem Provincia *Ptolemæo* perperam *Adiabéne*,) quo eodem nomine gaudet amœniſſima urbs quæ hodiernis ſeculis audit تبريز *Tabriz*, ſeu *Tavrîz*, ſive *Taurîz*; tot enim modis ſonatur.[a] Hæc (ut putatur) olim fuit *Ecbatana* (de quo Nomine in ſuperioribus diximus,) mirabilis ſtructuræ Urbs & Palatium, utraque condita per Regem *Dehâcum*, ad Exemplar *Paradiſi Irèm*, quem in *Arabiâ* olim extruxerat Patrui ejus magni Pater *Irèm*, Pater *Aadi*, qui Pater *Sheddâd*, Avunculi *Dehâk*.

Perſia, à Sinu Perſico orientaliter, apud Autores aliàs vocari ſolet *Achæmenia*, & Perſæ *Achæmenes*, ſeu *Achæmenidæ*. Apud *Ammianum Marcellinum* Lib. XIX. cap. 2, in veteri Editione legitur, quòd in bello Amici *Saporem* compellabant *Achæmenem* & *Artaxerxem*. Vera autem lectio in ultimâ Editione jam reſtituta eſt, quòd ſc. vocabant *Saanſaan* & *Pirozen*: nempe شاهنشاه *Shahanſhâh* eſt *Rex Regum*, & پيروز *Pirûz* eſt *Victor*. Apud *Herodotum*, *Achæmenides* erat frater *Artaxerxis*, & *Achæmenes* erat *Darii* filius, *Xerxis* germanus utroque parente, *Ægypti* Præſes, & ibidem Claſſis Præfectus. Et alius *Achæmenes* erat alicujus *Cambyſis* Pater. Iſti autem viri ſic dicti, videntur quaſi appellativè & emphaticè eo nomine vocati fuerint: cùm, dicente *Herodoto*, Rex *Cambyſes*, hortando Perſas, eos compellabat Αχαιμενίδαι, q. d. *ô genuini Perſæ!* Nam apud *Stephanum* Αχαιμενία, ſeu Αχαιμένιον, eſt Περσικὴ Μοῖρα *Perſidis Pars*: & *Strabo* collocat Αχαιμενίδας inter *Suſas* & *Caramaniæ* fines: & ſecundum *Herodotum*, *Achæmenidum Tribus erat apud Paſargadas, & ab his Reges Perſidæ ſunt oriundi*; ſc. *uſque ad Darium*. Hoc itaque nomen videtur fuiſſe *Perſiæ* & *Perſarum* diſtinctio à *Parthiâ* & *Parthis*. Quo autem modo vox *Achæmenes* ſcripta fuerit a Perſis, ulteriùs diſquirendum.

Apud *Ruſtemi* Epitomatorem, pluraliter عجمان *Agjemân*, ſeu ſingulariter collectivè عجم *Agjem*, eſt *Perſæ*: & in omnibus Orientalium Libris, tam *Perſia* quàm *Perſæ* vocantur عجم *Agjem*, ſeu *Azjam*: formâ adjectivâ عجمي *Azjemi*, formâ plurali عجميان *Azjemiyân*; & ſic *Tábari* fere ſemper legit. *Emirchond*, in Vitâ Regis *Nûdar*, legit اعجميان *A'zjemiân*, i. e. *Perſæ*. Et ſic in *Arabico* Libro de *Gemmis* invenitur forma اعجمي *A'zjemi*, *Perſa*. Ut autem meliùs concilietur cum Formâ *Græcâ*, puto (quamvis nondum ſic ſcriptum reperi,) ana-

a Vid. Append. No. XV.

logum eſſe ut, etiam ſingulari formâ, cum Terminatione *ân* ſcribatur عجمان *Azjemâm*, eâdem ratione quâ *Arabicum* مسلم *Muſlim*, *Fidelis*, à Perſis ſemper ſcribatur مسلمان *Muſlimân* in ſingulari numero. Videtur itaque quòd, apud antiquos, Perſia dicta fuerit *Achæmenia*, ut diſtingueretur à *Parthiâ* dictâ عراق *Erâk*, in noſtris Globis *Arac*, ſeu *Arach*. Sic *Ogilbius*, in *Perſiâ*, ex ſuis autoribus refert, *Quòd Parſi*, ſeu *Perſa*, *ſit is qui ex Provinciâ Pârs*, *& Agjemi*, *qui ex quâvis aliâ Provinciâ*. Sed apud orientales moderniores, nomen *Azjem*, ſeu *Azjam*, tribui ſolet toti Perſarum Imperio, *Parthiam* etiam complectens. Apud *Afros* عجم *Azjam* ſignificat *Græcos*, aut quoſvis *Exteros*. Et in *Turcico* Fœminarum Palatio dicto سراي *Serâi*, ibi اچ اوغلان *îtch Oglàn* eſt *Servus Interior*, & عجم اوغلان *Azjàm Oglàn* eſt *Servus Exterior*.

Quoad *Parthiam*, * *ea* (dicente *Herodiano*) *erat parvus Regionis Angulus: ii tamen erumpentes evaſerunt Domini totius*. Unde autem *Græci* habuerint Nomen *Parth*, ſeu *Parthiam*, conjicere non poſſum, cùm talis ſonus, nec *Perſico*, nec *Parthico* Ore ſonari poſſit. Id proculdubio corruptum eſt pro *Pârs*. Cùm autem *Chaldæa* vocetur عراق *Erâc*; &, dicente *Angjou*, propter ſimilitudinem Soli (ſeu Aeris & Aquæ,) Medium *Perſiæ*, circa *Iſpahân* & circumjacentia Loca, eodem etiam nomine vocetur عراق *Erâc*; ergò, diſtinctionis cauſâ, *Chaldæa* plerumque vocatur عراق عرب *Erâc-Arab*, ſeu *Erâc Arabum*, & Medium *Perſiæ* عراق عجم *Erâc-Agjam*, ſeu *Erâc Perſarum*. Pro tali *Chaldææ* Appellatione reddunt Rationem, petitam ex Linguâ *Arabicâ*, quæ non eſt vera: nam *Erac* pro *Chaldæâ* ortum eſt ex *Biblico* ארך *Erec*, & *Erâc* pro *Perſiâ* ortum eſt ex ايرج *Iregi*, ſeu ايرگ *Iregh*, potentiſſimi Monarchæ *Phridûni* Filio, qui Perſiæ etiam impoſuit nomen, in Libris uſitatiſſimum, ايران *Irân*, complectens totum Perſarum Imperium ad Auſtrum montis *Tauri*, eodem modo quo ab altero fratre تور *Tûr*, tota *Tataria* ad Septentrionem *Tauri* vocata fuit تووران *Turân*.

* Ea, inquam, dicta fuit *Yrâc*, unde Nomen *Hyrcania* q. d. *Yracania*, quæ etiam hodie vocatur *Mazenderân* atque *Tabariſtân* q. d. *Securium Regio* (propter cæduas Sylvas in quibus multus uſus *Securium*) unde fuit Autor, à nobis ſæpe citatus, Nomine *Tábari*: ſic enim potius dicitur quam *Tabariſtâni*, quamvis utrumque ſit licitum. De his videas Notas noſtras ad *Itinera Mundi*.

Sed

Sed pro vario autorum uſu, Perſia, ſeu *Irân*, ſubinde vocatur ایران شهر *Irân-Shahr*, quod aliquando reſtringitur ad Perſici Imperii Partem, ut apud *Emirchond* in vitâ Regis *Phridûn*, ایران شهر را عبارت است از عراق وفارس وخراسان وقهستان *Irân-ſhahr, quo notatur Erâk & Phârs & Choraſân & Kuhiſtân.* Aliàs, aliquando Nomine *Irán-ſhahr* intelligitur urbs نیشبور *Neiſhâbur*, tanquam præcipua Urbs & olim Metropolis, (in fine Perſidis,) quæ aliàs dicta fuit شاداخ *Shâdach*, ſeu شادیاخ *Shâdyâch*, & (ſi rectè ſcriptum) شادباج *Shâdbaâh.* Et aliquando etiam *Neiſhâbur* vocata fuit پهله *Pehla:* nam tot nominum mutationes ſubiit. Eſt autem *Pehla Choraſaniæ*, ſeu *Bactrianæ*, Pars citerior, ejuſque Linguæ Dialectus. Nam ulterior *Bactrianæ* Pars vocatur بلخ *Balch*, ſeu بلخ بامیان *Balch-Bamiyân*, unde ejus Lingua eſt بلخ بامی *Balch-Bamiyenſis.* Sub Perſarum ditione ſemper venire ſolet dicta خراسان *Choraſân*, quæ *Ptolemæo* Χορόανη, malè pro Χοροσάνη.

Quoad nomen پارس *Pârs*, ſeu فارس *Phârs*, *Perſia*, id in *Olugh-Beighi* & *Naſſireddini* Tabulis non comprehendit totum Imperium Perſicum, nec dimidium ejus, ſed tantùm unam Regionis Partem, in quâ eſt *Perſepolis*, & *Shirâz*, & *Iſpahân*, &c. At *Ibn Phacreddîn Angjou* dicit, quòd totum *Irân*, ſeu *Perſiæ* Regnum, olim vocatum fuit *Pârs*, ab *Oxo* ad *Euphratem*, & à باب الابواب *Bâbo' l Abwâb* ad Mare τῆς عمان *Ommân:* & quòd, proceſſu temporis, multa alia loca Perſiæ tandem acceſſerunt, ex quibus fuit خراسان *Choraſân*, in *antiquâ linguâ Perſicâ* ſignificans *Orientem*; ideò ſic dicta, quia ſita eſt ad Orientem τῆς اصطخر *Iſtáchr*, ſeu *Perſepolis.* Unde autem orta ſunt nomina Biblica פרס *Pâras* & פרסין *Parsîn*, eſt dictu difficile: ideóque reſtat tantùm conjecturæ locus. Fruſtrà ſunt qui deducunt ab *Arabico* فارس *Phâris*, *Eques*; nam non ſunt *magis Equites* quàm *reliqui Orientales* omnes. Videbimus itaque quid dicunt Orientales. Autor Libri *Mu'gjizât* cum inſigni Elogio Perſicè tradit, τὸς قدیم فرس *Phurs kadîm*, ſeu *Perſas veteres*, *fuiſſe ex filiis* فارس بن طهمورث *Phars-filii Tahmûras, quos Anuſhirravân adduxit è medio Climatis* III & IV^ti & V^ti. *Hujus Regionis Incolas eſſe pulchriores & intelligentiores Incolis reliquarum Regionum; Corpora ſaniora, Artes & Scientias excellentiores,*

Facies formoſiores, Veſtitum nitidiorem, Cibum delicatiorem, & denique totum eorum Conductum & rerum adminiſtrationem eſſe conſultiorem. Sic ille. *Ibn Shahna* in Libro de *Primis & Poſtremis Arabicè* tradit, Eſſe apud *Arabes* qui volunt *Perſas* ſic dictos fuiſſe à فارس بن ارشم بن سام *Phârs Filio Arſham Filii Sem*, [pro *Arpacſhad* Filio *Shem*;] & *ſecundùm alios, filii Japhet. Eos autem ſeipſos deducere velle à Kejomáras,* وهم يقولون نحن ولد كيومرث وكيومرث هو الذي عندهم ابتدي منه النسل مثل آدم *dicentes, Nos ſumus filii Kejomáras: & is fuit ille à quo Initium habuit tota Progenies eorum ſicut ab Adamo.* Aliqui volunt eos eſſe ex poſteris *Japheti*; فارس بن عامور بن يافث *Phârs filio Amûr filii Japhet:* alii volunt eos eſſe ex filiis هدرام بن ارفخشد بن سام بن نوح *Hadorâm filii Arphacſhad filii Sem filii Noæ.* Aliqui Hiſtorici narrant پارس *Pârs fuiſſe filium Elam filii Shem filii Noæ.* Alii volunt quòd *Pars fuit filius Phalæ.* Quære an iſte ſit *Paldas*, qui *Pildaſh?* Ideóque inter tot dubia ſatius eſt confugere ad eam, quam ſupra adduximus, Originationem, quòd ſc. Nomine پارس *Pârs* ſignificetur *Thôs*, Beſtia inter Canem & Lupum in eâ regione abundans, unde ſumpta fuerit denominatio.

Quoad *Linguam Perſicam*, doctiſſimus Lexicographus & accuratiſſimus Grammaticus *Ibn Phacreddîn Angjou* Indo-Perſa (qui ferè CC abhinc annis vixit,) in ſuâ Præfatione Operis *Pharhàngh Gihânghîri* Perſicè ſcribens, accuratè tractat Linguam Perſicam, eámque in VII *Dialectos* diſtribuit, quarum IV ſunt متروک *Neglectæ*, ſeu *Relictæ*, & inuſitatæ, adeò ut nulli Libri, nec Tractatus, nec Epiſtolæ, in eis hodiè ſcribantur, nec in eis condantur Carmina; niſi fortè aliquando unum aut alterum vocabulum ex hiſce Dialectis adhibeant Autores. Hæ autem *inuſitatæ Dialecti* ſunt هروي *Hervi*, ſeu Dialectus τῆς هرات *Herât*; & سگزي *Seghzi*, ſeu *Segiſtanæ* Regionis Dialectus; & سغدي *Sogdi*, ſeu *Sogdiana* Dialectus; & دراولي *Drâvuli:* eſt autem دراول *Drâvul* Urbs non valdè procul diſtans ab *Herât* in *Choraſân.*

Tres

Tres *reliquæ Dialectus* tales ſunt in quibus Libri & Tractatus ſeu Epiſtolæ & Carmina ſcribuntur. Harum *Prima* peculiariter زبان پارسي *Lingua Perſica*, quæ in *Pârs* & *Iſtachr* uſitata fuit. *Secunda* eſt دري *Deri*, quæ elegantior habetur. Ajunt (inquit ille) quamlibet vocem in quâ nullus eſt defectus, eſſe in Linguâ *Deri*, ut eſt اشکم *Iſhkem*, quæ defectivè ſcribitur شکم *Shikèm*; & بِرو *Biráv*, quæ defectivè رو *Ràv*; & بگو *Bughû*, quæ defectivè گو *Ghû*; quarum priores voces ſunt in *Deri*, poſteriores non item. Eſt (inquit) *Deri* Dialectus بلخ بامي *Balch-Bamenſis*, ſeu Urbis *Balch*; & Urbis مروشاهجان *Marv-Shâghjân*, & Urbis بخارا *Bochâræ*. Dicit ſe in quodam Libro ſcriptum reperîſſe, quòd *Deri* ſit Dialectus Regionis بدخشان *Badachſhân*: eſſe qui putent homines tempore τῶν کیان *Keyân* hac Dialecto uſos fuiſſe: & *Arabum* Eloquentiſſimum (intelligit *Mohammedem*,) dixiſſe; *Si Deus aliquid mitè & leniter loquitur* τοῖς ملایکة مقربین *Angelis ſibi propinquis* (ſeu Cherubinis,) *id jubet in Linguâ Deri: ſi aſperum ſeu durum, tum in Linguâ Arabicâ, celere properante.* Et mox addit, *Quòd Lingua Incolarum Paradiſi, futura ſit vel Arabica, vel Perſica Deri.*

Tertia Dialectus eſt پهلوي *Péhlavi*, quæ Incolis vulgò ſonat *Pehéllavi*. Ea autem ſic dicitur vel à پهلو *Péhlav*, qui (ut volunt) fuit Pater τοῦ *Pârs:* vel aliàs à پهله *Pehla*, quo nomine deſignantur Urbs ري *Rey*, & اسپهان *Iſpahân* (antiquitùs dicta جي *Gjî*) & دينور *Dînavar:* aliàs autem *Péhlav* etiam ſignificat *Urbem*, quaſi *Péhlavi* ſic dicta fuerit, q. d. *Lingua Civilis, Urbana*, non *Ruſticana*. Alii (inquit) aliter. Hactenus ille.

Ego addo, *Péhlavi* ſic fortè dicatur, q.d. *Lateralis*, quia eſt Lingua *Novæ Urbis* ad Latus *Veteris Neiſhâbur* extructæ. Plerumque autem پهله *Péhla*, ſeu پهلوه *Péhlava*, eſt ſpeciatim urbs *Neiſhâbur* (ut ſupradictum,) aliàs vocata ايران شهر *Irân-Shahr:* & hæc eſt Lingua illa *Antiqua Perſica* (quibuſdam dicta زبان گبري *Lingua Ghebrica*,) in quâ ſcripti ſunt omnes *Zerduſhti* ſeu *Zoroaſtris* Libri. A ſupradicto nomine *Seghzi*, ea Regio aliàs dicitur سگزستان *Seghziſtân*, ſeu

سگستان

سگستان *Seghiſtân*, ſive سجستان *Segjiſtân*, vel سیستان *Sîſtân*: & aliter, eadem Regio vocatur نیمروز *Nîmrûz*, i. e. *Meridies*, ſeu *Media Dies*, propter ſitum.

Quin & Lingua *Péhlavi* aliis etiam nominibus vocatur, vel ſaltem aliæ ejus differentiæ cenſentur. Nam præter VII dictas Dialectos, apud prædictum Autorem (in medio ſui Libri) Ordine Alphabetico, memorantur Dialectus بهاري *Bahâri* & راماندي *Râmandi*, ſc. *Râmandæa*, ſeu *Râmandenſis* Dialectus, & *Baharenſis*. Alia Linguæ *Péhlavi* diviſio eſt اورامن *Urâman*, ſeu *Uramanenſis*, vel اورامه *Urâma*, ſc. *Uramæa*, *Uramenſis*, quæ in *Ph. Gj.* definitur, نوع از گویندگي *Species Dialecti, peculiaris Perſis & veteribus eorum Poëtis in Linguâ Péhlavi: eſt ſc.* قسم گویندگي *Sermonis ſpecies, quæ primò excogitata eſt ab aliquo homine Pagi Urâmæ, ejuſdem nominis.* Sic ille. De hac Linguâ *Péhlavi* loquitur *Chalîl Sûphi* in Libro *Nimetullâh*, پهلوي لغت مغان وفرس قدیم که عربي مخلوط نگلدر اصلا *Péhlavi eſt Magorum & Veterum Perſarum Lingua cum Arabicis haud mixta omnino.* Nam hodierna Lingua, tam *Medica*, quàm *Perſica*, multa admixta habet *Arabica*. Hujus Linguæ Literæ, ſeu Characteres *antiqui*, in hoc opere paſſim viſuntur.

Supradicti nominis *Derî* ſuperiùs allatæ ſunt ex Libro *Ph. Gj.* Rationes plures, unde certum eſt veram ejuſdem Rationem ab illo Autore (quamvis docto) ignorari. Apud pleroſque *Grammaticos*, per *Derî* intelligitur ordinaria Lingua *Perſo-Medica*, eáque elegantior; & quidem rectè. Veram itaq, dicti Nominis rationem *Turcicè* affert *Chalîl Sûphi*, دري فارسي دیمکدر آنکیچون دري درلر که بهرام گور یساق ایلدي که قپوسنده فارسي سویلیه لر وبرات ومکاتب هپ فارسي یازله اول زماندن برو فارسي یه دري درلر *Derî, hoc eſt dicere, Perſica. Ideò autem vocata eſt Derî, quia Behrâm-Ghûr decretum faciebat, ut in Aulâ ſuâ omnes loquerentur Perſicè, omniáque Decreta & Epiſtolæ Perſicè ſcriberentur. A quo tempore factum eſt, ut Lingua Perſica vocaretur Derî.* Loquitur nempe de Linguâ quæ hodiè vocatur Perſica, in quâ در *Der* eſt *Oſtium, Porta*, & درگاه *Derghâh* eſt اشک *Aſhìk Limen*, ſeu *Veſtibulum Portæ*, atque *Palatium, Aula* Regis: hinc

hinc دري *Deri*, quod primâ fronte videtur Denominativum à *Der*, reverà eſt Denominativum à *Derghâh*, ut abbreviari ſolent talia; eóque ſignificatur *Aulica*, ſeu *Curialis*. Cûmque, illo tempore, multi uterentur *veteri* Linguâ *Péhlavi*, quæ à Rege *Behrâm-Ghûr* non fuit amata, ipſe juſſit ut omnes in ejus Aulâ Regiâ uterentur Linguâ *Perſo-Medicâ*, quæ etiam *hodiè* in *Perſide* obtinet, quæ ideò dicta eſt زبان دري *Lingua Curialis*, ſeu *Aulica*. Et ipſe aliquamdiu regnans, hoc modo effecit ut hæc Lingua ab omnibus æſtimaretur: & proinde ejuſdem uſus ad hunc uſque diem apud eos continuatus eſt, alterâ *vetuſtiori* Linguâ *neglectâ* & deſpectui habitâ. Rex iſte obiit anno XXX *Theodoſii junioris*.

Ex Linguæ *Deri* Elegantiis habetur, quòd Litera د *Dâl* legatur ذ *Zâl punctata*, ſonans ut *Z* immediatè poſt quamlibet aliam Literam motam. Hinc etiam idem mos obtinet in *veteris Linguæ* vocabulis, dum à *modernioribus* Perſis, *Alphabeto Arabico* utentibus, ſuo recentiori modo ſcribuntur, ut ſcil. pro آدر *Adur* ſcribitur آذر *Azur*: & ſic in ejuſmodi aliis. Nam in *veteri Linguâ* non fuit talis diſtinctio; ſed à Temporibus Regis *Yezdegerd* hoc innovatum eſt, ex quo *Alphabetum Arabicum* loco *Alphabeti veteris* uſurpârunt. Quin & ante illa Tempora, ab omni ævo Perſæ (pro natâ occaſione) ſic pronuntiârunt *Arabum* ذ (ut & ض & ظ,) omnes ut ز *Z*, à quo etiam figura ذ haud multum abludit. Nam cùm *veteres Perſæ* in ſuâ Linguâ difficiliores illos *Arabum* Sonos non haberent, ideò, quando viderunt aliquid *Arabum* modo ſcriptum, id tamen proprio ſibi modo pronuntiârunt, ut & *Turcæ* & *veteres Chaldæi*; cùm Nulli horum *Linguæ Arabicæ* difficilioribus ſonis ſe ſuámque Pronuntiationem conformare potuerint: nam illa Lingua non eſt *ſuavis*, ſed quaſi potiùs *increpatoria* & *objurgatoria*, ut ſuprá. Et quidem uſque hodiè, Arabum Pronuntiatio ut nimis gutturalis & difficilis æſtimatur: unde aliquando lepidi Socii (præſertim *Turcæ*) Feſtivitatis cauſâ, quando animus eſt ridere & hilares eſſe, ſolent adſciſcere aliquem homuncionem *Arabicè* loquentem, (quem coram ſe loqui, vel cogunt, vel conducunt,) eum in finem, ut eundem irridere poſſint, & in cachinnum effuſi, hoc modo, ſibi complacere valeant.

Quamvis autem Lingua *Deri* olim fuerit *Aulica*, hodiè, & à Temporibus quibus *Tataricorum* Regum Series in *Perſide* regnavit, Lingua Aulica ibidem eſt *Turcica*, quæ *Tatarica*; ſed cum vocibus *Arabicis* & *Perſo-Medicis* aliquantulùm mixta. Si quis cum fructu Linguæ

Perſicæ

Perſicæ & *Medicæ* Lexicon concinnare vellet, conquirenda imprimis eſſent omnia illa *Pharhàngh* (ſeu ut vulgò ſonant *Pharàngh*,) ſive *Lexica*, quorum meminit Libri *Ph. Gj.* Autor; ut & ipſum *Ph. Gj.* completum, cum *Appendice ſuo*, qui (proh dolor!) in noſtro Exemplari deſideratur. In hoc enim *Appendice*, *Vocabula compoſita*, *& reliqua Vocabula ſimplicia* (ſc. *omnia Zendica*) *ex vetuſtiſſimis Libris excerpta extant*. Nos habemus tantùm Tomum primum, eúmque valdè mendoſum ab ignaro Scribâ.

Ex *Indiâ* etiam comparanda ſunt hæc ſequentia *Pharhàngh*, ſeu *Lexica*, quæ jam à C Annis extiterunt; & ſi quæ alia dentur recentiora, de quâ Re inquirendum.

فرهنگ ابو الحفص سغدي *Pharhàngh rẽ Abu'lHafs Sogdi.*

فرهنگ ابراهيمي *Pharhàngh Ibrahîmi.*

فرهنگ اسكندري *Pharhàngh Iſcánderi.*

فرهنگ ابو المنصور علي بن احمد منصور اسد الطوسي [1] *Pharhàngh rẽ Abu Manſûr Ali Ibn Ahmed Manſûr Aſad Al Tûſi.*

فرهنگ استاد عبد الله نيشابوري *Pharhàngh Ẽ Uſtâd Abdollâh Niſhâburenſis.*

فرهنگ تحفة الاحباب تصنيف حافظ اوبهي *Pharhàngh Túhfato'l Ahbâb, ex Compoſitione Hâfiz Ubahi.*

فرهنگ ادات الفضلا تصنيف قاضي خان پدر محمد دهلوي المعروف بدهاروا ك [2] *Pharhàngh Idâto'l Phuzalâ, ex Compoſitione Kâzi-chân patris Mohammed Déhlavi, noti nomine Dahârvâk.*

فرهنگ جامي اللغات منظوم نيازي حجازي *Pharhàngh Gjâmi AlLogât Carmine Niyâzi Higjâzi.*

فرهنگ حسين وفائي *Pharhàngh rẽ Hoſein Waphâyi.*

فرهنگ حسيني *Pharhàngh Hoſeini.*

فرهنگ حكيم قطران *Pharhàngh rẽ Hakîm Katrân.*

فرهنگ دستور *Pharhàngh Deſtûr.*

1. بن منصور اسدي, *Ibn Manſûr Aſſadi:* Exempl. *Fraſer.*

2. دهروال, *Daharvâl:* Idem.

Pharhàngh

فرهنگ دستور الافاضل *Pharhàngh Deſtûro'l Afâzil.*

فرهنگ دستور الفضلا *Pharhàngh Deſtûro'l Phuzalâ.*

فرهنگ رسالهٔ النصیر *Pharhàngh Risâlato'l Nasîr.*

فرهنگ لسان الشعرا *Pharhàngh Liſâno'l Sha'arâ, ſeu linguæ Poetarum.*

فرهنگ لغات دیوان خاقانی *Pharhàngh vocum Poëmatis Chakâni.*

فرهنگ لغات شاهنامه *Pharhàngh vocum in Shahnâma.*

فرهنگ محمد بن قیس *Pharhàngh cui Mohammed Ibn Kais.*

فرهنگ محمد [3] هندوشاه منشی کـه بنام غیاث الدین رشید تصنیف کرده *Pharhàngh cui Mohammed Hinduſhâh Mâniſhi, quod compoſitum ſub nomine Giyâtheddîn Reſhîd.*

فرهنگ مختصر *Pharhàngh Múchtaſar, ſeu Compendioſum.*

فرهنگ مولانا الهداد [4] سرهندی *Pharhàngh cui Mulanâ'l Hadâd Serhindi.*

فرهنگ منصور شیرازی *Pharhàngh cui Manſûr Shirâzi ſeu Shirazenſis.*

فرهنگ مولانا مبارک شاه غزنوی مشهور [5] بفخر قواس *Pharhàngh cui Mulanâ Mobârekſhâh Gáznavienſis, dicti Phachr Kawâs.*

فرهنگ موید الفضلا تصنیف محمد لاد *Pharhàngh Muwâyedo'l Phuzalâ, ex Compoſitione Mohammed Lâd.*

فرهنگ میرزا ابراهیم بن میرزاشاه حسین اصفهانی *Pharhàngh cui Mirzâ Ibrahîm Ibn Mirzâſhâh Hoſein Iſpahanenſis.*

فرهنگ معیار جمالی *Pharhàngh Mi'yâr Gjemâli.*

فرهنگ [6] موایدالفواید *Pharhàngh Muwâyido'l Phawâyid.*

فرهنگ سروری کاشی *Pharhàngh Surûri Kâſhi.*

3. هندوشاه بن, *Ibn Hinduſhâh:* Exempl. *Fraſer.* 4. هندی, *Hindi:* Idem.
5. عجز قواس, *'Ajez Kawâs:* Id. 6. موید, *Muwâyedo:* Id.

فرهنك شرفنامه احمد منيري مشهور بابراهيم فاروقي — *Pharhàngh pro Sherph-nâma, per Ahmed Monîri dictum Ibrahîm Pharûki.*

فرهنك شيخ زاده عاشق — *Pharhàngh τῆ Sheich-Zâde Aſhik.*

فرهنك شيخ عبد الرحيم بهاري — *Pharhàngh τῆ Sheich Abdorrahîm Bahâri.*

فرهنك شيخ محمود بهاري — *Pharhàngh τῆ Sheich Mahmûd Bahâri.*

فرهنك ضمير — *Pharhàngh Zamîr.*

فرهنك عاصمي — *Pharhàngh Aſimi.*

فرهنك عالمي — *Pharhàngh Alemi.*

فرهنك عجايب — *Pharhàngh τῶν Agjâib, ſeu Mirandorum.*

فرهنك [7] ذيك پي — *Pharhàngh Nik-pey.*

فرهنك فوايد برهاني — *Pharhàngh Phawâid Burhâni.*

فرهنك قاضي [8] طهير — *Pharhàngh Kâzi Tahîr.*

فرهنك قنية الطالبين — *Pharhàngh Kanîyato'l Tâlibîn, ſeu Acquiſitio ſtudioſorum.*

فرهنك قنية الفتيان — *Pharhàngh Kanîyato'l Phityân, ſeu Acquiſitio Puerorum.*

فرهنك زفان گويا وجهان پويا مشهور [9] بهفت — تصنيف [10] بدر الدين — *Pharhàngh Zofân-ghûyâ & Gihân-pûyâ, (ſeu Lingua loquax & Mundum percurrens,) dictum Hapht — i. e. Septem — ex Compoſitione Bedreddîn.*

فرهنك [11] سعد بن نصر بن طاهر بني تميم الغزنوي كه بنام خواجه نظام الملك نوشته وآن يكهزار ودويست — *Pharhàngh Saad Ibn Naſr Ibn Tâhir benitemîm AlGáznavi, quod ſcriptum fuit nomine, Nizâmo'l Melik, continens* 1205 *vo-*

7. علي ذيك پي, *'Ali Nîk-pey:* Exempl. *Fraſer.* 8 ظهير, *Zahîr:* Idem.
9. هفت بخشي, *Hapht Bákhaſhi,* i. e. *Septem Portiones,* ſeu *Dona.* Id.
10. بدر الدين ابراهيم, *Bedreddîn Ibrahîm:* Id.
11. سعيد بن نصير بن طاهر بن تميم, *Sa'id Ibn Naſir Ibn Tâhir Ibn Temîm.* Id.

ces,

وپنج لغت است ومسمي [12] شيخي نامه نظامي *ces, nominatum Sheichi-nâma Nizâmi.*

Horum Lexicorum Majora & Locupletiora coëmenda & comparanda ſunt.

Et præter hæc XLIV, in *Indiâ* extant IX alia Lexica quorum Nomina (ſcil. nec Librorum nec Autorum,) ſunt nobis nota, inquit *Angjou.*

His addatur *inſtructiſſimum* & *deſideratiſſium* Opus, ſeu Lexicon, quod (anno *Hegjræ* MXIV, *Chriſti* MDCV,) reperimus dedicatum *Magno Mogûl Gjihânghîr*, ſub Titulo فرهنگ بديع اللغات *Pharhàngh Badîollogât*, i. e. *Lexicon Mirabilium Vocum*, aliàs dictum تواريخ جهانگيرشاهي *Tawârîch Gjihânghîr-Shâhi*, i. e. *Chronicon Regis Gjihânghîr.* Iſte Liber XXVIII Tractatibus, & DCLX Capitibus ſecundum ordinem Alphabeti abſolvitur. Continet Simplicium Medicamentorum Nomina 8224, eáque in III linguis, *Perſicâ*, *Arabicâ*, & *Indicâ*, cum ſingularum Medicinarum Doſibus, Virtutibus, &c. Hujus Libri Autor eſt ولي سرهندي *Valy Serhindi.* Eſtque Epitome omnium Autorum quos ampliſſimæ Regiones *Arabia*, *Irân*, *Turân*, *Græcia*, *Choraſân*, *Induſtân*, &c. in hoc doctrinæ genere claros unquam produxerint. Dolendum autem quod non niſi dicti Operis *Præfationem Perſicam* poſſideamus, unde hæc didicimus. Hoc eſt *Lexicon Medicum Perſico-Arabico-Indicum*, per *Valy Serhindi.*

Cum his omnibus, ex *Indiâ* accerſeatur optimum Lexicon فرهنگ جهانگيري *Pharhàngh Gjihânghîri*, (à nobis citatum *Ph. Gj.*) cujus priorem Tomum in Folio eleganter, ſed mendoſè, ſcriptum habemus. Poſterior Tomus, qui خاتمه *Châtima*, ſeu *Appendix* (in quo ſunt Vocabula Libri *Zend*, & voces Compoſitæ,) deeſt deſideratiſſimé. Si ergò poſſibile, quovis pretio comparetur ejus ſecunda Pars, ſeu *Appendix* dicti Lexici: cùm in nullo alio contineantur *Voces Zendicæ*, quas iſtud Lexicon ſolum comprehendit. Hæc, inquam, omnia conquirenda ſunt ex *Indiâ Orientali:* cùm nec Perſia, nec ulla alia Regio, tales Theſauros poſſideat.

Cùm autem *Lexica Perſica*, quæ in *Perſiâ* & *Turciâ* extant, facta fuerint ante CC annos, eáque pro eorum Poëtis explicandis; ideo pro *moderniore* Linguâ, quæ in Perſiâ hodiè uſurpatur, conſulendum eſſet, comparando ab urbe *Iſpahân* in Perſide, *modernum* aliquod *Lexicon* ſeu Vocabularium pro recentioribus Vocabulis, quæ plurima

12. سخن نامه نظامی, *Sakhon Nâma Nizâmi*, i.e. *Sermo* (libri) *Nâma Nizâmi:* Exempl. *Fraſer.*

ſunt, eáque in dictis Lexicis non extantia; ut nuperis annis in colloquio cum *Iſpahanenſibus Perſ-Armenis* comperi. Hoc interim dolendum eſt, (& contra illud quantum poteſt præcavendum,) quòd in illa Lexica *Perſico-Turcica* MSS^ta, ante CC annos exarata, irrepſerunt in *Perſicis* multa Menda & *voces Perſicæ monſtroſæ*, quæ in Linguâ *Perſicâ* reverà nunquam extiterunt; ſed ſunt Scribarum Sphalmata, quæ tamen ab uno ad alium ſemper progagata & continuata, quaſi eſſent authentica. Et (quod pejus & multò frequentius eſt,) in *Turcicis* (ſeu in dictorum Lexicorum Interpretatione *Turcicâ*) ex Scribarum Ignorantiâ ubique ſcateant tot & talia menda, unde neceſſariò fluat falſa vocum Perſicarum Expoſitio, & Noſtrûm in magnos errores Seductio; niſi magna adhibeatur cautela, variorum Lexicorum Interpretationes inter ſe conferendo, & de iis benè dijudicando, an iis fretum erit necne: Nam unius ſingularis Codicis Autoritati rarò fidendum eſt. Horum Mendorum Exemplum petatur in pleriſque Exemplaribus in voce زواغار *Zavaghâr*, de quâ ſuprà diximus; & in voce فريدون *Phridûn*, in cujus Expoſitione, pro ضحاك تازينك malè legitur ضحاك مارينك: cum multis ejuſmodi aliis.

Præcipua, quæ *Oxonii* habemus, Lexica *Perſico-Turcica* (ſeu *Turcicè* explicata,) ſunt Liber نعمة الله *Nimetullâh*, cujus Autor eſt *Chalîl Sûphi*. Hujus habemus varia Exemplaria, quæ aliquando inter ſe differunt pro Scribarum libitu: unum inter Codices *Laudianos*, à nobis citatum *Nim. Laud.* Aliud à me tranſcriptum fuit ex *Coll. Sionenſi*, à nobis citatum *Nim. Sion.* Hujus Autographum in *Londinenſi Incendio* periit, Apographum apud me domi manet. Aliud Lexicon *Perſico-Turcicum* eſt حليمي *Halîmi Perſicum*, inter Codices, qui è Muſæo noſtro in Bibliothecam publicam tranſlati ſunt. Hoc autem diſtinguendum ab *Halîmi Arabico*. Tertium eſt Liber وصيلة المقاصد *Wasîlato'l Makâſid*, Autore رستم المولوي *Rúſtem Al Máulavi*: ſemel citavimus *Lib. Was.* Iſte ſervatur in *Arch. Seld.* Hæc omnia Lexica ſcatent mendis, ſed præcipuè ultimum, cujus *Turcica* Interpretatio mendoſiſſimè ſcripta. Hujus Epitome (quam cito *Ruſtemi Epitomator*,) extat inter MSS *Seldenianos* ſuperiores. Horum ſingulis inſerta eſt *Grammatica* pro Linguâ *Perſicâ*; non autem ſatis completa, ſed rudis & imperfecta, quæ ideò verè *Linguæ Perſicæ Rudimenta* vocari mereatur. Dictis Lexicis addatur صحاح عجمي *Sahâh Perſicum*, (ut diſtinguatur à *Sahâh Arabico*,) inter noſtros extans.

Quoad

Quoad Libros editos, Grammatica *Ludovici de Dieu* (ut & ea D. *Gravii*) eſt valdè imperfecta: & idem dicendum de Lexico D. *Caſtelli*, in quod aliorum Lexicographorum Sphalmata inferſerunt ejus *Coadjutores*; nam *ipſe Perſiſmum* non prætendebat. Ad melius & emendatius Lexicon jam edendum, nunc non invenitur aliquis qui Editionis ſumptus facturus eſt.

Quoad antiquiſſimæ Linguæ *Perſicæ* à *Medicâ* differentiam, ea poteſt illuſtrari multis exemplis; quorum loco, hoc paucarum vocum unum accipe, ubi in *Ph. Gj.* de antiquo Rege *Gjemſhîd* narratur, quòd Regni ſui Subditos diſpeſcuit diſtribuitque in IV Claſſes ſeu Ordines, in *veteri Linguâ* ſuis nominibus diſtinctos; quibus (ut comparata meliùs eluceſcant,) ex adverſo appoſui Nomina *Medica* quibus tales hodiè appellantur, ſequenti modo; ſimul cum quibuſdam aliis:

Lingua Medica, quæ Perſica audit.			*Lingua Pehlavi, quæ verè Perſica.*
پارسا *Pârſâ*	*Devotus, Religioſus,*	*Câtûzi*	
سپاهي *Spâhi*	*Militaris*	*Neiſâri*	
دهقان ſeu دهکان *Dihcân*	*Agricola*	*Naſûdi*	
دانا *Dânâ*	*Doctus*	*Ahanûchaſhi*	
خدا *Chodâ*	*Deus*	*Yezdân*	
خدا *Chodâ*	*Deus* — Ωρομάσδης	*Hormùzd*	
فرشته *Phríſhta*	*Angelus*	*Amſhâſpand*	
دیو *Dîv*	*Diabolus* — Αρειμάνιος	*Aharîman*	
تشنگي *Téſhnaghi*	*Sitis*	*Tuſhnâmâr*	
گرسنگي *Guríſnaghi*	*Fames*	*Guſhnâmâr*	
شستگي *Shúſtaghi*	*Lotio*	*Pâdyâvand*	
خاموش *Châmûſh*	*Silentium*	*Bâgj* ſeu *Bâzh*	

Primi.

Primi Ordinis كاتوزيان *Catuzæos* conſtituit in Montibus & Speluncis, vel habitare, vel multùm verſari, ibique Cultui divino & Meditationi atque Doctrinæ cœleſtis Acquiſitioni vacare. Nam hoc erat longe ante *Zerdùſht*, ſc. tempore *Sabaiſmi*, quo Deum colebant (& ſimul Planetis adolebant) in Montibus, vel, ut Strabo ait, ἔθυον ἐν ὑψελῷ τόπῳ. Secundi Ordinis نيساريان *Neiſaræos* voluit ſeipſos dedicare τῇ سپاهگري *Spâhigheri*, ſeu *Militiæ*. Tertii Ordinis نسوديان *Naſudæos* voluit Agriculturæ operam dare. Quarti Ordinis آهنوخشيان *Ahanûchaſhæis* præcepit omnis generis Literaturæ operam dare, ſc. bonas Literas colere & ſtudium in iis collocare. Iſtam etiam Quadruplicem populi Diviſionem agnoſcit *Tábari* in vitâ Regis *Gjemſhîd*, diſtinctè docens quaſnam Artes ſingulis Claſſibus injunctæ fuerunt: nam ſingulæ بلوك *Bolûk*, ſeu *Claſſes*, plures Artes exercuerunt.

Ex præpoſito exemplo apparet, quàm immane Lingua *Perſica* & *Medica* inter ſe differunt. *Ariſtophanes* in Comœdiis aliquando *prætendit* aliquid de *veteri Linguâ Perſicâ*; & tam alibi, quàm in *Acharnenſibus* Act. I. Scen. III, introducit *Artabanum* Perſam ſic loquentem,

Ιαρταμὰν ἐξαρξὰν ἀπισσονασάτρα,

quod eſt, ut ille exponit, *Rex miſſurus eſt* χρυσίον *Pecuniam*. Hi autem ſunt ſoni vacui ſine ſignificatione, tantùm ad riſum movendum in auditoribus ſuis, raptim, & ex Tempore, prolati à *Comœdo* jocoſo.

Prætereà Lingua *Medica* ex aliis mixta eſt, ſc. ex *Hebræâ*, *Græcâ*, & *Teutonicâ* ſeu *Gothicâ*. Ex *Hebræâ*, quando *Judæi* deportarentur in urbes *Medorum*. Ex *Græcâ*, (ut & ex *Gothicâ*,) in bellis quæ cum illis, eáque benè nota. Et præter Bellum *Perſicum* cum *Gothis*, quod deſcribit *Procopius*, alia Bella antiquiora eis intulerunt *Scythæ* occidentales, ſc. *Gothi*, ſeu *Getæ*, & *Maſſagetæ* circa كر وارس *Cùr* & *Aras*, ſeu *Cyrum* & *Araxin* habitantes, qui *Mediam* poſſidebant ejúſque Domini fuerunt XXVIII annos; de quâ re videatur *Herodotus*. Non eſt itaque mirum, ſi Voces & Phraſes ſuas in Linguam *Medicam* intruſerunt, & *Medi* eas (quamvis illibenter & coactè) acceperint. Et haud mirum eſt, ſi ex *Parthorum* Bello cum *Romanis*, aliquæ voces *Latinæ* etiam in Linguâ *Partho-Medicâ* reperiantur, cum etiam *Phraates* quatuor filios *Romæ* educandos miſit. Aliquot exempla ſint hæc,

ميشته *Myſhte*, Μύςης : قلندر *Kalander*, Καλὸς Ανῆρ, *Caloierus* : بربر **Barber**, *Tonſor* : ابرو **A Brow**, *Supercilium* : شنوشه **Schnuſhe**, *Sternutatorium* : وال **Whale**, *Balæna* : خدا *Choda*, **Goda**, *Deus* : ديو *Dîv*, **Divel** : پدر *Páder*, **Fader**, Πατῆρ : مادر *Mâder*, **Moder**, Μήτηρ : برادر **Broder**, Φράδωρ : دختر **Dochter**, Θυγάτηρ. Pro his tamen plerumque habent alias voces *purè Medicas*, quas non excluſerunt intruſores *Teutonico-Gothicæ*: ut ab אב *Ab* habent باب *Bâb*, *Pater* : ab אם *Em* habent مام *Mam*, *Mater* : دادر *Dâder*, *Frater* : سرتراش *Sertrâſh*, *Tonſor* : &c. Hæc impræſentiarum de Linguâ *Medicâ* dicta ſunto : cùm integram depoſceret Diſſertationem, illam Linguam ſtrictè rimari & excutere, atque heterogeneas voces ſeparare, quod hoc tempore fieri nequit.

MAGO-

Literæ in Libris ZEND & PAZEND, juxta Apographum D. *Hyde*, uſitatæ; una cum Ligaturis & Abbreviaturis Zendicis.

Ligaturæ & Abbreviaturæ Libri Zend.

Aliquæ Literæ Zend & Pazend, a Zendicis diverſæ.

Figura	Nomen	Poteſtas	
	Aa	â longum.	1
	Aa	â longum.	2
	Aa	ă breve, vel e.	3
	Ba	b. B.	4
	Pa	p. P.	5
	Ga	GH durum.	6
	Gja	G molle, ſeu Gj. ج	7
	Tcha	CH molle, ſeu Tch. چ	8
Fin. Med. Init.	Da	d. D.	9
	Ha	h. H.	10
	Va	v. V.	11
	Ou	u. U.	12
	Za	z. Z.	13
	Zha	Zh, ſeu Sh molle. ژ	14
	C'ha	Ch durum. خ	15
	T'ha	Tt, vel T craſſum.	16
	Ya	Y. Arab. ي	17
Fin. Fin. Fin.	I	i. I, ſeu Ee.	18
	Ca	C, ſeu K.	19
	Gha	GH. ك	20
	La	l. L.	21
	Ma	m. M.	22
Med. Init.	Na	n. N.	23
	Sa	ſ. S.	24
	Gha	Gh durum. غ	25
	Pha	Ph, ſeu F.	26
	Ra	r. R.	27
	Sha	Sh.	28
	Ta	t. T.	29

Figuræ Indo-Perſic.	۱	۲	۳	۴	۵	۶	۷	۸	۹	۱۰	۲۳	۶۳	&c.
Arabicæ.	١	٢	٣	٤	٥	٦	٧	٨	٩	١٠	٢٣	٦٣	&c.
Arab. Hodier.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	23	63	&c.

Punctum .
3 Puncta. ∴
Fin. Paragr. ✲
Hyphen =
Supra Voc. initio Paragr. }



EX MVSEO M. DVANE

Ryland Sculp


1 yé semel
2 ul bis
3 son ter
4 sù quater
5 u quinquies
6 lo sexies
7 çi septies
8 pa octies
9 kieu novies
10 she decies
100 pe centies
1000 çien millies
10000 van decem millies
2 van myrias
3 quon numero
Numus
1/2 pon dimidia
1 yé una
2 ul duæ
3 san tres
4 sù quatuor
5 u quinquè
6 lo sex
7 çi septem
8 pa octo
9 kieu novem
vên pars
vên partes
çien nummi
et sic deinceps pergendo ad 10000
Chorda
1 yé una
2 ul duæ
3 san tres
4 sù quatuor
5 u quinquè
6 lo sex
7 çie septem
8 pa octo
9 kieu novem
ço chordæ
çiu ipsa
et sic deinceps pergendo ad 10000

MAGORUM

LIBER

SADDER,

ZOROASTRIS PRÆCEPTA

ET CANONES CONTINENS:

In uſum Eccleſiæ Magorum & Fidelium eorum omnium.

Præfatio Editoris.

LIber SAD-DER [a] eſt Canonum & Præceptorum ex *Zerduſhti* ſeu *Zoroaſtris* Operibus Collectio, circa *ducentis* abhinc Annis facta in uſum Eccleſiæ *Magorum*, quam, in *vulgari Linguâ Perſicâ*, carmine compoſuit quidam eorum *Deſtûr*, ſeu *Præſul*, (qui *Melicſhâhi Filius*, in *antiquâ Linguâ* & veteribus Libris verſatiſſimus & Doctiſſimus. Partem Procemii dicti Libri, aliâ occaſione, ſuperiùs dedimus *Perſicè* & *Latinè*; quo quidem modo, alia quædam ibidem Præfatoria in hoc loco mox dabuntur. Quoad hujus Operis Traductionem, conſultum viſum eſt aliquando ejus Summam dare, (omittendo prolixiores *Tautologias*, ſeu ejuſdem materiæ in aliis verbis repetiones,) potiùs quàm integram & juſtam ejuſdem concinnare Tranſlationem, quæ, hoc modo, in nimiam molem excreſceret, & hunc noſtrum Librum ultra deſtinatos limites tumefaceret; quod res noſtra non patitur.

Ex Procemii Partibus quas dedimus, videri poteſt qualis ſit Stylus, qui quidem eſt humilis, prout talem Materiam decet. Sed iſtiuſmodi humilis Poeſis vulgari eorum Eruditioni ſat ſublimis videatur; eis præſertim, quorum non eſt in verbis *Elegantiam*, ſed in ſenſu *Pietatem* quærere, & præcipuè attendere ad dicti Libri Præcepta, ex ſui Prophetæ Operibus petita, & (qualiſcunque fuerit Stylus,) ſummam eorundem Autoritatem ſpectare; cùm iſte ſit *Codex Canonum Eccleſiæ eorum*, & ſola *Fidei* & *Morum Regula*, quam in modernâ Linguâ Perſicâ, ſibi vulgò notâ, poſſident. Veteres enim Libri, ex quibus iſte Codex extractus & concinnatus eſt, exarati ſunt Proſâ, in *antiquâ ob-*

a I. e. *Centum Portarum*, ſeu Capitum, cujus tantum Procemium & Epilogum *Perſico-Latinè* dedi, Curioſitatis cauſâ: cum totum Librum eo modo dediſſe in nimiam Molem excreviſſet, & in nimios Sumptus exorbitâſſet.

ſoletâ Linguâ, à *nemine* vulgi, & à *paucis* Sacerdotum, benè intellectâ: adeò ut plebs, dum precibus interſunt, omnia à Sacerdote lecta non intelligant: ſed libenter audiunt Sacerdotes legentes & eos officia ſua docentes. Cùm itaque (ut dictum) Textus ſit humilis, nos non affectavimus in Stylum ſublimiorem reddere; ſed potiùs eundem imitando (ut Interpretem oportet,) familiari & humili Phraſi uſi ſumus, (ſicut etiam ſubjecta Materia religioſa depoſcere videbatur,) & pleraque κατὰ πόδα dedimus; ut, hac ratione, Lector putet ſe cum *ipſis Magis* in colloquio verſari, & illos religiosè præcipientes audire.

Atqui monendum eſt, quòd aliquando iſte Autor incautè utitur Phraſi *uſque ad diem Reſurrectionis*, pro *uſque in æternum:* eâ enim locutione apud eum non ſemper ſtrictè intelligitur illud tempus quo homines ſunt reſurrecturi, ſed potiùs tempus omnium longiſſimum & ultimum, quando Tempus non erit ampliùs. Hoc Opus dividitur in C *Capita*, ſeu C *Portas*, quod itaque סדר *Sad-der* ſeu *Centiportale* vocatur. Et Autor alludens ad *Portæ* nomen, ſuum Opus comparat cum Urbe *Centum Portarum*, & aliquando ſibi placet cum ejuſmodi Metaphoricis ludendo, ut Lector ibidem videbit.

Pars

Pars Proœmii *Melicſhâhi Filii*, Magorum Præſulis, در سبب نظم
ایں کتاب *de Cauſâ conſcribendi Librum iſtum.*

آهي زبان مرا در بيان	*O Deus, linguam meam in explicatione*
روان ساز مانند آب روان	*Fluentem facito, uti eſt aqua fluens:*
که تا در ره دين بگويم سخن	*Ut in Religione dicam verbum,*
کنم تازه اين رازهاي کهن	*Antiqua hæc Arcana renovabo.*
نه من از خود اين راز کردم عيان	*Ego à meipſo hæc Arcana non obſervavi,*
چنين بود تقدير رسم جهان	*Ut hujus Mundi mos eſt.*
که ناگه بکرمان فتادم گزار	*Sed quando inopinatò in Caramaniam incidi,*
مرا بود يزدان بري شهريار	*Deus me perduxit ad Shahriyâr,*
همان شهرياري که دستور بود	*Eum quidem Shahriyâr, qui fuit Deſtûr,*
دل ودیدهٔ او پر از نور بود	*Cujus cor & vultus lumine plenus:*
بسي علم دين راز بر داشتي	*Qui multa in Religionis ſcientiâ tulit Secreta,*
بعلم او عملها بر افراشتي	*Et per ſcientiam ſuam Opera ſua extulit.*
بملک وخلايق بد او شهريار	*Poſſeſſionibus & Moribus fuit verè Shahriyâr,* [i. e. illuſtris,]
بنام ونسب بود هم شهريار	*Nomine quoque & Proſapiâ fuit Shahriyâr.*
بد او دغز دستور دين اردشير	*Fuit ille in Religione ſincerus Deſtûr* تـ *Ardeſhîr,*
که بهرام شاهش پدر بود شير	*Cujus Pater fuit Behrâm-Shâh leoninus,*
که او دين به را پناهي بدي	*Qui bonæ Religionis fuit Aſylum,*
بعلم وعمل پادشاهي بدي	*Scientiâ & Praxi verè Rex fuit.*
بد اورا پسر چهار در راه دين	*Is quatuor habuit filios in viâ Religionis;*
همه راه دان وهمه راه بين	*Omnes erant viæ gnari & viæ perſpicaces.*
يکي بود دستور دين شهريار	*Horum unus in Religione fuit Deſtûr* [dictus] *Shahriyâr,*

Alter

فریدون یکي آن رد کامگار	*Alter fuit Phridûn Sapiens desiderii compos;*
کزو علم دین بود آراسته	*A quo Religionis scientia fuit ornata,*
زلطف وزبانش درج کاسته	*Ex Eloquentiâ & Linguâ ejus Diabolus labefactatus.*
دگر [1] اهل دیندار اسفندیار	*Alius homo erat religiosus Isphendiyâr,*
که اورا نبودي قرین در دیار	*Cui par non erat in totâ illâ regione.*
چو دستور دین تازه اندر سخا	*Qui, sicut Religionis Destûr, fuit Liberalitate excellens,*
سرش با مروت دلش با صفا	*Caput ejus civilitate, & cor ejus sinceritate pollens;*
دگر بود دستور بهرام شاه	*Alter Destûr fuit Behrâm-Shâh,*
کزو خانهٔ دیو گشتي تباه	*A quo Diaboli domus fuit destructa.*
دلش روشن از نور خورشید بود	*Cor ejus fuit ipso Sole lucidius,*
بخلق وکرم همچون جمشید بود	*Indole & Generositate ad instar Gjemshîd.*
دگر بود دستور پیزن چو ماه	*Alius Destûr fuit Pîzhen, sicut Luna* [illustris,]
که اورا پدر بود بهرام شاه	*Cujus pater fuit Behrâm-Shâh,*
بدانش چو جاماسپ پاکیزه کیش	*Ille erat Scientiâ ad instar Gjâmasp, Religione sincerus,*
درخشان چو خورشید بر اهل خویش	*Sicut Sol super familiam suam splendens.*
دگر بود دستور نوشیروان	*Alius Destûr fuit Nushirravân,*
که دادش خداوند انوشه روان	*Cui Deus dedit Anûsha-revân,* seu *placidum animum.*
شمر بود در دین بعلم وکمال	*Sedulus fuit in Religione, in Scientiâ & in Excellentiâ,*
بر آرنده بودي بجاه او جلال	*Et dignitati suæ afferebat honorem.*
دگر بود بهرام شاه جوان	*Alius fuit Behrâm-Shâh juvenis,*
چو دستور با موبدان وردان	*Qui, sicut Destûr, fuit cum Præsulibus & Sapientibus,*
سخن طبع خرم دل ویادگیر	*Verborum Exemplar, hilaris Corde, & rerum memor,*
جوانمرد با دانش دلپذیر	*Liberalis, cum scientiâ cor demulcente.*
دگر مهربان آنکه بد مهربان	*Alius fuit Mihrbân, qui verè fuit Mihrbân,* seu *misericors,*

1 Pro اهل دیندار *Homo religiosus,* aliud Exemplar legit اهلوادید i. e. *Homo revidens,* vel *Autor respiciendi.*

Sapiens

خردمند دانا دل وکاردان — *Sapiens, corde sciens, negotii gnarus.*

دگر پیژن یزد آن مرد نغز — *Alius fuit Pîzhen-yezàd, ille homo sincerus,*

که اورا خبر بود از مغز مغز — *Qui fuit gnarus medullæ medullarum:*

دل او زنور یقین بهره مند — *Cujus cor fuit certè luminis particeps,*

بپاکي مکانش بهشت بلند — *Cujus locus propter sanctitatem erat Paradisus altissimus.*

دگر آذر آن مرد با علم وکسب — *Alius fuit Adur, vir ille sciens & sedulus,*

بکرمي وپاکي چو آذرگشسپ — *Generositate & Puritate sicut Adur-gushâsp.*

همه پاک دستور مودن دران — *Omnes erant sancti Destûri, Præsulibus orti,*

همه پارسا مرد پاکي اعتقاد — *Omnes viri religiosi, sinceræ fidei:*

همه راد وداننده دل ودین پرست — *Omnes erant sapientes, corde scientes, & religionem colentes.*

همه خوب کردار وپاکیزه دست — *Omnes erant Actionibus boni, Manibus puri:*

همه نامبردار وداننده پژوه — *Omnes erant celebres, scientiam inquirentes,*

همه با کمال وهمه با شکوه — *Omnes excellentiâ & gravitate præditi:*

همه با سخا وهمه با وفا — *Omnes liberales & omnes promissis stantes,*

همه با عطا وهمه با صفا — *Omnes benefici & omnes civiles:*

همه دریي دانش از مردمي — *Omnes prosequentes scientiam apud homines,*

همه لایق خانهٔ محرمي — *Omnes digni Familiâ Principis:*

همه دل نشیمن وهمه سر فراز — *Omnes corde sedato & omnes capite elato,*

همه راه دان وهمه کار ساز — *Omnes viarum gnari, & in negotio faciendo gnari,*

همه کار فرما همه رهنما — *Omnes negotia urgentes, omnes viam dirigentes,*

همه راست دان وهمه دلکشا — *Omnes rectorum gnari, omnes corda aperientes:*

همه دره دین خود استوار — *Omnes in viâ religionis suæ firmi,*

بدین به اندر جهان کامگار — *Religionis in Mundo optimæ compotes.*

بدین جمع دستور پاکیزه جون — *In hoc cœtu fuit Destûr sinceræ bonitatis,*

یکي مرد در خدمت آن جمله بود — *Vir, inquam, qui hisce omnibus minister fuit,*

زدیمن داشت آیین پیشینگان	*Qui in religione tenuit mores anteceſſorum :*
بخدمت بد این جمله را در جهان	*Is, inquam, fuit omnium in hoc Mundo Miniſter.*
بدین بود آن مرد نیک اعتقاد	*Iſte homo fuit rectæ fidei,* [ſc. Autor,]
زدینداریٔ خویشتن بود شاد	*In Pietate ſuâ gaudens,*
بایران شه آن مرد مشهور بود	*Apud Perſiæ Regem iſte homo notiſſimus fuit,*
ملکشاه را در جهان پور بود	*Et cui Melicſhâh in hoc mundo filius fuit.*
ولایت ازو بود فیض ومدد	*Toti regioni ab eo fuit abundantia & ſuppetiæ,*
که شد سفته ایمن گوهر بیعدد	*Quia infinitæ ejuſmodi Margaritæ ab eo perforatæ ſunt,* [i. e. res ſubtiles factæ.]
بتاریخ فوت ملک یزدجرد	*Fuit Epochâ Mortis Regis Yezdegjerd,*
که در دامن خویشتن پاک کرد	*(Qui ſyrmatis ſui Unionem reddidit purum :)*
همی بود هیصد بر او شصت وچار	*Fuit, inquam,* 800 *cum* 64,
اسفندارمذ ماه ای کامگار	*Menſe Iſphendârmaz, ô voti Compos !*
ششم روز آن روز خوردان بود	*Die ſexto, qui fuit Churdâd,*
کزین نظم جان وخرد شاد بود	*In quo de iſto Poemate* [ſeu Syntagmate] *animus & intellectus gaviſus eſt.*

1 Eſt پاک دامن *Moribus Integer*, ad verbum, *Vir puri Syrmatis* ſeu *Laciniæ veſtis*, qui nil mali poſt ſe trahit. Præmiſſo Proœmio, reliqua damus Latinè tantùm, ſequenti modo.

PORTA I.

PRæcipitur nunc, ô Vir Liberalis, Sapiens, & Beate, ut ſis Zerduſhti Religionis Aſſecla : & omni dubitatione ac fluctuatione è corde ſublatâ, oportet ſequi Religionem cui Eſpintamân ; quia ad Zeratûſhtum venit pro certo, Hanc eſſe omnium Religionum Optimam. Nam omnia quæ dixi ſunt certè vera, & hæc eſt Religio quam Deus miſit. Et quando homines in hanc Religionem credunt, omnibus dubiis ſepoſitis, quæcunque Merita in VII terræ Climatibus homines habuerint, (cum omnibus particulis quas fecerint,) omnes ſigillatim talium Remunerationem invenient ; nam ſic eſt Mandatum Juſtiſſimi-Dei, ut omnes ſecundùm Opera ſua, bona

bona aut mala, judicentur. Et quando quarto mane ventum erit ad Pontem Tchînaver, ibi Mihr-Izàd & Reſhn-Izàd computabunt quid fecerit, omneſque ejus Dictiones in Bilancibus juſtitiæ & æquitatis ponderabunt: quòd ſi ejus Merita Peccatis præponderaverint, ad Paradiſum iturus erit, ubi Anima ejus cum Bonis ac Beatis in Luce habitabit. At ſi de iſtâ Religione dubitaverit, nulla Meritorum ejus Ratio habebitur, nec quicquam ei proderunt. Hæc enim Religio nullam admittit dubitationem, ſed requirit fiduciam & certitudinem, quæ colentis Animam à Tormento Gehennæ liberabunt, nec à Diabolo timendi locus relinquetur: nam quando aliquis certior factus eſt hanc eſſe Religionem optimam, exeunte Dubitatione, intrat Certitudo.

Porta II.

OMnibus Bonis præcipitur cavere à Peccatis, etiam parvis: in hac enim Religione, ſi Peccatis Merita, vel minimum, præponderaverint, Paradiſum obtinebit, ubi æternùm manebit. Si autem Peccata fuerint numeroſiora, certiſſimè in Infernum præcipitabitur, ubi æternùm detinebitur. Ideóque ſi vel minimum Peccatum voluerit ſe inſinuare, contra illud pro virili contende; ut, ſi Merita tua fuerint plura, in Paradiſo locum obtineas æternúm.

Porta III.

OPortet noſſe teipſum & in actiones tuas inſinuare: nam quicunque bono opere occupatur, Diabolus ab ipſo amovebitur. Inutilia facere, eſt nil niſi otiari; unde proveniet tantùm Imminutio & Deterioritas. Ex hac enim Religione conſtat, quòd qui bonum Opus aggreditur, quamvis interim Moleſtiam comperiat, tamen ex eo tandem uberiorem Mercedem reportabit, multum Luminis ſentiet, & Meritorum Præmio ditior evadet. Si autem [mala] *Opera ſua non reliquerit, Difficultatem & Moleſtiam percipiet multam; cùm Pœna futura ſit Portio ejus, & vanum Opus Mulcta illius. Sin abſque Operibus ſuis* [ſc. peccaminoſis] *ambulaverit, meliora Opera coram Oculis ſuis ponendo, quamvis ejus Opes deprædaverint ipſúmque in viâ occiderint, nihilominùs Paradiſus*

 indubi-

indubitanter erit Locus ejus. In Paradiſo remunerabitur quadrupliciter, & multum in ſe Meritum reperiet apud Dominum ſuum: ipſe enim, à Peccato purificatus, habebit Merita ei atteſtantia. At è contra, ſi ad Res vanas inſtituerit Iter, illum trucidantes, auferent omnes Opes & Pecuniam: in illo Mundo illius Opus deſtruetur, ex Operibus ſuis Vultus ejus denigrabitur: & Bona ac Pecunia, ab eo ablata, erunt quaſi ea abſtuliſſent Egeni, & quaſi injuriosè aliquem occiderat: ſic illius miſeri res reputabitur. Pro Quantitate Subſtantiæ ſuæ punietur, Moleſtiæ & Miſeriæ Pœnam feret: in Gehennâ erit Locus ejus uſque ad Reſurrectionem [ſeu in æternum,] *nec inde evadendi facultas erit.*

PORTA IV.

OPortet Religioſum non deſperare de Miſericordiâ Dei: nam Spei Comes eſt Remiſſio, & à Remiſſionis Autore Ignis [zeli] *eum comitabitur. Non eſt dicere, Multa habeo Peccata, ideóque non debeo expectare à Deo Paradiſum. Nam ille eſt multum dans, & parum accipiens: & Deus Omnipotens Miſericordiam ei faciet: ad Paradiſum perducet, à Metu liberabit, ideóque noli tuam in Deo benigniſſimo Spem præſcindere. Nam ex noſtrâ Religione conſtat, quòd, certo quodam die, Zeratuſht Soliloquia cum Deo habuit: in Colloquium itaque cum Deo veniens, ex improviſo vidit aliquem cujus corpus erat in Gehenna; Rogatu autem, Pes ejus dexter è Gehennâ exemptus eſt. Zeratuſht itaque interrogavit, ô Creator, quiſnam eſt iſte Vir pedibus-debilitatus? Deus ei reſpondit, Ille eſt quidam Rex, qui XXXIII urbibus præfuit: multos quidem annos regnavit, ſed opus aliquod bonum nunquam fecit in toto Mundo: nam præter Oppreſſionem, & Injuſtitiam, & Injuriam, & Violentiam, ei in Mundo non fuit nec plus nec minus: namque multum dolorem & moleſtiam ab eo paſſi ſunt homines, & ſic ille manſit in Palatio Manſionis ſuæ. Quodam verò die in Itinere vidit ovem ligatam, à quâ pabulum fuit longiuſculè remotum; ille autem pede feriens, illud propiùs admovit. In hujus rei compenſationem, unus ejus pes eſt in littore, & reliqua ejus membra in Gehennâ. Bonum itaque annitere, abſque Metu & Timore, nam certè Deus eſt benignus & miſericors.*

Porta V.

Oportet homines religioſos anniti ut feſtinent & quæritent Occaſionem Interceſſionis faciendæ, cùm ſciant tandem moriendum eſſe. Nam, hac ratione, quiſque præſtabit Eleemoſynam: & qui hoc facit verè Vir eſt, cùm in noſtrâ Religione nihil plus meriti in ſe habeat. Quamvis enim vir bonus multum Meriti habuerit, & tamen non præſtiterit ullas Eleemoſynas, utique Gherûtaman [Angelus] *non intuebitur Intentionem ejus, cùm non fecerit opus Eleemoſynarum. Si propriâ manu hoc opus non præſtiterit, id alicui Bono faciendum commendet: nam ſi neceſſariò debet hunc Mundum emere, hoc præcipiat, & à Deo inveniet Incrementum. Quando autem iſte homo ipſe facit Eleemoſynas opus ſuum, tum ſcito illum hoc opus reverà feciſſe illâ vice. Hoc opus tam Viris quàm Fœminis neceſſarium eſt, ut ex eo Paradiſi Meritum accipiant: nec oportet hoc opus præſtare negligenter, nam præcipuum meritum habet in hac Religione veriſſimâ. Et cùm aliquis juſtè præſtiterit Eleemoſynas, & fecerit hujus Mundi Emptionem,* [Angeli] *Animam ejus ter ferent ad Paradiſum, quem, ut locum ejus, ei tradent, eique Virgines Paradiſeas largientur. Oh quàm felix is eſt cui talis Natura!* [ſc. cui taliter proſpectum eſt!] *Eum rurſus ferent in hunc Mundum, ibi multâ Lætitiâ & Felicitate fruiturus erit. Hujuſmodi erit Viciſſitudo Temporum ex Interceſſione, ut ſc. inde locum in Paradiſo inveniant. At quando aliquis non facit Eleemoſynas, tum peregrinus erit in Civitate* [Dei,] *nec commodum locum in eâ Civitate reperiet, ſed ibidem manebit omninò attonitus: nam quamvis ea Urbs ſit amæniſſimâ & clariſſima, is tamen erit cum Moleſtiâ & Miſeriâ: nec propter quodvis meritum ſuum inveniet* [ibi commodum] *locum, niſi per Interceſſionem & Eleemoſynas: nam pro Animâ omninò neceſſarium eſt præſtare Eleemoſynas, quia, hac ratione, erit Requies Animæ ejus, ſicut præcipiunt* [i. e. ajunt] *Religioſi.*

Porta VI.

O *Portet* [homines] *facere Bona-Opera, ut tandem inveniant Mercedem & Bonum præcelſum: nam ſi non curant Bona-Opera facere, ſemper manebunt in Ponte Tchînavar, & malâ pœnâ mulctati, ibi erunt alligati in æternum,* [ſc. in tranſitu præpediti.] *Memento hæc Bona-Opera præcipuè eſſe Sex, in quibus lætabundum ſit Cor tuum. I, Horum unum eſt τὰ Ghahanbârhâ* [ſeu Creationis Tempora] *obſervare: II, Secundum eſt τὰ Phervardaghân* [ſeu Appendicum Feſta] *celebrare: III, Tertium eſt Animæ Patris & Matris & aliorum Propinquorum (ſi aliqui ſint) meminiſſe* [in Aphrinaghân:] *IV, Quartum eſt Solem celebrare ter quovis die: V, Lunæ Celebrationem facere ter quovis menſe, Initio, & Medio, & Fine; ſc. Initio, quamprimùm eam videris in Cælo, & Nocte decimaquartâ, & Fine, quando attenuata ferè latet: VI, Sextum eſt ut ſemul quovis anno proficiſcaris* [ſeu Peregrinationem ſuſcipias ad Metropoliticam Eccleſiam] *ad Interceſſionem faciendum. Qui prætendunt neſcire hoc modo pro ſe Interceſſionem facere* [ſeu ſupplicare,] *ſciant hoc Præceptum eſſe ſecundùm viam Juſtitiæ & Religionis. Sic enim dicit quivis doctus* [ſeu verſatus] *in Libris Pâzend & Zend; diſcant ut pro ſe Interceſſionem faciant. Hæcce Sex tam Viris quàm Fœminis præcipiuntur, nec quiſquam ab eis exemptus eſt. Si pro te non feceris, nec tranſibis* [Pontem,] *nec poſſibile erit ut ad eam propè accedas. Id non poteſt eſſe. Si autem hoc à te profectum fuerit, per Abſolutionem tranſiturus ſis. Hæc neglexiſſe, ſcito eſſe Crimen & Peccatum grande: tu etiam in Ponte detineberis, nec Remiſſionem ibi invenies; nec percipies merita, nec quodvis bonum, niſi propter hæc Sex; nec à ſupplicio eximéris, quamvis Merita habueris Ducenta. Ideóque contende ut hæc facias, nec in eis remiſſus eſto. Hæc, inquam, præſta, ô Cordate, nam ex eis invenies magnam Mercedem: in horum Meritorum Retributionem invenies Paradiſum, per Pontem tranſibis ut Ventus per Sata; & pro horum ſex Bonorum-operum ſingulis invenies Mercedem copioſam.* [*In* VII^mo^, ſtatuit Sternutationem eſſe Bellum Naturæ cum Diabolo, quem ſternutando expellit Natura.]

PORTA VII.

OPortet pro quovis Sternutante recitare ſemel unum Ahúnavar & unum Aſhîm vuhû: has, inquam, duas voces recita, ut Paradiſum invenias, & à malo libereris; ut per hæc duo Verba expellas Morbos quos Diabolus in Corpore humano locum habere affert. Scito enim, quòd ſit in Corpore Ignis quidam, Perſicè dictus Tchébra, Arabicè Tabîat & Garîzi, [i. e. Natura.] *Quando iſte Ignis, ex mandato Domini-Altoris, Bellum gerit cum Diabolo, eum bellando è corpore expellit; & hac ratione, fugato Diabolo, ex Sternutatione Corpus ſanum evadit. Ideóque, aliquo ſternutante, dicito Yatâ ahû,* (al. *Ahúnavar,*) *& Aſhîm, & Preces funde, ut diu & ſerò maneas* [ſeu vivas,] *Dæmonémque fuges. In hoc etiam Opere, coram Igne Preces fundito, ut corpus à Diabolo liberum ſit & lætum. Superveniente itaque* [alicui] *Sternutatione, Benedicito, (tu qui Paradiſo vicinus es,) ut Natura in tuo corpore non fiat Diabolus, nec Cordi tuo lucido Triſtitia eveniat.* [In VIII^vo jubetur non facere aliquid à Superintendente prohibitum: & Decimas ei ſolvere.]

PORTA VIII.

EX Religionis Principiis manifeſtum eſt, quòd oporteat τῷ Deſtûr [ſeu Superintendenti] *ſuam Superintendentiam* [ſeu Autoritatem] *concedere, nec à Mandato ejus recedere, quippe qui ſit Religionis Ornamentum & Decus. Nam quamvis Bona-opera habueris innumerabilia, ſicut Arborum Folia & Arena mobilis, ſicut Pluviarum Guttæ & Cælorum Stellæ, ſi tamen Deſtûro non ſunt accepta, nihil ex eis lucraberis: ſi Deſtûr non ſit de te contentus, nihil in hoc Mundo laudis reportabis. Ideóque ex omnibus quæ habes, ô Fili, (ſc.* كردهء *Bono, &* مال *Opibus, &* دينار *Aureis, &* زر *Pecuniâ,) Portionem decimalem dabis Deſtûro, quippe qui in viâ rectâ inſiſtat. Deſtûro itaque Decimas dato, Tu qui Paradiſo frui cupis æternùm. Nam ſi Deſtûr de te contentus eſt, ſcito tuum fore Paradiſum: ſi autem Deſtûr non fuerit contentus, nec tu eris Particeps Beneficii Bonorum-operum tuorum; ad Paradiſum Anima tua Viam non inveniet, cum Angelis tibi non erit locus; nec Anima tua à Diabolis liberabitur, ſed locus in Gehennâ erit æternùm. Decimas autem dando, de te erunt contenti, & Anima tua ſine Morâ in Paradiſo erit. Deſtûri enim omnium Religionem noverunt, omnes res ſciunt, & omnes Homines liberant.*

PORTA

Porta IX.

Vetita eſt Perpetratio Pædicationis [ſeu Buggerationis,] *quamvis vel ſemel tantùm id Facinus perpetraturus ſis. Et præter eum, alter qui in hoc Facinore occupatus fuerit, quamvis conductitius, is Cinædus ſit. In tota Religione, aliquid Peccato hoc majus non eſt prohibitum; ideóque quicunque Religioſus es, ab eo caveto: nam omnium Peccatorum præcipuum eſt hoc opus malum: Bipennem* [ſeu Securim] *in pedem ne allidas, ô vir bone! Si quis hoc Peccatum commiſerit, duas perſonas eodem Crimine vitiatas involvit: quicunque, vel Sagittâ, vel Enſe, vel Pugno, vel Calcaneo, utramque interfecerit, non erit ei malum nec peccatum. Ventrem ejus laceret, ſi tunc non ſit alius Peccati ejus Vindex. Quemcunque enim ob Peccatum Neci tradituri ſunt, vel per poteſtatem Deſtûri Deſturorum, vel per Mandatum Regis, oportet eum in Mundo* [i. e. judicialiter] *occidere; exceptis duobus iſtis infauſtis qui perpetrant hoc fœdum Pædicatorum Scelus, quibuſvis Diaboli Operibus par,* [qui in ipſo facto occidendi ſunt.] *Ejuſmodi ſpurca fecerunt Aphraſiyâb & Dahhâk peſſimus, & Tûr-Brâtur* (al. *Tûri-Brâtruſh* ſeu — *treſh,*) *ſpurcus ille & obſcœnus, qui trucidavit Zerduſhtum in illâ Religione in quâ fuerat ei Zelus, & cui is erat Suſtentaculum. Aliâ vice extitit Malcûs, propter cujus Præſtigia Mundus fuit ſubmerſus: poſteà Sarûregh, â quo (Tempore Sâm) Mundus Oppreſſionem & Injuriam paſſus eſt. Sed Peccatis quatuor iſtorum, ſuo Tempore impuriſſimorum, pejor eſt Pæderaſtia* [ſeu Pædicatio,] *& Gherûtamân eos propterea puniet: nam propter hoc vexantur Angeli. Ita dixit Deſtûr doctiſſimus; Pædicator certè eſt extra ſe: ſi aliquis Deicola in eo opere ſemel Actor fuerit, propter hoc à Gehennâ non liberabitur, nec faciem Paradiſi intuebitur. Quando ex Corruptelâ ejuſmodi opus faciunt, nec Deus, nec Angeli, nec Aqua, nec Ignis, inde hilares ſunt, ſed à tam malo Facinore prorſus dolent. Omni homini beato, & omni rei quam Deus in Mundum introduxit, Moleſtia eſt & Difficultas eſt propter hoc opus quod in Spurcitie deſinit. Et, ſi quidem cum Fœminis hoc opus faciunt, perinde malum eſt. Cave itaque ab hoc Opere Diabolico, quicunque es qui ad Paradiſi Roſarium contendis.*

Porta X.

Præceptum hoc eſt in omni ſuâ viâ tam Viris quàm Fœminis religioſis incumbens, alligare Cingulum, & præſtare Eleemoſynas: nam alligare Cúſti [ſeu Cingulum] *etiam dictum Camàr, eſt Præceptum Dei, cùm ſit Signum obedientiæ erga Creatorem. Cingulum fuit Gjemſhîdi Inſtitutum, quo omnes Dæmones fugavit: fuit enim ex ejus Cingulo & Chúra* [ſeu Illuminatione] *quòd evacuata fuerint Opera Diabolorum: nam quicunque Cingulo ditatus eſt, ex dimidiâ-poteſtate Diaboli evaſit, & in dimidiam-poteſtatem Dei poſitus eſt. Ipſe in Avorum Religionem credet: & qui Cingulo medium cingit, ſi prætereà nullum aliud in Mundo bonum Opus habet, is tamen de omnibus ſeptem Terræ Climatum meritis* [ſeu Bonis-operibus] *particeps erit in viâ Religionis. Ita res ſe habet, ut cùm eum confortantes ſint* [Angeli,] *beatum reddentes, & de eo placati, tùm Merita habebit in Irân-vîgj, & in Ghangh-dìz, & in Keſhmîr, & in Gjamghèrd, & in omnibus Mercedis & Præmii locis: omnia iſta cum Mundo* [fortè legendum *cum Cingulo*] *ſibi alligabit. Quando alligas Cingulum medio, à religioſis erit Abundantia tua centies millies* [multiplicata.] *Si autem Medium tuum non fuerit Cingulo cinctum, tua à Religioſis Vicinitas* [ſeu conjunctio] *alienata erit. Ne itaque ſolvas à Medio tuo Cingulum, quia à tuo in Religione Conſorte invenies Merita etiam perſoluta: nihil enim in tuo Religionis Conſorte melius eſt, quàm ut invenias in eo Præmium tale, quod ſit Præmium pro aliis etiam hominibus* [ſufficiens,] *adeò ut Tu, ſine operibus, etiam particeps fias de illo. In Cingulo ideò quatuor adhibeantur Nodi, quorum quiſque aliquid ſignificat. Ex primo ſcias primùm, Dominum tuum eſſe Unum, Sanctum, cui non eſt Compar; eſt etiam Dominus Potentiæ & Gloriæ. Secundus Nodus teſtatur exiſtentiam bonæ Religionis, de quâ ex Mazdiyaſenân non eſt Scrupulus nec Dubium quin vera ſit. Tertius Nodus Animo tuo teſtatur quòd Viæ Dux fuit Zerâtuſht Eſpintamân, qui Domini Legatus* [ſeu Miſſus] *& Propheta, qui nobis fuit Viæ Dux, & Viam Dei colens. Quartus Nodus eſt quo quis ſecum Animo hoc concipit,* [viz.] *Bonum faciam quantum potero: Bonum, inquam, faciam, & Bonum cogitabo, & à quovis Malo, quantum poſſum, fugiam: hæc erit bona mea Religio, & ab hac bonâ rectâque Religione non divertam. Iſphendârmaz fuit ex Angelis qui apparuerunt Regi Manûtchehr, qui obſervavit illos Sapientiâ excel-*

excellentes, fuiſſe omnes Cingulo cinctos medio. Zerâtuſht quoque Oculo Certitudinis vidit Angelos eodem modo ſe habuiſſe. De Anirân ſi nihil nôſti, dicam, ut de eis Informationem invenias: Anirân quidem Cingulo non cinctus eſt propter Juſtitiam; ſed Irân ſe cinxit propter Vultûs Apertionem [liberiorem,] *ſicuti Boni & Sancti, & in Religione Beati, cinxerunt Cingulum, de Viâ ſuâ certi,* [& non dubitantes.] v. Cap. XVII.

Porta XI.

O *Portet benè curare Ignem propter Juſtitiam* [ſeu Conſcientiam:] *annitere ut Ignis non moriatur, quia is eſt tibi quaſi Anima. Pollutum & ſpurcum in eo ne comburas, nec relinquas tale quid in Campis prope eum intra III Paſſus; & in domo Ignem fideliter curando, ne relinquas in eo ſpinas & quiſquilias: & tunc ſeptem Climatum Terræ Ignis erit amicabilis & certiſſimè contentus: & quando petendam habes aliquam Petitionem aut Deſiderium, tum Neceſſitas tua cenſebitur licita, abſque ullâ Negatione. Quando autem Ignem in Sacro-Foco non benè ſervas, nec ab Igne anhelitum prohibitum avertis, tunc Ignis VII Climatum Terræ* [ſeu totius Orbis] *non erit tibi amicabilis; nec ullum Deſiderium & Petitionem petes, niſi quæ cadet & non conſiſtet. Si Ignem tuum non curas in ſuperiori-Tabulato, ſed ſinis mori, ſicut ſuper Lapide duro, non poteris hoc expiare ſi ex Lucro tuo miſeris* C *Dinâr* [ſeu Aureos] *ad Adurguſhàſp: illud non erit acceptum Judici, nec peccatum à te expiabitur. Nam Deus-Juſtus dedit Poteſtatem Clavium Paradiſi τῷ Erdibehiſht: ei, inquam, talem fecit Paradiſi Poteſtatem,* [viz.] *Si de alicujus Religione non es contentus* [ſc. ſi de eo non erit tibi ſatisfactum,] *eum ne relinquas circa Paradiſum, qui Ignis mei curam ipſe dereliquit. Fœminis etiam quæ non habent Cuſtodiæ Reverentiam, Onus* [ſeu Partus] *earum, Dei mandato, peribit abortu: Liberi ex eis in exiſtentiam non venient, nec filius ullus: nam ſanè Ignis qui moritur, veneratione non adhibitâ, ſed eum honorare negligitur, eſt ſicut Rex cui non exhibetur Honos, nec Verbis ejus Reverentia. Si in aliquâ domo Ignis moritur, eidem domo eveniet Detrimentum: pro mulctâ ſolventur, vel Tres Dirèm, vel ſaltem Duo Dângh. Adverte hoc ſi aliquid evenit tibi quando emoritur Ignis tuus, ne fortè undequaque aliquid* [pejus] *eveniat.*

PORTA XII.

PRæcipitur non facere Involucrum-linteum cadaverale quod ſit novum, nec aliquo modo inquinatum; quia Zerátuſht contrarium præcepit, auribus meis audientibus: ſed ſit vetuſtum, tritum, & benè lotum: Involucrum hoc modo parabis, ne tibi eveniat Pavor. Novum & bonum ad mortuum tuum ne adhibeto; ſed audi ex Zend-vendîd unum verbum; ſc. *Si Mulier longitudinis ſpithamæ filum ex fiſcellâ ſumpſerit, idque in Involucrum inſeruerit, erit ſicut Serpens & Vipera in Corpore ejus, & Jecori ejus æternùm adhærebit: non intuebitur eam Gherûtamân, & totius Mundi Regnum erit ipſi inimicum: & veſtis-oram prehendens, eam ad Gehennam deducet. Si quidem hoc* [vetus Involucrum] *fuerit Mane quarto,* (al. *Nocte quartâ,*) *non erit in damnum meum, ſed mihi valdè lucroſum. At ſi veſtis nova ſuper Corpore meo fuerit, Corpus meum in Aſinorum & Mulorum cibum erit: nec inde Emolumenti aut Quietis ero particeps, ſed Correptio & Moleſtia & Retributio-mala me manebunt. Porrò bonum eſt Cautelam adhibere ab omni cadaveroſo, dum in Viâ ambulatur: nam cadaveroſum evitando dum per viam diſcurritur, pro ſingulis ejuſmodi greſſibus Meritum attribuet Deus. Tîr (ut dicam) eſt Eſtîr; & omne Eſtîr eſt quatuor Dirém:* [& quidem hæc feciſſe] *parit Merita τῶν MCC Dirém. Audi hoc, quia hæc Verba ſunt veriſſima. Præceptum eſt anniti in Viâ Certitudinis, & hic Sermo verus eſt in Viâ Religionis. Hoc modo igitur facito, ut Pœna tua in Momento Reſurrectionis levior ſit.*

PORTA XIII.

PAtris & Matris Animam charam habeto: & quando commodum erit Tempus, (ſive ſit poſt Menſem, ſive poſt Annum,) pro poſſe tuo inſtruatur Convivium & Epulæ dictæ Aphrînaghân, [ſc. Parentalia:] *nam in Religione certum eſt, quòd hoc præſtantes futuri ſint felices* 900 000 99 (al. 900 000 9099) *annos:* [i. e. in perpetuum.] *Hoc quoque faciant á longâ Viâ longóque Itinere domum redeuntes, invitando eos qui liberaliter impertiunt Portiones de Menſâ ſuâ. Et factis hujuſmodi Convivio & Epulis, Incolarum ejuſdem domûs Animæ erunt quietæ &*

Lætitiam agèntˑ [Tales, inquam, Epulæ] *Benedictiones etiam impertient Matrifamiliâs & Patrifamiliâs, & Benedictionem afferent omnibus Liberis qui eodem modo in Gaudium cedent. Si autem tales Epulas & Convivium non fecerint, in domo ſuâ mæſti conſident, ab hoc Mane ad alterius Auroræ Diem domi manebunt expectantes Solatium. Sperandum enim quòd, eos in memoriam revocando, Animas etiam ſuas in Gaudium adducant: at ſi obliviſcendo non recolunt, erunt quaſi obviàm euntes Sagittæ in pleno curſu ſuo. Dicent* [Parentes,] *O omnipotens Deus, quare iſti hoc modo negligentes ſunt! Nonne ſciunt heic futuram eſſe Habitationem ſuam, in hoc Regno futurum eſſe Locum ſuum! Nonne omnes multùm deſiderant eſſe in iſto loco, cùm in Mundo non manſurus ſit aliquis! Si Tempus noſtrum benè obſervarent, Calamitates eis non ſuperveniˑrent: nos enim eis indigemus, ut ii abhinc multâ Requie fruituri ſint. Sed cùm noſtrî non meminerint, Miſeria illis ſuperventura eſt. Sic loquentur* [Parentum Animæ] *incedentes mæſtæ, de domeſticis ſuis non contentæ: huic domo abundè maledicent, nec quenquam ibi à Noxâ immunem relinquent. Ideóque oportet te quovis modo conari ut de te contentæ ſint Animæ Patris & Matris & Avi & Conſanguineorum omnium. De te omnes ſint contenti & læti, pro Familiâ orantes; tibi in altero Mundo benedicentes & Deum orantes ut poſteà benè ſit tecum; nec tibi maledicant propter Pervicaciam, ut ita tibi ſit uſque ad Reſurrectionem,* [i. e. in æternum.

Porta XIV.

OMnibus præceptum eſt, Ungues ſuos præſcindendo, [ſegmina] *Chartæ indendo coram ſe collocare. Quando coram ſe collocârunt, recitent Vâgj, & Yatâ ahû virîyu recitent pro Sanitate ſuâ. Ter, inquam, ô Vir pie, recitata Yatâ ahû virîyu, quâvis vice lineolam* [ſeu circellum] *circa illa* [ſegmina] *ducendo. Opus eſt in Aves* [ne aſportent] *palam recitare Patîti, & quoque unum Yatâ ahû virîyu & Vâgj. Et oportet ut ſingulis vicibus* [eâdem] *Forfice accipiens Terram, eam ſuper dictos Ungues effundas. Si autem Patîti non nôſti, tum, ut Vir religioſus & prudens, recita* [tantùm] *Vâgj τῷ Surûſh. Ex interiori-parte* [dictarum] *trium Lineolarum extra ferto Ungues, quos in aliquem Campum exportare debes: Ungues, inquam, tuos verſus Montem ferto, ut à te Miſeriam & Dolorem & Mœrorem* [etiam longè] *expellas. Deus quidem creavit Aves bonas: tam Beati quàm Improbi ſolent illud recitare.*

Si

Si pro Unguibus non recitaveris Patîti, Aves in tranſitu illos Ungues vorabunt: ſi non recitaveris, Dæmones & Venefici illos aſportabunt, & illis Unguibus Veneficia exercebunt. Præſectos itaque Ungues ne relinquas, ne facias Veneficis & Dæmonibus Convivium. Si in medium Cibi [tui] *tales inciderint, aliquid Moleſtiæ exinde percipietur. Cave itaque, & extra domum* [tuam] *exporta illos, nec in hac parte deficiens eſto.*

PORTA XV.

QUicquid Oculis tuis videris, Nomen Dei in illud recita [benedicendo,] *præ Timore ab Irâ ejus: ſi, inquam, in quidvis bonum inciderit Oculus, eodem Momento Dei Nomen recitato; nam ſi Dei Nomen ad illud non aſſumpſeris, & eidem Rei aliquid Damni acciderit, hac ratione, habeberis Peccator & damnoſus: ideóque ex Negligentiâ tuâ Injuriam tibi ne afferto.*

PORTA XVI.

UBicunque fuerit Mulier prægnans, illa conetur ut Ignem perpetuò alat, inde enim Cor & Anima ejus conſiſtet. Et quando Filius natus fuerit, tribus Nychthemeris ne extinguatur Candela: nam ſi aliquid Ignis in illâ domo arſerit, nullum ibi Damnum eveniet. Diaboli enim & Spiritus, Puerum impetentes, non poterunt ei Damnum inferre, nec intra XV cubitos venire ut huic Fœminæ noceant. Per tres enim dies noctéſque ille locus eſt tener, dum ſc. recens eſt Infans & Mater febricitans. Sic enim accepi à Magiſtro meo, [viz.] *Quòd quando Zeratuſhti Mater eum peperit, per tres Noctes ſucceſſivè, LIII fœdi Diaboli Zeratuſhtum impetiverunt, ei Damnum inferre volentes: Igne verò in illâ domo ardente, Damnum ei inferre non potuêre: tale ſc. ei Emolumentum inde fuit. Sed XL dies elapſi ſunt antequam Religioſus ille à Diabolis liberari potuit.* [Ignem itaque] *per XL dies ne omitte, ut Gnato tuo non eveniat Incommodum. Oportet igitur Matrem non tam negligentem eſſe, ut pedem extrà limen ponat expatiando, nec, durante illo Tempore, Montem videat: nam Campi hiſce rebus incommodi ſunt.*

Porta XVII.

TAM ad Religioſos-Laïcos quàm ad Deſtûr ſpectat, ut quamprimùm è Lecto ſurrexerint, Cingulum ſtatim induant. Cingulo enim non induto, unum Greſſum prodire non debes; ne, hoc facto, teipſum in Diaboli Poteſtatem ſubmiſiſſe videaris: nam uno Greſſu ſubmiſiſſe, Peccatum eſt: ſed ſi quatuor ſunt Greſſus, id Exceſſum vocato. Sanè MCC Dirèm ſolvere debet qui IV greſſus abſque Cingulo inceſſerit. Te itaque cuſtodias à Peccato, & Cingulum adhibe ubicunque fueris: nec omnino ſine Cingulo eſto, id enim in hac Religione tibi diſertè dico.

Porta XVIII.

QUando ſcalpis Dentiſcalpium [ligneum,] *Corticem ab eo exime: nam ſi Fœmina gravida pedem ſuper talem Corticem poſuerit, Periculum eſt quòd Fœtus pereat* [ſeu abortum patiatur.] *Ideóque bonum erit ſi tuum Dentiſcalpium alicubi abſconderis.*

Porta XIX.

IN Juventute Uxorem ducere oportet: ideò tuæ Religionis Puellas [in eum finem] *aggredere, quippe quæ Marito cedent ſine verbo. Et quidem maturè hoc Opus facere præſtat, ut poſſit apparere nos in eâdem Religione Amicam habere: quicunque enim hoc Ritu copulari expetit, Deo conjungetur, Filium expetendo. Et quodcunque Meritum per Filios obtinetur, ſcito illud propter Paternitatem & Maternitatem veniſſe. Eſt enim Filius ſicut Pons extremi Judicii, & hicce Mundus eſt ſicut Diverſorium: cúmque nullus ſit Filius, non invenient Viam per illum Pontem. Per quodvis Meritum ex Filio veniens, proficient ſemper uſque ad Reſurrectionis Diem; & cuicunque non eſt Filius, Pontis Beneficium ei certiſſimè præſcindetur. Et Ponte interrupto, quomodo poterit in alterum Mundum tranſire? Ideóque quantacunque ſint Merita ejus, citra*

Pontem

Pontem certissimè mansurus est, ubi cum eo numerabunt & Computum facient [Angeli Mihr-Izad & Reshn-Izad,] *& sic erit usque ad Diem Resurrectionis,* [sc. in æternum.] *Nam omnis semper Angelus eum interrogabit, Habesne in Mundo Filium qui prosit tibi? Et quando respondebit, Non, quamprimùm ab eo exiverit hoc Responsum, nihil ultra ab eo interrogabunt: sed Anima ejus in Pœnâ & Dolore manebit, eritque sicut aliquis sine Socio in Deserto dolorifico & horrendo: eritque coram eo Fluvius qui dicto Ponte sternitur; in cujus tamen medio collapsus & desolatus relictus, ad alteram Ripam trajicere non valebit. Ex alterâ Pontis Parte erit Urbs sicut Paradisus, ubi Arbores Fructu plenæ, Aquarum Fontes, & Sata: eritque Anima ejus in illam Urbem intenta, cujus tamen Particeps nunquam fiet:* [cum multis ejusmodi aliis in eundem sensum, quæ itaque nunc omittuntur.]

Porta XX.

Ut quivis Agricola meliorem accipiat Proventum, oportet ut [dictam] *Intercessionem faciat, & Cor suum in Deo lucidius reddat: & per hæc duo particeps erit boni. Agriculturæ non est (secundùm nostram Religionem) aliquid par: ideóque eam benè tene, & æstima propter Excellentiam ejus. Sic dixit is qui benè novit Religionis Viam; Quicunque Arborem in terrâ plantaverit, quando crescit, dabit Fructûs Portionem cuique qui libuerit Partem suam comedere: & dabit portionem illi fortunato qui talis Arboris Sationem* [seu Plantationem] *præcepit. Sic etiam erit in Frumenti Satione: multum enim meritum invenient in Viâ Religionis: & quicunqne de tali frumentò & fructu comederit, ex eo satur & contentus erit. Comestor erit de omni Bono Meritoque Particeps usque ad Diem Computationis: isque erit agnitus ab Angelis Churdâd & Murdâd, per Mandatum Dei, à quibus ambobus* [pro eo] *fiet Intercessio. Hoc modo, Agricolæ Deo chari sunt, & per ejus Mandatum multùm æstimandi sunt.*

Porta XXI.

Religiosis incumbit diligenter Operam dare Religioni: & Religionis causâ, quovis edendi Tempore oportet Fideles pascere, eos, inquam, qui boni & pii sunt, non autem vitiosos; nam in Religione verum est, Si pascis Esurientes, Pietatis causâ, hoc modo multum Meritum reportabis; modò boni nominis fuerint, non autem Peccatores, qui de cibo tuo comederint. Similiter, si alicui pauxillum Aquæ dederis ad exstinguendum Sitim ejus, tu exinde bonum percepturus eris: nam quicquid boni Operis aliquis præstiterit, ille posteà meriti ejusdem Particeps erit.

Porta XXII.

Quandocunque aliquis Panem comesturus est, oportet eum recitare Vâgj. Et quoad Aphrînaghân [seu Parentalia] *ut ex eis quisque Benedictionem reportare queat, Religiosi dicunt, Quòd quando aliquis ex Religione instruxerit Convivium dictum Aphrînaghân, tum oportet eum Deo adhibere Vâgj. Dum verò Convivio intersunt considentes, ab omni Discursu Labia sua continere debent. A Deo enim unus Angelus à dextrâ stat, à sinistrâ verò alius, sc. aliquis Diabolus pessimus: & quidem Sapientes credunt, Quòd si aliquis, inter edendum Panem, verbum protulerit, Angelus hoc audiens abibit, inque ejus locum succedet aliquis Diabolus, à quo in tali Convivio procedet Dolus* [seu Deceptio, sc. Diffidium.] *Quapropter Regula est (quod in Religione planum) ut, tali Tempore, in Aphrînaghân quicunque Verbum protulerit, teneatur dare Cibum; & hac ratione habebitur illius Mensæ Dominus, & totius Expensæ τῶν Aphrînaghân Mulctam dabit: sic enim res est, & insuper aliud de novo Convivium parabit. Sic nempe est in Religione nostrâ; ubi de isto Convivio in Libro Zend-Vendîd dicitur, Quòd quicunque verbum ibi protulerit, is certissimè Angelis Paradiseis Offensionem dabit, æquè ac si cadaverosa coram se habuerit: Tu itaque Paradiseos offendere noli. Cui ante Convivium non vacat Intercessionem facere, is, Pietatis causâ, adhibeat tantùm Vâgj: item adhibeatur Yatâ Adiyazamîd, & Asbîm vuhû recitetur ter. Et quicunque Panem, Necessitatis causâ, comedit, si sic fecerit exaltabitur.*

tur. Os quoque lavetur, in quo faciendo, recitet Aſhîm vuhû quater, Yatâ ahû virîyu bis: & hoc modo à Deo amplam reportabit Mercedem, pro omni re, quam Deus creavit, Laudes reddendo: nempe pro quâvis Buccellâ quam aliquis hoc modo comedet cum Vâgj [ſeu Gratiarum Actione, & Menſæ Benedictione,] *is à Churdâd & Murdâd Benedictionem reportabit.* [Angeli] *ei acclamabunt, Benè habeto, ex iſtiuſmodi Buccellis Prudentiam & Intellectum reportabis. Si verò, abſque præmiſſo Vâgj, cibum comederis, iſta omnia deſiderabilia tibi erunt vetita.*

PORTA XXIII.

SI bonum facturus es Pauperibus & Egenis, ut ſis Dives, Interceſſione id petere præſtat. Dato Decimas, ut Portionem Præſulum, & pro Præſule Conatum oſtende & ſemper ſtudeto. Et tu ſemper, Dei cauſâ, cuivis digno facere debes Mutuum: ſic enim in Libro Zend-Hâducht dicitur; Quicunque Mutuum fecerit [ſeu mutuò dederit,] *ſi hoc modo aliquid pro Co-fideli ſuſceperit, illúdque citò coram adduxerit* [ſeu ad effectum perduxerit,] *quicquid hocce Conatu reportaverit, ei erit perinde ac ſi ex proprio Lucro* [ſeu labore,] *ſuo illud reportaverat: eritque in Paradiſo Computus ejus talis, ut ſi dimidium ejus ſit,* [ſufficiat.] *Cúmque ab hominibus rationem requiſiverit Ille Infinitus* [ſc. Deus,] *tum ipſe Operis ſui Mercedem reperiet.*

PORTA XXIV.

CAvendum tibi à Peccatis tuis. Cuſtodi teipſum à Reatu Peccati, peculiariter eo die quo erunt tibi in Menſâ Carnes & Cibi qui Nutritionis eminentiorem Gradum habent: ne cùm comederis & Peccatum perpetraveris, Conditio tua ſtatim degeneret. Id quod in Bruto Animali eſt tantùm offenſio, in Te eſt Peccatum contra Corpus & Animam tuam: uti quando Equus in aliquem calcitrat, & Bos cornupetit, aut Camelus Ictum impingit; talia in Te pro Peccâtis habentur, quia comediſti Cárnem, & Peccatum commiſiſti. [In XXV, prohibitur Jejunium à Cibo: ſed jejunandum eſt à Peccato.]

PORTA

Porta XXV.

CAvendum est tibi à Jejunio: nam à Mane ad Vesperam nihil comedere, non est bonum in Religione nostrâ. Nobis quidem tale est Jejunium singulis Mensibus & Annis, sc. ut non sit nobis vel minimum Peccatum. Quando alii solent jejunare, ita est ut non soleant cuivis Prandio præmittere Jentaculum: sed nostrum Jejunium in hoc situm est, ne in Membris nostris superveniat aliquid Peccati. Annitendum est ne Manibus, aut Oculis, aut Linguâ, sit aliquid Peccati quod nobis damnum afferat. Quovis Anno simus cauti, ut propter hujusmodi Jejunium nobis sit in Corde Gaudium. Quicunque vult ab edendo sibi cavere, mea sententia est, ut potiùs à Peccato & Concupiscentiâ abstineat.

Porta XXVI.

UT Conditio cujusvis felicior sit, oportet ut in Pueritiâ ei detur Expiationis Parâhûm, i.e. Baptismus; ut ita ex tali Expiatione, per τὴν Hûm factâ, lætior evadat. Si aliquis sic fecerit, habebitur prudens, & intelligens, & rerum faciendarum gnarus, & in hoc Mundo vir multùm sciens. Adversitatibus & Morbis non erit obnoxius; & ubicunque fuerit, ab omnibus honorabitur. At si Baptismo non fuerit expiatus, aut id parcè factum, acceptâ Aquâ, τὴν Uruärân & τὴν Hûm contundendo exprime, & accipe in Ligno [Cavo;] *sub eâ conditione, ut super eo recites Yatâ ahû virîyu, quod ei adhibeas, quia sanctum est & bonum. Tum posteà des ei Lac ut bibat, ut hoc opere sapiens & prudens evadat. Hæc ne negligas, ut accipias Remunerationem ab Altore* [seu Domino] *tuo.*

PORTA XXVII.

CUbitum eundo, oportet ut ſemel recites Yatâ ahû virîyu, item Aſhîm vuhû ſemel: eſt quoque bonum recitare Pitùſt [ſeu Precationem pœnitentialem:] *& quando aliquis dixerit, Eheu pœnitens ſum Pœnitentiali, tum Roſa Lætitiæ Cordis ejus florebit. Ab omni Dicto & Facto meo, & ab omni re quæ mihi in mentem venit (quæ tibi non placet) fugio, & dictâ Pitùſt ſum pœnitens. Quando cum his Dictis incipis dormire, cum Bonis & Sanctis accipies Mercedem: & omnium bonorum operum, quæ eâdem nocte fecerint Religioſi, tu certiſſimè Particeps eris: prò quovis tuo Halitu erunt tibi Merita Ponderis trium Dirém. Dum à latere ad latus te volvis in lecto, ſemel* [ſaltem] *recita Aſhîm vuhû, quod erit* [melius] *quàm, alio Tempore, Decies millies idem Aſhîm vuhû recitâſſe. Quando etiam ſurgis à Somno, ſi dixeris Aſhîm, erit tibi, præ Bonitate, ad inſtar Meritorum* 100 000. *Cùm itaque res ſic ſe habeat, ad hoc annitere, ut à Magnatibus Religionis bonam Mercedem invenias.*

PORTA XXVIII.

POſtquam feceris cum aliquo Pactum, ne eſto de hoc turbatus, ſed annitere ut id Pactum tuum fideliter præſtes: ſi enim Promiſſum violaveris, Moleſtiam ſenties, cùm hoc in Religione planum ſit, ſc. quòd oportet neminem animi cauſâ mentiri. In hoc negotio ne facias ut interſit Mihr-durûgj, [ſc. malus Angelus,] *quia Mihr-durûgj in Religione non eſt bonus. Cùm facis intereſſe Mihr-durûgj, eris Miſer & Infelix in utroque Mundo. Cum quocunque itaque feceris Pactum, id ne frangas. — Nec putes tecum dicere, Quamvis Pactum fregero, id tamen non erit mihi Peccatum: & ſive ſit cum aliquo in Religione noſtrâ, ſive extra eam, res perindè eſt. Quando aliquis intereſſe fecerit Mihr-durûgj, quamprimùm Sol ei affulſerit è cælo, tum à Mihr-Izad* [ſeu bono Angelo] *erit ei Maledictio ſevera, eique mala erit Sors propter factum Promiſſis contrarium.*

Porta XXIX.

Dixit Sapiens; In hoc capite ſenſus Margaritas perforat, ut ſc. quando aliquis eſt XV annorum, patefaciant ei Religionis Viam; ut propter ejus Sapientiam, aliquis ex Angelis in eo Aſylum capiat, [ſc. ejus Tutelam ſuſcipiat.] *Edoctus ſit ab aliquo Erudito & Gnaro Mûbad, aut Deſtûr, purioris Sapientiæ & Scientiæ: cuivis enim præſtat Deſtûrum amplecti, ne ex Actionibus ſuis incurrat Incommodum: ut, ſi ad Limen ejus acceſſerint Angeli, ad eos flectet ſe cor illius; &, ſi ab eo aliquid petierint aut deſideraverint, ab illo Limine ſalvus evadat, Gaudium inveniat, & exinde Felicitatem videat, & ab illo Limine liberetur certiſſimè. Si ad eum venerit aliqua difficilis Quæſtio Sapientum, à docto Deſtûro inquirat, ejúſque in eâ Directionem petat, & in tali Directione* [ſeu Conductu] *lætus evadat. Et, quando ei occurrit Conveniens* [ſeu neceſſarium aliquid faciendum,] *quod tamen videtur non decere,* [ſeu in quo tamen aliquam Inconvenientiam percipit,] *doctum conſulat Deſtûrum qui illius miſerationem habebit: &, ſi is ei dixerit ut ſic faciat, à Præcepto ejus nunquam recedat. Nec poteſt tranſgredi Mandatum ejus, cùm Complacentia hujus ſit Medela illius: nam cùm Deſtûr de aliquo contentus eſt, Deus item de eo contentus erit: ſiquidem Contentatio Animæ ſit Religionis Præſul, ut is contentus ſit qui Animas beans. Nam in Religione clarum eſt, quòd Deſtûri* [ſeu Præſulis] *Mandatum eſt ut Mandatum Domini; quia ſi aliquis vexaverit Præſulem, Deus etiam in eundem offendetur. Adeò ut, ſi infinitum habuerit meritum, & tamen de eo non contentus ſit Deſtûr, nec pacificatus, non erit Animæ ejus nec Color nec Odor. Sic enim eſt Deſturî apud Deum gradus* [ſeu honos,] *ut ſi unam tertiam-partem Peccati alicui condonaverit, nullum erit eidem perſonæ Suſpirium* [ſeu Solicitudo:] *nam Deus etiam condonabit, & ad Paradiſum eum certiſſimè ferent* [Angeli] *abſque ulteriori Computo. Non inveniet Supplicium nec Retributionem malam, ſed Anima ejus per Deſtûrum inveniet Illuminationem.*

PORTA XXX.

QUando evenit tibi Opus aliquod perplexum, ut neſcias an Meritum ſit vel Peccatum, & in eo ſit tibi aliquod dubium, oportet illud dimittere donec à Deſtûro inquiſiveris. Nam in Religione certum eſt, Deum ex abſcondito dixiſſe hoc Zertuſhto, ſc. Opus quod non noveris an Meritum ſit vel Peccatum, id ne facito; & cùm id non ſit probè intellectum, illud ne ambito. Interrogato & ſcito, & deinde facito: ſed non interrogatum, id omninò ne facito.

PORTA XXXI.

QUando aliquod tibi occurrit Negotium, quære à Magnatibus illius temporis: cum Deſtûro tuo, vel cum Sacerdotibus, conſilium inito, & hoc modo recrea animum tuum. Nec opus aliquod tuo Conſilio agas, ſed per Conſilium Deſtûri ſapientis agito. Hoc enim dixit Religionis peritus, ſc. quòd Deus Zertuſhto hoc ipſum dixerit; Quandocunque aliquod Opus aggrederis, illud inſpice, Animum intende, & Sapientiam adhibe: dic ut alicui perito rem impertiant, & talem lectiſſimum hominem inquirant atque interrogent; ne fortè Ahraman aliquem in aliquam malam viam ſeducat, & inde ejus Prudentia damnum inveniat. Nam quando [Rex] *Manûtchehr vidit Sphendârmaz, ab Angelis hujuſmodi Monitum audivit; Quamvis Culter ſit tibi acutus, ne tamen omittas adhibere Limam* [ſeu Cotem,] *& quamvis Equus tuus ſit velociter incedens, Scuticam ab eo haud procul amoveas:* [& pari ratione] *quamvis Scientia tua ſit prudens & intelligēns, tamen neceſſe eſt tibi adhibere Conſilium.*

Porta XXXII.

Quando aliquis Vir doctus addiſcit Librum Aveſtâ, oportet eum imprimis curare ut eundem addiſcat rectis verbis: lentè quoque addiſcat, [non raptim & curſoriè,] *ut id faciendo, Cor ejus accendatur. Conetur etiam hocque annitetur, ut cùm didicerit Librum Veſtâ, eum totum integrúmque in Memoriâ retineat: & perpetuò legendo* [ſeu recitando,] *Intellectum ſuum efficiat lætum* [ſeu lubentem,] *ne fortè Oblivioni dando è Memoriâ excidat. Ille enim Religioſus ita dixit; Quòd quicunque didicerit Librum Veſtâ, & deinde ejuſdem obliviſcendo è memoriâ excidere eum ſiverit, Juſtus ille Potens* [ſc. Deus] *de eo non lætabitur: nam Deus Zelotypus, totâ Mundi Divini Latitudine, eum à Paradiſo procul amovebit. Quicunque primo die quo Cor ejus incaluerit, Librum Veſtâ didicerit, & deinde ejus oblitus fuerit eúmque dimiſerit, illud Opus non factum putet. Nam donec* τὸν *Veſtâ rurſus didicerit, nemo debet relinquere eum in medio Congregationis. At ſi propter panis inſectationem verba fecerit, eum ſicut Anchoram coram ſe emittat.*

Porta XXXIII.

Quando aliquis Liberalitatem exercet, id faciat erga Dignos. Erga Dignos liberalis ſit quiſque ex Juſtitiâ [ſeu Conſcientiâ,] *ut de eo omnes contenti ſint & læti: & ex Prudentiâ meditetur cuinam res ſuas det. Qui dignus, is idoneus eſt: & deinde accipiet res cujuſvis: ſi dignus eſt, ei benefacito; ſi difficilis eſt, eum faciliorem reddito. Si autem quis nec dignus nec idoneus eſt, ſi aliquis ei det, eſt injuſtè datum: eſt certè futile & inutile, & eorum Animabus propterea venient* C *Noxæ. Indigno nil niſi Moleſtia & Pœna competit; Tormentorum in altero Mundo particeps erit. Quicunque Indigno aliquid dederit, eſt quaſi perditum, nec is habebitur liberalis.* [In XXXIV docetur quòd Aqua non eſt Noctu haurienda, nec fundenda, ne fortè inquinaveris eam.]

Porta XXXIV.

Diſcretionis cauſâ, Nemo debet Noctu Aquam effundere: præſertim ne effundant in Aqualem, quia id eſt peccare & incurrere Periculum. Utcunque tamen, ſive neceſſe, ſive non neceſſe ſit, eam ſpargere [ſeu effundere,] *ibidem recitet Yatâ ahû virîyu. Noctu Aqua non eſt è puteo haurienda: at ſi Intentio* [ſeu Cautio] *adhibeatur, haurito: quando non eſt Remedium* [ſeu neceſſe eſt,] *affer lucernam: Aquam è puteo haurito ſi ſit pro cibo; & Yatâ ahû virîyu recitato, deinde Aquam in te ſpargere oportet* [Luſtrationis ergô.] *Noctu Aquam parciùs bibe, ut minus ſit Peccatum tuum; nec Aquam multam effunde, ne ſit tibi Peccatum eodem tempore.*

Porta XXXV.

Quando Panem comedis, tres Buccellas pro Canibus ſepone; & quando Panis comeſtus fuerit, oportet tres illas Buccellas Cani dare, & eum non verberare: quia omnium pauperum, ſive per Mare, ſive per Terram, nullus eſt Cane pauperior. Si itaque Cani Panem dederis, Meritum invenies multum. Fac itaque Merita [ſeu Bona Opera,] *ut liber ſis à Metu & Timore* [de futurâ conditione tuâ.]

Porta XXXVI.

Qui Religione ſinceri ſunt, Ludificationis expertes, quando percipiunt ex Gallinâ Vociferationem Galli, non debent illam Gallinam interficere, Ominis cauſâ, quia eam interficiendi jus nullum habent. Nam ſi in Gallinam fuerit rurſus verſa, in eam, à vociferando alligatam, prævalebit Fur. Quando autem ibi [vociferando] *potentiam non habet Gallus, ut infauſtiſſimi Furis res notas faciat, fac compares tibi alium Gallum, qui fortè ſit cum Gallinâ ejuſdem ſecreti particeps. Nam in Perſiâ, ſi Gallina ſit Gallus, ipſa infauſtum Diabolum*

bolum franget [ſeu peſſundabit *?] *Si autem alium Gallum adhibueris in auxilium, ut cum Gallinâ conſortium habeat, non erit incommodum, ut tunc ille Diabolus ſit interfectus.*

PORTA XXXVII.

SI aliquis Metu & Timore deſtitutus, Cadaver aliquod ſub Terram condiderit, oportet quemvis Religioſum illud [eximendo] *in propatulo collocare: & hoc faciendo reportabit Meritum infinitum, nec Gehennæ Supplicium ſubibit. Cùm enim aliquis ſub Terrâ condit Cadaver, Sphendârmaz ob hoc offenditur. Valdè ſibi tremit, ad inſtar ægroti, quandoquidem illi* [ſc. Angeli] *præ ſolicitudine ſuâ tremere ſolent. Si aliquis noverit Cadaver humatum, erit ſicut Serpens & Scorpio in veſtibus ejus, qui intra veſtes eum mordebunt, & Corpori atque Animæ ejus Damnum afferent. Quando autem Cadaver illud humo exemerit, pro Dolore & Triſtitiâ commutabitur Requies* [ſeu Recreatio:] *& hoc modo eos è veſtibus eximet, & Scorpio & Serpens erunt prout deſideraverit. Si hoc modo feceris, multum Meritum invenies, nec ſicut tu erit aliquis in utroque Mundo.*

PORTA XXXVIII.

CAvendum eſt tibi ne in hoc Mundo multa Animalia mactes. [Cave inquam] *ab Animalibus, præcipuè à genere ovino, quod eſt hominis Initium & Ultimum: nam qui multas mactat Oves, à nemine benedicetur, ſed pœnam ſuſtinebit gravem: quilibet in talis animalis corpore Pilus erit tanquam Gladius in Animâ ejus in æternum: nam nullum animal Ove pejus eſt ad reportandum ex Mactatione ejus Pœnam. Quinetiam Hœdum aut Agnum mactare ne tentato: ne mactes Bovem laborantem* [ſeu aſſuefactum Agriculturæ,] *nec Equum bellicum neque Gallos mactato, nec ullam avem Picam.* [Quæcunque autem mactas] *differentur ultra ſexennalem Ætatem. Hoc autem pejus eſt mactare Gallum, quia ſicut Ahenotympanum juſto tempore vociferat. Imò Gallum non vociferantem ne mactato: ſi au-*

* In alio Exemplari legitur, *Si Gallus ſit Gallina, ipſe infauſtum Diabolum adjuvabit.*

tem

tem mactare necesse sit, Caput ejus expiare oportet: & quidem, Caput non expiatum ne comedito; nam scito hoc esse prohibitum.

Porta XXXIX.

Quando Faciem lavas, primò Ashîm vuhû semel recitato: deinde, Os priùs claudendo, Genas lavato. Quando vis ut Facies tua radetur, tum Kimanâ & Mazdâ recita: si enim hæc non fuerint recitata, scito Faciem non esse lavandam. Nam nec munda nec rasa habetur illa Facies: siquis sic non fecerit, non habet munditiem.

Porta XL.

Quicunque Resipiscentiam agit inter homines, oportet eum Peccatum non habere: caveat sibi omni Mense & Anno, [i. e. semper.] *Dictis & Factis suis adhibeat Ardorem, & Linguam suam avertat à Sermone mendaci. Bonæ sit Indolis, Animi amicabilis, Cor & Lingua recta sint eodem tempore: non faciens Scortationem, Injuriam, nec Peccatum, in Bonitatis Exemplum sit coram Populo Dei. Hoc enim in Religione nostrâ planum est, quòd Pœnitentia ex corde facienda est. Si aliqua Cogitatio non recta se insinuaverit ex Instabilitate & Fragilitate humanâ, præceptum est omni Destûr* [seu Præsuli] *in hac Religione, ut præ Irâ abscindat quemvis Artum* [qui offendit,] *& eundem ad Canem projiciat ut comedat: & cùm hunc comederit, alium Artum abscindat: adeò ut tandem omnes Artus abscindat, quos extra ferens Canibus det. Et præter hoc Supplicium quod heic est, centuplo pejus in altero Mundo sustinebit. Quicquid Supplicii pertulerint Incolæ Gehennæ, tale ibi sustinebit ille Miser. Supplicium quod ibi in Fures infligunt, aut in illum qui occidit Justos* [seu Innocentes,] *Supplicium quod in Libidinosos infligunt, idem in illum in Gehennâ infligent. Porrò huic homini incumbit, ut sit Animo amicabili & religioso ac bono: nam aliquis sincero Vultû, sincerâ Religione, & sincerâ Opinione, gratus erit Pectori Sacerdotum, & omnes Destûri de eo lætabuntur. Destûro Desturorum sic facere* [incumbit,] *nec Oportet Caput suum* [detrectare.] *Pœnitentia etiam est necessaria omnibus qui sunt Bonâ-Religione Deicolæ: est, inquam, Præceptum tam*

Viris

Viris quàm Fœminis agere Pœnitentiam dum ſunt in hoc Mundo. Ideóque quoad Fœtum qui eſt adhuc in ventre Puerperæ, ſive Comederit Multum, ſive Parum, pro illo Lacte, quod per unum annum & dimidium comederit, Computus à Puerperâ requiretur: ſemper itaque faciat Pœnitentiam, ut omne turpe [ſeu malum] *ab eâ Puerperâ abſit. Et quando quindecim annos natus* [Puer] *nondum egerit Pœnitentiam, ut ſolent Religioſi, quidvis cui Manum applicaverit (ſecundùm Viam Religionis noſtræ) pollutum habebitur. Ab illo recedet Mentis-Illuminatio, minuetur Sanctitas, in ipſis Epulis-Nuptialibus ille erit omnino mœſtus. Quicunque defunctus non egit Pœnitentiam, ſupplicium cumulavit & ſecum detulit: Anima ejus ibi fœtebit perinde ac Cadaver Æſtate per integrum menſem* [jacens:] *ab ejus Animâ, cùm ad Pontem-Tchînavar venerit, procedet Fœtor VII Climata pervadens: ita ut neque Angeli, nec Divi Sanctiſſimi, ibi perſiſtere poſſint; propter ejus Fœtorem non poterunt Computum facere; adeò ut Angeli dicturi ſint, Avertite vos, & cùm heic adſit Anima polluta, celeriter hinc migrate. Deinde quamvis Anima ejus tunc Pœnitentiam agat, tamen in Anxietate & Stupore manebit: Pœnitentia enim ibi nihil prodeſt, nam deceſſit prout deceſſit, & erit ſicut erit. Quicunque non egerit Pœnitentiam, ex defectu ſanctitatis, in hoc Mundo mortuus eſt,* [ſc. dum vivit:] *& quamvis mille Aquis ſe lavaverit, deſolatus & immundus erit in ipſâ Aquâ: nam cùm in Oſſibus & Venis & Cute & Nervis Pollutio erit, quandonam abibit ab eo? An iſte per Religionis Ceremonias evadet bonus? An Anima ejus ex Religione impinguabitur? An eum mundabit Aqua, cùm in ipſâ Aquâ ſit Impuritas? Quicunque Pœnitentiam pro ſe non fecerit, quidvis, ad quod apponit manum, habebitur ſpurcum & pollutum. De novo ſemper ei ſupervenient Retributiones malæ, Tormenta & Supplicia erunt Portio ejus: uno die tantum ſupplicii ei adveniet, (ſupplicia, inquam, infinita,) ut tot tantáque novies mille annis non adventura ſint Infernalibus.* [Cum multis ejuſmodi aliis, in eundem ſenſum, à quibus hoc tempore ſupersedeo.]

PORTA

Porta XLI.

Quando veniunt Phervardaghân, quantum potes, fac Epulas & Convivium Expiationis cum Benedictione. Huic Operi assignato decem dies, ut opus gratum sit Creatori. Si quales sint Phervardaghân non nôsti, dicam tibi Eas esse quinque beatas Sorores quæ nent & texunt & Suturas consuunt: harum una est Ahúnavad, alia est Ashtuvàd, tertiæ nomen est Esphíntamad, quarta est Vahuchsháter, quinta est Vahishtûshiyûsh. In Phervardaghân solent celebrare Aphrînaghân, quibus Animas lætificant. Quando Anima vestitum Corporis excusserit, tum nuda erit: sed ex istis τῶις quinque Vestitum reperiet, cùm Mundi Creator ita ordinavit. Hisce ergò decem diebus Epulas & Convivium Expiationis facito, ut Benedictionem consequaris à Creatore, & Anima tua Stolâ induatur Regiâ. Domi tuæ dictum Convivium instruere melius est, cùm τῶις Phervardaghân Benedictio competat: qui enim hisce diebus hoc fecerint, animæ eorum Benedictionem percipient: hinc, inquam, migrantes talem consequentur Benedictionem ut sint supra omnes Oeconomos & Oeconomas. Benedictionem obtinebunt etiam Liberis suis, qui ex hoc Mundo in Gaudium ibunt omnes: Opera eorum illo anno benè cedent, & eorum Proventus erit Lætior: Animæ eorum invenient Compensationem bonam, & propter Merita centupliciter Colorem & Odorem comperient. [Deinde omissis hujusmodi multis,] *Et quando, ex hoc Mundo migrantes, eorum Animæ ad Pontem Tchînavar appulerint, Animæ puræ invenient illam viam coram se apertam. — Coram Domino-Orbis Cælestis Liberi comparebunt, & Viri boni ac fidelis Anima in glorioſâ Urbe contenta manebit.* [Cum plurimis aliis quæ recitare tœdiosum.]

Porta XLII.

Cavendum est vel ab ipsis Cor-religiosis [seu Co-fidelibus:] *non enim eris ejusdem Poculi consors, nec Urcei Aquæ ex quibus illi aliquid hauserint, ne fortè Pœnam invenias. Si fuerit Vas æneum, ter lavandum, & sic etiam Poculum: & si fuerit Urceus figulinus, ex eo nunquam*

bibes Aquam. In hoc adhibenda eſt abundans Cautela; nec aliquid ab eis relictum comedes, ut Religio tua ſincerior habeatur.

PORTA XLIII.

BENE cuſtodiendus eſt Ignis Martis, ut & quivis alius Ignis qui in Urbe eſt. Bonum eſt habere Ignem, & Nocte, aliquo modo, eundem accendere: nam in Religione noſtrâ ſic dixit Vir prudens; Niſi adſit Ignis Martis, præ Noxâ Latronum iniquorum, tranſitus ab urbe ad urbem non erit [tutus:] *cùm ab hujus Ignis Beneficiis ſit, quòd homines in tutò ſint à Latronibus. Hinc eſt quòd Oppreſſores non poſſint hominibus Noxam inferre; nec hominum Opes auferre valeant, ſitque in omni viâ ire & redire* [tutò.] *In omni Urbe & Regno ubi ille Ignis eſt, aut in domo aliquâ ubi eundem probè reverentur, quicunque eſt die noctéque ejuſdem Cuſtos, illius Cor manu accipe, eique Expenſas & Veſtitum ſuppedita: nam quando contentus eſt ille Vir religioſus, mane & veſperi tibi benedicturus erit: pretereà ſeptem Terræ Climatum Ignis erit de te placatus. Præcipitur Ignem quâvis die & nocte benè ſervare in Habitatione tuâ: ſecundò; Ignem qui eſt in Urbe tuâ: tertiò; Ignem qui eſt in quovis Climate,* [quantum poteris.] *Horum primus eſt ſicut Pater-familiâs qui in noſtrâ Urbe Rex eſt: ſecundus, ſicut Gubernator cujus eſt tota Regio: tertius, ſicut Prætor qui totam Urbem ſuam ad Epulas-nuptiales invitat, (ut in Adur-Chíra & Adur-Guſhàſp & Berzîn-Adur,) cum Labore & Expenſis quales fieri ſolent apud Vezîr. Si de Gubernatore non eſt contentus Rex, non poteſt habere Regionis Cuſtodiam. Talis eſt Similitudo* [ſeu Comparatio] *ab iſto Igne deſumpta: nam quando in domo tuâ iſte Ignis placatus eſt, Mars quoque placatus & complacens erit: quando, inquam, placatus eſt Ignis Martis, Deus etiam de te placatus erit. Hæc omnia ſigillatim obſerva, in hac viâ Dei-Juſtiſſimi mandata ſervando.*

Porta XLIV.

SI Scientiam percipis à Patre aut Matre, vel ſi à Sacerdote, aut Magiſtro, aut quovis alio, Scientiam didiceris, illos benè habe, nec eos offendito, ſed ubique quod juſtum [ſeu debitum] *eſt obſerva erga eos. Si Severitatem in te exercuerint, non debes eam rependere, ſed illis obedire & morem gerere, teque illis ſubmittere, nec caput ab illis detrectare: nam ſi Pater & Mater & Sacerdos & Magiſter tuus de te contenti ſunt, Deus etiam de te contentus erit. At ſi iſti offenſi ſunt, erit quaſi offendatur Deus-Altor: & quamvis infinita habueris Merita, viam in Paradiſum non invenies, cùm impoſſibile ſit iſtis tribus Perſonis juſtam Retributionem facere. Nam in Libro Zend-Hâducht* [Deus] *dicitur Zeratuſhto dixiſſe; O Vir religioſe, Ne offendas Patrem qui te educavit, nec Matrem quæ IX menſes te in utero geſtavit, nec Sacerdotem qui te in Doctrinâ inſtituit cum Scientiâ Bonitatis & Virtutis. Si tres iſtas Perſonas offenderis, ex tali Facinore tuo Opprobrium percepturus es: nam in hoc Mundo, ſi ad* [alicujus Magnatis] *Limen accedis, non habebis deſiderium tuum, nec in altero Mundo Paradiſi particeps eris; ſed pro Præmio Moleſtiam habebis & Retributionem malam. Si Pater tuus & Mater non fuerint contenti, deficiet Alimentum Pectori tuo: & quamvis aliquod opus propter Conſcientiam ſuſceperis, tamen ex illo opere non obtinebis deſiderium tuum: ſed tibi ſupervenient Miſeria & Calamitas, nec eris alacris in ullo opere tuo. Filius quoque tuus faciet tibi ſicut Tu Patri & Matri feciſti. Hac occaſione, quivis Angelus, & quiſque è Populo qui hoc viderit, dicent tibi; O Inimice Creatoris, Pater in te offenditur & Mater eſt in luctu. Et in Medio Ponte arripientes Animam ejus, eandem per Pontem tranſire non ſinent; nam niſi Pater & Mater de eo contenti fuerint, Anima ejus per Pontem non inveniet Tranſitum. Ab offendendo illos benè caveto: cùm Mandatum tibi dederint, alacriter ſurgito. Coram eis, ſub Axillis conde* [ſeu lateribus tranſverſim applica] *utramque manum tuam, ex illorum mandato eſto Dei cultor* [ſincerus:] *& quovis Mane & Veſperi hoc modo ſemper facito, ſc. quære quid in hoc Mundo cupiunt habere? Si aliquod Peccatum perpetraveris, id illis dicito, ut ii illud Peccatum tuum remittant. Sub horum trium Mandato manere æquum eſt; ſin aliter, eſt ipſum Peccatum.*

Porta XLV.

OMNIS Fœmina, quæ in hoc Mundo Puerpera eſt, ſibi cavere debet, & benè ſibi proſpicere oportet. Dum Puerpera eſt, tam interdiu, quàm noctu, per menſuram & proportionem opſonium ei dato. Dum cibum comedit Puerpera, ab eâ abſit res quælibet quæ non eſt ei [abſolutè] *neceſſaria. Panem comedendo, Manum in Manicâ condat, & deinde Panem comedat: circa illam Manicam etiam obvolvat vetuſtum-panniculum, & tum, eo Ritu, Panem comedat. Aquam bibat ex Vaſe æneo, vel etiam ex Stanneo, aut Cupreo. Aquam ita in Lagenam æneam indat, ut ne una Gutta in Manicam cadat: ſi enim una Guttula in ejus Manicam deſtillaverit, erit ſicut Tîr, i.e. Sagitta; indubitatò Peccatum ejus mulctabitur Eſtîr, quod eſt CC Dirém.* [Vide ſuprà.] *Ea etiam ſibi caveat à Lotione-luſtrali, hoc moneto ut ſervet quindecim pedum diſtantiam. A Viro etiam Sancto debet abeſſe per tres Paſſus, valdè cauta ab eo. Quicquid pro Convivio fecerint, illúdque in hunc uſum apparaverint, ei interim illud oculo uſurpare non licet, & illa ſibi caveat ne iraſcatur: jacturâ afficiet quicquid viſum fuerit, Rem, inquam, illam Ratione privabit. Illa etiam non debet videre Aquam currentem, nec aſpiciat verſus Cœlum, nec Stellas, nec Solem, nec Lunam, nec Aquam, nec Ignem, nec Arbores, nec Virum Sanctum, nec cum viris loquatur verba turpia; nam in Viris Ornatus & Vires & Ratio deficient hoc opus faciendo. Tribus primis diebus ſit intenſior, in cavendo ſibi diligentior; nam omni Fœminæ pro his Peccatis ſe expiare mandatum eſt; pro Peccato quod contra Paradiſeos Cœleſtes ſe exeruerit, & contra Solem, & pro Peccato contra Ignem, & contra Aquam, & contra Terram, & contra Sanctum Virum, & contra Angelum Churdâd, & Angelum Murdâd; pro Peccato quod ſe exeruerit contra Lotionem-luſtralem, à Peccatis quæ in edulibus facta ſunt avertat ſe. Puerperæ, inquam, præceptum eſt propter hæc duodecim Peccata ſe expiare, ut ea Peccata procul ſint ab illâ, unde Merita inveniat: propterea, inquam, per exceſſum ei obvenient merita* 60000; *& ſingulis deinde Annis ejus Merita erunt ejuſmodi dupla, eritque propter felicitatem & advenientem proſperitatem ſubridens* [ſeu lætabunda.] *Si, inquam, hæc præſtiterit, benè erit, quia ſingulis annis tale erit Augmentum, & quamdiu vixerit auctius & per totam Vitam durabile. Nam ad inſtar Arboris cujus Rami creſcunt, ſic creſcent*

cent ejus Merita, quorum particeps erit per Expiationem ſuipſius. Hæc, inquam, ſunt Bona-opera quæ debes facere ut Compenſationem invenias à Domino ſolo: propriâ manu [i.e. ipſa in Perſonâ tuâ] *facito, quæ ideo pro te habebuntur dupla. Si autem ea non feceris in Vitâ tuâ, ſed aliquis pro te poſteà facit, quamvis præſtiterit, manebunt prout erant* [non aucta.] *Magna eſt Differentia an feceris manu propriâ, vel an alius poſteà pro te fecerit. Conare itaque ut Cor tuum lætum ſit in Die Computationis.* [V. Portam LXXV.]

PORTA XLVI.

PRæceptum eſt, ut non facias Peccatum Hamimâl, quòd ſit Calumniatio & Fraudatio. Si id ſit Mariti in Uxorem, [eſt malum ;] *ſi autem ab Uxoris manu inveneris, eſt pejus. Hoc enim eſt Peccatum maximum, pro quo nulla datur Compenſatio, niſi Uxor Maritum ad hoc impulerit* [ſeu provocaverit:] *ſi non, in Infernum te præcipitabit. Nam niſi ea tibi condonaverit, in Ponte Tchînavar manſurus es in loco tuo ; adeò ut, ſi centum Anni ſint priuſquam ipſa venerit* [ad condonandum,] *te in ingreſſu Pontis manere oportebit: quando enim ſumptura eſt ab adverſario ſuo vindictam, & tibi poſteà per Pontem tranſeundum ſit, ſi tu talis Facinoris reus es, à tali Facinore tibi cavendum fuerat. Nam ſic dixit Vir religioſus; Poſt hujuſmodi factum, Pelvim Auro imple, & ſuper eam pone nudam Pugionem, deinde Adverſario tuo admove, rogando ut te vel excuſare vel interficere velit, & ut hoc modo Animam tuam à Mœrore liberet. Si enim aliquis Mendacium & Calumniam dixerit, infinitam exinde Moleſtiam & Dolorem perpeſſurus eſt: & quicunque poſt illum* [ſc. ex illius relatu] *tale verbum retulerit, eadem Moleſtia & vetus Dolor erit ei recens: Mœſtitia enim, ex ejuſmodi dictis, ſuper caput ejus veniet, Moleſtia cum Retributione malâ ei competet. Hujuſmodi Peccata turpiora ſunt Hamimâl: felix eſt qui hoc in naturâ ſuâ non habet. Per nulla Merita compenſabitur Hamimâl; benè autem ſi Adverſario tuo ſatisfactum fuerit: nam ſi Adverſarius tuus non erit contentus, certiſſimè ſcito nullum tibi per Pontem fore Tranſitum. Ad tuum itaque Adverſarium ito & dicito, Pœnitens ſum: alias autem, Salutem ne quæras.*

Porta XLVII.

Diligentem Conatum adhibe enecando Sanguiſugas : & præſertim hæcce quinque interficito, ut Merita invenias copioſa. Horum primum eſt, Ranæ Aquaticæ, [ſc. eorum genus :] *ſecundum eſt, Serpentes & Scorpiones : tertium eſt, Muſcæ,* [ſc. Culices & Cimices pungentes] *quartum eſt, Formicæ : quintum, Mures, Fures illi errabundi. Ranas ſi interfecerit aliquis, quicunque fortis eorum adverſarius, ejus quidem Merita propterea erunt mille & ducenta. Aquam eximat eámque removeat, & locum ſiccum faciat, & tum eas necabit à capite ad calcem. Hinc Diaboli, damnum percipientes maximum, flebunt & Ploratum edent copioſiſſimum. Quando Serpentes interficis, recitabis Veſtâ* [ſc. Zendaveſtâ,] *& inde Merita copioſa reportabis : nam res perinde ſe habet ac ſi tot Dæmones interfeceras. Muſcam vermes-ſpargentem unam ſi interfeceris, erit perinde ac ſi decendialem Expiationem feciſſes : quando enim quis apud Deum Aveſtâ recitabit, ejuſmodi Merita in caput ejus ſparget. Tunc quoque omnes Beſtiolæ Dei, atque Churdâd, & Murdâd, & omnes Angeli, Benedictiones in eum pronuntiabunt, & Gaudium, cum Deſiderii Impletione, ei creare ſtudebunt, Corporis Sanitatem pro eo impetrabunt, & hoc facto multum exultabunt : quia in Beſtiolas Dæmonum non erit Peccator* [ſeu Punitor] *ſicut ille eſt. Si Muſcam in Aëre percuſſerit aliquis, reputabitur Cimex : ſi ſuper Terrâ percuſſerit, habebitur Reptile :* [ſc. Reptilium Generi illud annumerabitur :] *Si ſuper Carne percuſſerit, erit Vermis : ſi in Aquâ percuſſerit, Sanguiſugam vocato ; quia tales in Aquâ apparere ſolent, & ex talibus Sanguiſugis Aqua contaminatur. Si ſuper Fimo* [ſeu Sterquilinio] *percuſſerit, exinde indubitatò reputabitur eſſe Serpens, aut Vipera, vel aliàs Scorpio, aut aliquid noxium-animal : hujuſmodi enim omnia Muſcæ Nomine intelliguntur, O Vir devote. Si ſuper Barbam Hyænæ cacaverit, inde erit Serpens ruber. Si Formicam grana-trahentem interfeceris, erit ſicut Cæcus quem tu illuminaſti,* [ſc. erit quaſi cœcum tu illuminâſſes.] *Si Murem interfeceris, certè erit quaſi quatuor Leones noxios interfeciſſes. Cuique, inquam, Bonæ-Religionis Viro præceptum eſt ut interficiat Sanguiſugas, unde certè magnam Mercedem reperiet. Niſu & Conatu annitere in hunc Modum, ut multum Meritum in Viâ Religionis invenias.*

nias. Quicunque in hujuſmodi Operibus conabitur, Sacerdos pro eo Expiationem facturus eſt; cujus certè particeps erit in Viâ Religionis, quia ſic à Deo mandatum eſt.

PORTA XLVIII.

VIRO religioſo præceptum eſt, ut Pedem nudum ſuper Terram non ponat: quia Pes nudus ſuper Terram, malum eſt. Si enim Pedem nudum ſuper Terram poſueris, inde tremet Sphendârmaz, & ex tali Opere Offenſionem concipiet vehementem. Pedem itaque nudum ſuper Terram ne ponas, nec Corpus tuum ad Infernum deferto.

PORTA XLIX.

CUique Viro Sancto præceptum eſt ſemper recitare Pitùpht [ſeu Pœnitentialem Precem.] *Quando alicui ſupervenit aliquod Peccatum, recitet Pitùpht, ut Mœroris plenus & indignabundus. Conatum faciat & accedat ad Sacerdotes & ad purioris animæ Deſtûrum. Recitet, inquam, Pitùpht, ut ſit Terroris expers; & gratias habeat Domino ſuo. Si autem ita fuerit, ut Merita tua ſint Peccata, ne recites Pœnitentiale, ne exinde corruptior evadas. Peccatum tuum erit ad inſtar Arboris, ſi Pœnitentiale non recitaveris: nam niſi Pœnitentiale recitaveris, Peccatum tuum erit tanto quotannis duplum. Scito enim, quòd ſi non recitaveris Pœnitentiale, creſcet, & alterum prout erat manebit. Cùm ad Deſtûr* [ſeu Præſulem] *aliquem veneris & Veniam* [ſeu Remiſſionem] *petieris, ex ejus Benedictionibus minuetur Peccatum. Et quando tandem opus ejus venerit ad Deſtûr Deſturorum, tunc Cor & Oculi ejus erunt Illuminationis pleni. Quando Abſolutionem alicui fecerit Deſtûr religioſus, augetur ejuſdem Religio, & minuetur Simultas. Certiſſimè ſcito, Peccatum illud, quod ab eo requirebatur, exinde Meritorum Beneficium percepiſſe, & deinde deſiderari* [ſeu non requiri.] *Si autem non invenerit aliquem Deſtûrum* [ſcil. Præſulem,] *vel* [ſaltem] *Sapientem, quærat, inquam, Hyrbad, ſeu* [potiùs] *Mûbad. Si verò pro eo Peccato ſuo non invenerit Hyrbad, adeat aliquem ſanctiorem Bihdîn* [ſeu Laïcum.] *Et, ſi non inve-*

invenerit aliquem Bihdîn, tum lucido Animo ſe coram Churſhîd [ſeu Sole] *ſiſtat; & recitando Pitùpht fiat Pœnitens, & propter commiſſa Peccata ſua mœſtus. Eo momento quo ex hoc Mundo abiturus eſt, Liberis & Conſanguineis præceptum eſt ut in Os ejus ponant Pitùpht, cùm jam tum ſciant eum è Mundo abiturum. Sic enim dixit Religionis Deſtûr, (quo quidem dicto in Religione Senſum ad inſtar Margaritæ perforavit,) quicunque eo momento recitaverit Pitùpht, ejuſdem Peccatum ei remittet Deus-Juſtus: & quamvis infinita habuerit Peccata, eum tamen in Inferno non collocabit. Quando ad Pontem Tchînavar pervenerit, cum Præmio inveniet Remunerationem. Deducent eum ad Habitationem ſuam, & eodem tempore locum ei aſſignabunt. Ex Recitatione Pitùpht, in Paradiſo tunc erit locus ipſius: nam manifeſtè inter eum & Infernum ſicut Murus erit Pitupht, cujus quidem Muri Latitudo erit ſicut Superficiei totius Terræ Latitudo. Ex recitato, inquam, Pitùpht, Anima ejus ad Infernum non inveniet Tranſitum. — Tandem quando præ Terrore ligata erit ipſius Lingua, Conſanguineis & Sociis præceptum eſt, illo momento, Pitùpht pro eo recitare, quando, inquam, vident ejus Linguam à Sermone reſtrictam: nam dicti Pitùpht, ex Conſcientiâ & Religione recitati, Clamor Mane quarto perveniet,* [ſc. quando fit Determinatio ad Pœnam aut Præmium.]

PORTA L.

QUando aliquis XV Annos natus fucrit, præceptum eſt ut Cingulum induat. Sic enim dixit Deſtûr beatiſſimus; A novem menſibus, quibus in Matris ventre fuit, debet computum ſuum accipere, cùm, ſecundùm hujus Religionis Præceptum, induturus eſt Cingulum. Ad XV ergò Annos Cingulum induant tam Viri quàm Fœminæ: nam ſic eſt Dictum Veterum; Cum Vir aut Fœmina ſit XV Annorum, & Medium Cingulo non accinxerit, Nemo ei det vel Aquam vel Panem. Et cum tali Perſonæ vetita ſint Panis & Aqua, cur aliquis ſe ipſum in Supplicium præcipitet? Cum itaque Cuſti ſit Cinguli Accinctio, quicunque accinctus eſt, Deo gratus erit: quia nullum eſt Opus Cingulo tuo melius, & quando es Deo-Juſto moriger, bonum eſt.

PORTA LI.

SCITO hunc esse constitutum Modum, ut quando Puer [moriendi] *mandatum à Deo invenerit, (à primo ejus Die usque ad VII Annos,) Epulas instrue & Sorûsh invocato: oportet quoque quartâ nocte pro eo Expiationem facere, postquam Anima à tenero ejus Corpore separata fuerit. Nam in Religione nostrâ sic est, ut si ejusdem Pater & Mater Paradisei fuerint, ille etiam ad lætum Paradisum iturus sit: at si Infernales fuerint in Naturâ suâ, ille quoque eorum Comes ad Infernum iturus sit. Epulas itaque instruentes invocent Sorûsh: nam quando ejus Anima à Parentibus separata fuerit, si apud Solem substiterit ejus Gradus, vel uno momento, Parentes exinde erunt mœsti: & quando Anima ejus pervenerit ad Pontem Tchînavar, Parentes apud Deum intercedant; & tunc omnes eum ad Paradisum deducent. At si Parentes ejus fuerint Infernales, Anima, à Parentibus discedens, à Diabolo, absque remedio, ad Infernum deducetur. Et ubi* [Diaboli] *ab eâ Vindictam sumunt, ipse ad Angelos & Paradiseos edet Vocem calamitosam, cum Ploratu lamentabili, desiderans ab illis obtinere ut abeant Dolores & Pœnæ. Dictâ autem Expiatione efficietur ut Animæ ab Inferni Periculo liberentur. Annitere itaque apud Sorûsh expiare, & eorum Animas ad illum perducere. Sic, inquam, facito; quia Infantes etiam, intercedendo, Parentum Animas ad Paradisum perducturi sint.*

PORTA LII.

PRæceptum est, ut quando aliquid Ollâ coquitur, duas tantum ejus Tertias Aquâ impleant, ut si in Ebullitionem veniat, Aqua non effundatur in Ignem quando calescit. Si enim non sis in hac Parte cautus quin Aqua in Ignem fluat, Peccatum erit tibi maximum, propter quod Supplicium percipies die Computationis. Peccatum, inquam, tuum erit Ponderis 1200 *Dirém.*

PORTA LIII.

QUando Ignem movent, eum colligant & in aliquo loco aliquantulùm ſeponant: cúmque aliquantulùm friguerit Focus ejus, tum eum deferant ad locum ſuum; non enim oportet ut Focum relinquant adhuc calidum. Hoc à me ſubmiſſâ voce dictum audito: & ſic facito, ô Fili, & non aliter; ut exinde Caput tuum non doleat.

PORTA LIV.

PRæceptum eſt, ut quovis Mane cum à ſomno ſurrexeris, Faciem tuam Aquâ Aureâ laves. Et quando Faciem ejuſmodi Aquâ purâ lavas, tunc Kimanâ & Mazdâ recitato. Ambas quoque Manus Aquâ Aureâ lavato, & Vâgj recitato: nam ſi Manus Aquâ Aureâ non fuerint lotæ, quamvis quis Aveſtâ recitaverit, id non erit acceptum. Ab illoto non ſurget Diabolus, ſed Peccatum ejus manifeſtius erit, ut 1200 *Dirèm Pondus habebit. Quovis itaque Mane Faciem Aquâ Aureâ lavare ne negligito.*

PORTA LV.

PRæceptum eſt, Scientiam prælegere Pueris: colloca Pueros coram Scribâ cujus Cor Scientiâ illuſtre eſt. Deinde colloca apud doctum & prudentem Sacerdotem, qui ſit Puerorum Inſtructor. Oportet Sacerdotem habere talem, ut non graveris ei dare Expenſas, & Cibum, & Veſtitum, ut Cor ejus ad hoc bonum opus convertas. Et tum omne Bonum-Opus quod à Puero factum fuerit, ſcito illud à Parentibus factum fuiſſe. Fac ut Scientiam memoriter teneant, & ut ab omni Peccato & Corruptelâ caveant: cum pro animabus ſuis id faciant ut Scientiâ ſolertes ſint. Nam ſi bonum à malo ii non diſtinguunt, haud multum Boni-Operis ab eis obtinebitur. — Ignorantiâ laborans, nec Religionem nec Deum novit.

PORTA

PORTA LVI.

CApite *Novi Anni, primo ejus Menſe, (ſc. quando venerit Dies Churdâd,) oportet per Convivium expiare* [pro Remiſſione Peccatorum:] *nempe de omni quod ab extrà recipit manus tua, affer & Convivio appone: viz.* [Primitias] *de omni Fructu & de Granis, & quicquid ad Manum tuam venerit, apporta: & cum hæc omnia comportaveris, bonum eſt eis expiare, & Domino tuo plurimas Gratias agere. Nam exinde Opera tua illo Anno benè cedent, & Res tuæ erunt lætiores, & Proventus tuus copioſior, & Felicitatem percipies. In noſtrâ enim Religione compertum eſt, quòd hoc die* [Angeli] *Hominibus Alimentum* [ſeu Annonam] *ſuppeditant, & hujuſmodi Expiatione expiando, ab Angelo Churdâd Remiſſionem invenies. Eo Anno Annona erit copioſior, & Anima tua multò lætior. Et Juſtitiæ* [ſeu Conſcientiæ] *Cauſâ recitabis Chaſhnûman.*

PORTA LVII.

QUicunque *Iter ſuſcepturus eſt, ſi XII Paraſangarum via fuerit, pro tali Itinere oportet Expiationis Convivium celebrare: cúmque pro eo, uno Convivio expiârint, minor erit Calamitas, & Felicitas major. Cuique Religioſo, hoc caſu, uno Convivio expiare incumbit: quòd ſi abiens commodè præſtare non poterit, ſi Domeſtici ejus id fecerint, ſatis proderit: quando enim ejuſmodi Convivium præceperit, cum ſalute ad habitaculum ſuum rediturus erit. Et quando Cuſhnûm recitant, Res etiam ita ſe habebit.*

PORTA LVIII.

QUando *aliquis Uxorem habet & non Filios, tum in Tumultuatione erit Animus ejus; ſine Mulo erit, & Pons præciſus. Oportet ut non ſit negligens in hac Re, ſed Mulum pro ſeipſo* [in promptu] *collocet.*

Hoc enim in noſtrâ Religione planum eſt, quòd oporteat Filium habere, non Filiam, cum Filia ſit hujus patris. Filiis, & Conſanguineis, & Populo, & Tribui ſuæ committet, ut (cum ſit Præceptum Dei) Mulum pro eo collocent; Filium, inquam, facito Mulum tuum, ne facito Filiam. [Et ad Fidem faciendam,] *Filius profitebitur & dicet, O Pater, ego ſum Filius tuus quem in Mundo habuiſti: & viciſſim Pater dicet, O Fili, tu es mihi Filius, & ego ſum tibi Pater. His factis, per Pontem tranſibit, ad locum ſibi ob merita competentem.*

PORTA LIX.

QUicunque expiando fecerit Eleemoſynas, non poteſt expiando facere Convivium poſt illud. Sed Deo faciat Vâgj: arripiat, inquam, Vâgj, & deinde comedat Panem, & ſic quod de Convivio reſtat ſimul accipiat. Hoc modo Peccatum ejus minuetur, & id coram Deo ei remittetur.

PORTA LX.

INTRA Habitationem tuam quando eſt tibi Tempus Aquam impellendi [i. e. mingendi,] *ad Pedem Aquam ne impellito, quia hoc factum erit tibi Peccatum à Capite ad Calcem. Quando itaque ad Aquam impellendum aſſides, juxta oſtium ne relinquito, ſed ſit aliquanto remotius. Nam in Libro Vendîd-zend dicitur hoc eſſe Peccatum Ponderis* 1200 *Dirém. Quando aliquis micturus eſt, ibidem in Animo recitet Aveſtâ: & deinde, poſtquam ibi minxerit, intra tres paſſus illius Loci ubi fuerat, Yatâ ahû virîyu ſemel recitet, & deinde taciturnus ſedeat: & quando exit, recitet Aſhîm vuhû ter: Hamatanâm recitet bis: Hûchſháter recitet ter: Yatâ ahû virîyu quater: Ahunîm virîm yazámadi ad Finem recitet, Pietatis Cauſâ. Quando hæc in animo fecerit aliquis Homo, tum erit ſanctus, & ſauvis, & lucido animo præditus: omnia ejus verba erunt accepta, nec (ſecundum hanc Religionem) à Diabolo unquam affligetur.*

PORTA

PORTA LXI.

NE occidito *Húgja ; ſed ſi alicubi videris, accipe & verſus Campum deferto ut abeat : dimitte, inquam, ut eat verſus Supellectilem ſuam* [ſeu domeſticos ſuos.] *Hoc faciendo, Meritum invenies multum, ſi tu facis idem bonum quod alii faciunt. Cum enim Húgja Formicarum antrum percuſſerit, earum millia violenter morientur. Serpentes quoque necat, necat, inquam, & deinde eos quaquaverſus diſtrahit. Valde utile eſt hoc animal, ideóque hoc ſcito, illudque interficere omittito.*

PORTA LXII.

NE interficito Canem Aquarum [ſc. Caſtorem] *ſi fortè videris eum alicubi euntem, accipe, & deferto, & ad Aquam perduc : nam in Vendîd dicitur, Caſtorem interficere Peccatum eſt horribile : & qui talem unum interfecerit, per Modum Expiationis tenebitur alia noxia animalia (uti Serpentes)* 18000 *interficere : Ovium, & Boum, & Arietum,* 10000 *interficiet, Pietatis ergô. Quicunque, inquam, interfecerit Caſtorem, Infernus erit locus ejus : Semen ejus è Creaturis delebitur, & nullam ab Inferno Redemptionem inveniet.*

PORTA LXIII.

UT quiſque Religioſus ſe ipſum vindicet ab Interitu, Animæ ſuæ Expiationem faciat dum in vivis eſt, nec Caput ſuum à Viâ Cultûs detrectet, unde magnum Meritum quotannis inveniet, & ſingulis Annis auctius erit. Quiſque prudens pro ſe faciat Expiationem apud Sorûſh, qui beatam illam Animam ſibi accipiet & tribus Diebus tutò cuſtodiet, ne Noxam videat aut Perturbationem : & Mane quarto [al. *Nocte quartâ*] *in Ponte Tchînavar cum eo computabit Mihr-Izad* [al. *Reſhn-Izad :*] *& deinde ad locum ſuum ibit, quia*

anteà

anteà illa Anima in vivis expiata fuerat. Expiatione, dicto modo, in vivis factâ, ſi fortè Infans ex improviſo natus fuerit, Obſtetrix quædam, in Subſidium veniens, eundem lavabit, eique præſcindet Umbilicum. Quando è [corporis] *modulo exit talis Anima, eſt ſicut Infans exanimis, attonitus manens, & viam ſuam neſciens: quando autem animatus & viſu præditus fuerit, Sorûſh eum ut beatum agnoſcet: Sorûſh, inquam, ad talem beatum veniet, ſicut Obſtetrix ad gravidam* [ſeu parturientem:] *talem Fœtum excipiet, lavabit, & Umbilicum præſcindet: tutò eum à Diabolo cuſtodiet, & ad Habitationem ſuam perducet. Quando anima in vivis expianda eſt, Sacerdotis eſt eandem expiare apud Sorûſh: oportet enim heic* [in hoc Mundo] *Expiationem aggredi, ut Infans inde fiat ſanctior, & ibi* [ſc. in altero Mundo] *non pereat. Oportet, inquam, viventem animam expiare hodie, ne fortè cras Miſeriam & Maledictionem videat: poteſt enim eſſe ut, intrante Fato, bona Opera faciendi Poteſtatem non inveniat. Quando Anima in vivis expiata fuerit, à Diabolorum Injuriâ tuta erit: cum cuique præceptum ſit Animam in vivis expiare dum in hoc Mundo eſt. Quando Deſtûr, aut Hyrbad, à te abſunt, & in Angulo conſidentes hilares ſunt, melius eſt ut tu proprium Dolorem* [ſeu Tœdium] *devores, ut tali Opere Animam tuam lætari facias* [æternúm.] *Præceptum eſt ut hoc Opus ſuſcipias, ut ipſe manu tuâ id præſtes, dum Anima tua adhuc in vivis eſt.*

PORTA LXIV.

QUiſquis è Mundo moriturus eſt, ſubitò inveniens Dei mandatum [ut obeat,] *huic Operi ſedulò tribus Diebus incumbat, faciendo pro ſe Expiationem apud Sorûſh-Izad,* [al. *Sorûſh-Yezdân:*] *accendat Ignem, Aveſtâ recitet, quia is ibi fortè per tres Dies locum habiturus ſit. Deinde Expiationem pro te facito tribus Conviviis. Mane quarto* [al. *nocte quartâ*] *unum Bachuſhnûm* [recita] τοῖς *Reſhn & Aſtâd, & aliud Bachuſhnûm Beatis, Conſcientiæ Gratiâ. Deinde tuum Veſtitum bonum & elegantem affer, Faſciam-capitis, Tunicam, Subligacula, Sudram, Ocreas, & Cingulum; cùm enim talia Paradiſeis attribuunt, talia etiam ſinceræ Religionis viris dare ſolent. Ex Veſtibus itaque melioribus appone quicquid tibi commodum videtur; unde tibi erit ibi Honor, Cor & Oculi tui* [firmi] *ut Montes erunt. Dein Amicos Conſanguineos & Familiares, quos habes, coram conſpectu tuo collocabis, alios ad latus tuum, dum*

ſc.

ſc. aliqui præeunt & alii ſubſequuntur. Illo tempore te agnoſcent Beati [ſc. Sancti,] *ut tu etiam agnoſcas eos, dum illos eodem modo vides. Quò præſtantiores fuerint Veſtes & Supellex tua, eo plus Honoris inde reportabis: erit tibi Gaudium & Lætitia major, & locus in Paradiſo melior. Si verò Veſtes non fuerint præſtantes, multum Pudoris inde reportabis: & Sedes erit aliis inferior, niſi Veſtes fuerint elegantiores. Animæ non gaudebunt de illo homine qui tales Veſtes in illum pauperem* [ſc. ſeipſum] *induit.* [Aliàs] *Cor ejus ex illis Veſtibus exultâſſet, & Beati eas Juſtitiæ* [ſeu Conſcientiæ] *ejus tribuiſſent: per hoc Expiationi ejus accederet Veneratio, & à Deo obtineretur Miſericordia. Horum autem omnium dimidium dabis Deſtûro, & alterum dimidium Sacerdoti, nam hac ratione* [Beneficium illorum] *ad Animam ejus citiùs veniet. Fac cures ut benè conſuantur, quia Veſtes benè conſutæ ſunt meliores; nam ſi ad Convivium* [Expiationis meliores] *appoſueris Veſtes, Sacerdos cum eis expiabit ſine Fraude: Anima defuncti videbit Computum, & citiùs percipiet Exitum: totum Pharaſhèſt pro eo recitabunt, & illas deinde ſeponet, & poſteà Anima ejus per Pontem tranſibit. Et mane quarto, quando à Terris verſus Tchînavar tranſit, primò veniet ad Ignem Martis, ſecundò Aſtra tranſcendet, tertiò juxta Lunam erit gradus, quartò ad Solem perveniet, & deinde ad Locum ſuum.*

PORTA LXV.

O *Juvenis, bonam τῆς Mazdiyaſenân Religionem percipito: Fœminis Salutationem* [ſeu Comprecationem, ut ſalvere jubeat] *non injungunt, eodem modo quo Viri τῷ Soli faciunt; ſed Fœminis præſcribunt Salutationem, ut quotidiè euntes ad Maritos, tam mane, quàm tempore Precis ſecundæ, & manibus ad Latera applicatis, eis dicant, Quid præcipis? An benè quieviſti? Quid cogitas ut nos faciamus? nam quicquid præceperis, id facturæ ſumus, Quicquid enim Maritus præceperit, id ſtatim præſtare debent: Mariti Contentationem quærant, & Die Noctéque ſic ſe gerant. Nam quando Maritus contentus eſt, Dominus etiam contentus erit. Cum Fœmina ſic fecerit, ea eſt multò præſtantior; Paradiſea & Beata erit, quando erga Maritum Linguâ diſertâ* [blandiloquâ] *fuerit & ad eum Die Noctéque Judicium ſuum detulerit. At ſi Marito non obedierit, ſed duæ Crumenæ & duo Corda fuerint, tum illa vocabitur irreverens, impudens, infernalis, & polluta: nam Marito non*

contento,

contento, quamvis multa Merita habuerit, quandónam talia Merita ad Animam ejus pertingent? quandónam à Gehennâ liberabitur? Si verò Maritus ejus contentus erit, talis Fœmina in hoc Mundo Paradiſea erit.

PORTA LXVI.

PRæceptum eſt, ut noſtra Religio ſit optima illa quæ in Mazdiyaſenân eſt, ob Excellentiam ejus. Inde eam colimus, ut Anima noſtra ab Inferno ſalva ſit. Hujus veritatem agnoſcimus, & huic Religioni nos obligamus. Religioni confidimus, ut in Dei Paradiſo futuri ſimus. Per Bonitatem poſſibile ad Paradiſum ire: felix itaque eſt qui in ſuâ Naturâ Bonitatem habet: nam Bonitate & Cogitationibus bonis, quiſque in Paradiſo obtinebit Conclave: unde nihil in hoc Mundo melius eſt, quàm ut Religioſus huic Operi addictus ſit. Si aliquis [Apoſtata] *Religionem dimiſſurus ſit è Manu, ab eo Opere alii Manibus eundem arripiant, & omnes qui poſſunt Suppetias ferant, & coram Domino Gemitum edant, ut Deus ei condonare vellet, & ut Religionem ſuam ſervet in hoc Mundo. Nam quando Religioſus per* [Dei] *Limen tranſit, ei aperit, & intrat ſine Prætextu. Quamdiu in vivis eſt cum ſuâ Sobole & Stirpe & Familiâ, quæcunque bona-opera ii fecerint, ſcito eſſe quaſi ille fecerat, & ea ad ejus Oſtium portanda. Si aliquis propter Tributum ſuum ſolvendum dejectus fuerit, (cùm tale Tributum non habeat,) à Manu Religionis venturum erit gratis. Tu itaque eo in Loco Subſidium ei adminiſtrato, illud Tributum ei tu ſolus dato; & ſcito te, hac Ratione, eum à Cæde liberâſſe, & ſic faciendo te religioſum peculiarem præſtitiſſe: in Paradiſo Mercedem & Præmium & Remunerationem habiturus es, bonum infinitum ex hac Religione percepturus es: nam nihil in hoc Mundo melius eſt, quàm ut alius Religioſus bonum à te percipiat. Quid enim hoc melius eſt, quàm ut Pauper, in Conditione ſuâ dejectus, in te Religionem inveniat, & à te Afflictionem non videat. Nam per Subſidium tuum in Religione ſuâ manſurus eſt, nec Morem & Regulam ſuam corrumpet. Quicunque tempore ſuo hoc fecerit, unà cum Zerâtuſht Cooperator ſit: & cum Præmii & Mercedis particeps ſit, ſimul etiam Gratias agere oportebit. Si autem pro Tributo abſtulerint Pecuniam, quam aliquis pro Familiæ ſuæ Expenſis paraverat, ſcito*

quòd

quòd in Religione noſtrâ illâ re pejus non eſſet ſi quis cadaveroſum comediſſet. Ab illâ itaque Pecuniâ cavere [ſeu abſtinere] *oportet, quia talis Pecunia erit grave onus in cervice tuâ. Nam in omni domo ubi talis Pecunia expendetur, in tali domo non manebit ullus qui ſobolem conſervet; ſed Egeſtas erit ibi manifeſta, & Familia illa totaliter evaneſcet.*

PORTA LXVII.

PRæceptum eſt, ut Mendacium non dicas, ne hoc ipſo fias in hoc Mundo Infamis. Nam quamvis à Mendacio tuo procederet Res recta [ſeu vera,] *nihilominùs tamen Vita & Dignitas tua Jacturam patietur. Omne Peccatum ſuperat Mendacium, & inde Res tua reddetur minùs illuſtris. Zerâtuſht interrogavit ab eo qui Occulta novit, Mendaces quomodo ſe habebunt? Cui tale reſponſum dedit Deus; Oh, Verax eſt ipſo Sole ſplendidior, Mendax rectà ad Diabolum ibit: nam à Diabolo eſt quòd ille talem Concupiſcentiam habeat. Super Mendaci non erit Mentis-Illuminatio, ſed ſuper eo erit Deſpicatio: nam ille Pauper eſt Opinione Hominum, quamvis in Mundo Nobilis habeatur: Homines eum non honorabunt, Exitum videbit malum propter Contemptum ſuum. Si Opes habet, omnes abibunt: & quando indiget Multitudine, non manebit ei Semen in Mundo, ſed citò deſolatæ erunt Opes* [& Poſſeſſiones] *ejus. Mendacium itaque, ô Fili ne dicito, nec pares tibi Manſionem in Inferno.*

PORTA LXVIII.

PRæceptum eſt, ut Veritatem exerceas: Veritatem facito Artificium [ſeu Profeſſionem] *ſine Imminutione. Fac curam, ut habeas Veritatem, quippe quæ Animam tuam augebit. Veritate nihil melius eſt ex omnibus quæ creavit* [Deus;] *nam ille Mundum ex Veritate produxit, & ex Veritate eſt quòd Mundus in loco ſuo manſurus eſt. A Veritate eſt tibi in hoc Mundo Religio-vera; à Veritate eſt quòd Gogjéſta factus Diabolus, lapſus ſit in Maledictionem, quia eam minuebat: nam Diabolus à nullâ re magis timuit, quàm à Viâ Veritatis. Futura eſt Reſurrectio propter Veritatem, ut tunc appareat*

quis eam minuerit. Quicunque Veritatem facit ſuum Aſylum, Mentis-Illuminatio ab illo reſplendeſcet Ope Lunæ: auctior ſemper erit ejus Familia, & à Deceptione Dæmonum erit ſecurus. Ghâva, Faber-ferrarius, multum Veritatis habens, auſus eſt loqui cum Dahhâk totius Orbis Rege, & tunc eum non timuit. Ille ſolus tali Regi Reſponſum dedit, in ejus Sermone fuit Confidentia & quoque Alacritas. Gogjéſta [ſeu Diabolus] *quando cum Veritate rem habendam vidit, pro mille Annis cecidit attonitus; nec verſus Mundum venire potuit, ſed loco ſuo manſit miſer* [ſeu gemens] *& tremulus. Quicquid tibi in conſpectum venit, in Veritate ſtet* [ſeu conſiſtat:] *nam in Interpretatione Libri Zend dictum eſt; Ex Veſtâ* τὴν *Aſhîm vuhû recitato: & cùm noveris Meritorum tuorum præcipuum eſſe Veritatem, quare ad latus declinando eam minuis, cùm primum quod in Mundo viſum eſt, (ſc. Orbium Cæleſtium Circumrotatio,) à Veritate proceſſit? Quicunque loquitur verum, illius eſt* τὸν *Aveſtâ quærere* [atque conſulere.] *Deus dixit ſe amare Veros: Angeli quoque eis benedicent. Sic dixit ille qui bonæ Religionis Myſteria novit; Cor Veracis non videbit Moleſtiam nec Egeſtatem. Sed tandem Veriloqui in bono ſtatu erunt, nec quiſque Capite* [ſeu bono Cerebro] *præditus eis obloquetur in hoc Mundo. Ideoque exerceto Veritatem cum corde habente apertum Oſtium, nam Veritatem exercendo nemo ſupplicium viſurus eſt* [æternum.]

Porta LXIX.

Præceptum eſt cavere ne cum Meretrice Familiaritatem habeas: Tu itaque alicujus Uxorem ne ſeducito: quamvis ſit Captatrix & Cor demulcens: quicunque enim aliquam Fœminam ſeduxerit, in viam Animæ ſuæ Opus corruptum fecit. Nam ſi Maritus acceſſurus eſſet ad talem Uxorem, haberetur pro Peregrino ab habitatione ſuâ prohibito: & Uxor quoque tunc eſſet Marito vetita; ſic enim ſe habent Religionis Principia. Quicunque vir tale [Deo] *ingratum fecerit, de novo ſemper Peccatum inveniet in Dominum. Talis Vir & Fœmina congredientes, habebuntur Peccatores Lumine deſtituti. Cùm verò Maritus non novit, ei Peccatum non erit; nam illius* [ſc. Uxoris] *antecedens Peccatum ei non adeſt,* [ſc. ab eo ignoratur.] *At quando Maritus novit, oportet ut à Marito ſeparetur talis Uxor, nec debet*

debet ille prope eam accedere: nam ſi ex improviſo ad eam acceſſerit, Co-peccatores erunt tam Vir quàm Fœmina: quia ſi poſthac prope eam acceſſerit, ſcito eum eſſe ſicut ille qui cum Meretrice Conſuetudinem habet. Nec illa aliâ quâvis viâ poterit fieri Marito licita. Si Uxori ex avitâ tuâ familiâ acciderit tale Infortunium, hoc erit eò pejus. Ac peſſimo pejus erit ad eam redire: nam ſi talem Uxorem [repudiatam] *imprægnaveris, tu Religioſus eam ad aliam Religionem deducis,* [cùm noſtra non permittat.] *Si ex metu ſuo* [celandi cauſâ] *Infantem interfecerit, tu in eâ re ſanguinolentus habeberis plùs aut minùs. Si Infantem habuerit, quamdiu is eſt, Peccatum ex illo Infante contractum Peccatum tuum erit: tu habebis Peccatum, & tu habebis onus. Igitur cuſtodi te ab ejuſmodi Opere quod in Pœnitentiâ deſinit. Non dicant (ſi modò de tali re loquuntur,) Talis homo conſors fuit cum Meretrice. Ideóque in te non prævaleat Deſiderium tuum; nec Intellectus & Diſcretio & Gravitas tua* [culpentur.] *Quicunque ſemel cum Meretrice cubuerit, per XL dies Intellectus & Scientia ab illo abibunt: non Perſpicacitas ejus, nec Conſilium, nec Conductus, nec Apprehenſio, nec Religio, nec Stabilitas ejus, manſura ſunt, nec Cor ejus quietum manebit. Ideóque cuſtodi te ab hoc, & tibi caveto.*

PORTA LXX.

PRæceptum eſt tibi cavere à Furto & alienarum Opum Direptione, Quando aliorum Opes Furto abſtuleris, proprium Sanguinem te vorâſſe ſcito. Nam tale in hac Religione decretum eſt, [viz.] *Quicunque Furto aliorum Opes abſtulerit, ſi unum Dirèm* [ſeu Nummulum] *furatus eſt, ab eo duo Dirèm auferant: & pro Mulctâ ejus Aures abſcindant, Corpus ejus decem Baculis* [ſeu Verberibus] *fuſtigent, & in carcere per horam detineant. Talia oportet in eum infligere. Aliâ vice, ſi duos Dirèm furatus fuerit, quatuor ab eo exigant, duabus horis in Carcere detineant; & tunc manus ab eo abſtineant. Si aliquis furatus fuerit Dirèm* CCCC, *Manum ei præſcindant. Si furatus fuerit* D *Dirèm, de collo ſuſpendatur. Tale erit Supplicium ejus in hoc Mundo: & in futuro, Pœna erit, quòd in Paradiſo, duplum ejuſmodi quod furatus eſt ab ejus Meritis auferetur.* [Alia Exemplaria paulò aliter legunt, viz.] *Si unum Dirèm furatus eſt, duo Dirèm pro Mulctâ ab eo auferant, & Aurem ejus abſcindant, & Corpus ejus* X *Baculis verberent, & in Carcere unâ horâ detineant. Aliâ vice, ſi unum Dirèm furatus fuerit,* X

Dirèm ab eo auferant, alteram Aurem abſcindant, XX *Baculis* [ſeu Verberibus] *eum percutiant,* II *horas in Carcere detineant; & tunc manum ab eo abſtineant. Si deinde furatus fuerit* III *Dirèm aut duo Dângh, ferenda eſt Sententia ut abſcindatur Manus, Manus, inquam, dextra.* [Huc uſque alia Exemplaria: deinde pergit prius Exemplar;] *Et Viro Dei dabunt Opes ejus. Sic manſurus eſt Fur ille infortunatus: ſi enim Bona-Opera non fecerit in hoc Mundo, ex angulo ſemper Talionem inveniet: in eum exhibebunt Retributiones, Supplicium erit Sors illius. Quicunque aliorum Opes abſtulerit, pro Talione, quadruplicem ab eo Quantitatem auferant. Si heic reddit, det ejuſmodi quadruplum. Si autem talem Furem abſolvit ille Beatus,* [ſc. Archipræſul,] *tum illius Furis opus ibi habebitur quaſi bonum: ſi autem non, tum oportet eum ſtatim interficere, cùm oporteat interficere talem Malevolum. Conaberis itaque aliorum Opes non auferre, & ab operibus diabolicis abſtinere.*

PORTA LXXI.

PRæceptum eſt à Peccato abſtinere, à Manu, & Linguâ, & Cogitatione omne Peccatum eliminare. Si Mœror & Mœſtitia tibi ſupervenerint, in illis Patientiam habeto, ut animo ſis placido [ſeu inturbato.] *Si autem* [è contra] *Beneficium aliquod à Creatore obtinueris, pro eo Gratias agito: & quando præ manibus habes Gratiarum Actionem, tibi ſubſequetur Beneficium* [alterum.] *Nam ſi non adſit Gratiarum Actio, nil boni reportabis, quiſquis es. Illicitus eſt Panis quem talis edit; nam quando Gratias non agit, eſt Imprudens: nec oportet ei aliquod bonum facere, cùm ille ſit ingratus. Hoc enim in Religione planum eſt, ſc. quòd ſi aliquis ſine Gratiis moritur, in Terrâ eum ponant ex menſurâ* [ſeu proportione facti ejus.] *Sphendârmaz Angelus pro illo tremet, ſicut de Ferâ Ovis. Omnes Aves quas ille in Mundo ſicut Fera* [voraverit,] *erunt ſicut Cadavera ei qui ſine Gratiis eſt. Omnes Arbores ſuper quibus ille ſederit, quamvis bonæ eſſent, exareſcent. Oportet, ô Fili, ut hiſce Virtutibus doneris; quæ ſunt* I *Liberalitas,* II *Veracitas, &* III *Miſericordia erga Populum Dei:* IV^to^, *ut ſit tibi unum Cor & una Lingua, cujus Linguæ ſcopus ſit Veritas.* V^to^, *Hypocriſin non feciſſe cum Populo Dei, tam præmittatur quàm à Tergo ſequatur: quicquid enim tibi ingratum eſt, id certè nemini gratum habebitur. Hoc eſt Principium in Religione, & Canon atque Regula noſtra: namque Juſtiſſimus Deus Altor Zeratuſhto*

dixit

dixit; *Quando cupis esse Sanctus & quoque Salvus, in hoc Mundo tibi incumbit facere duo Opera*; *quorum unum est*; *Ut si Paradisum eligis* [seu præfers] *in hoc Mundo, ne invadas Res aliorum*; *quia Paradisus est melior Rebus mundanis, cùm hoc sit ut* V *Dies, illud ut Infinitum. Et cùm Paradisi Possessio sit tibi gratior, in Res pauperes Cor ne affigito: erga quemque bonum cogita, quia Bonitas in hac Urbe est opus præstans. Tu itaque facito Hominibus Idem quod si Illi tecum fecerint, tibi satisfaciat.* [Secundum est,] *Linguâ tuâ neminem lædas, sed Bonitate teipsum cum hominibus sociato. Cumque sic te habueris, tum, è Mundo migraturus, in Animâ tuâ de Reditu securus eris: ad talem Gradum tu pervenies, ut tandem Præcipuum* [seu Principale] *tuum invenias*; *ut quamdiu in hoc Mundo locus tibi supererit, tibi non eveniant Noxa & Damnum*; *ut per cujuscunque aliquando Limen transeundo, nullum à Diabolis & Dæmonibus tibi veniat Detrimentum. Cuique igitur præcipito ut ita se habeat, ut in utroque Mundo certissimè felix sit. Ei à Diabolo tunc non erit Damnum, sed Paradisus erit locus ejus in æternum. Ibi ipse lætabundus sedebit, nec aliquid præter Desiderii sui Gaudium videbit.*

Porta LXXII.

Præceptum est, ut quovis die quamprimùm lucescit Aurora, pro minusculis Rebus [peccaminosis] *Sacerdos Expiationem pro te faciat aliquo Convivio,* [sc. parvâ aliquâ Oblatione quotidianâ,] *vel ipse pro te facito: hoc enim in Religione clarum est,* scil. *In quacunque domo expiatum fuerit Convivio, in illâ domo hospites absque Fascinatione erunt: Beatorum Animæ* 999000 *illuc accedent. Ingruente quidem Nocte, & Sole ex Mundo abeunte, Diaboli & Dæmones tunc venient ut illius domûs Incolis noceant, & ut Capita Incolarum talis domûs in Vincula adducant: at quando in illâ domo Convivii Nidorem invenerint, inde exibunt ab illo Convivio exterius: & in illâ domo non erit alicui Noxa, sed cum* C *Desperationibus inde exibunt. Cuique itaque Fideli præcipitur, quovis Mane, secundùm præscriptum Morem, Convivio expiare*; *ut quando ibi omnis Anima collocata fuerit, Diabolus ab illo loco longè absit. Et quamvis habes tantùm Urceolum, tamen Convivium parvum est, & hoc indubitatò bonum Opus habebitur. Propter tale Convivium non ita minuetur Meritum, quin* MCC *Dirèm illud ponderet. Terna ejusmodi Convivia triplum tot Diremorum Meritum habebunt: sic enim Computus nobis institutus est.*

PORTA LXXIII.

IN hac Religione, Fœminis [Puerperis] *incumbit in* [XII^mo menſe] *Abân duodecim Oblationes præſtare pro Peccato quod à Puerperâ proceſſerit, ut ita purificata ſit à Peccatis ſuis: præſtet itaque & hoc Opus in ſe ſuſcipiat. Nam in Libro Zend-vendîd dicitur; Fœmina quæ* XII *Oblationes præſtabit, erit purificata & à Peccato pura, tanquam Ventus qui à Superficie Campeſtrium Paleam rapit. Non eſt aliquid Fœminis magis præceptum, quàm ut in Abân diligenter faciant Expiationem Pecuniâ ſuâ: talis enim in Viâ Religionis Fœmina habetur plane optima, quæ* XII *Oblationibus Expiationem fecerit. Meritorum ejus Exuberantia habebitur* 100 000, *& adhuc Mille. Tales ſunt* XII *Oblationes, unde quævis inveniet Meritum in Paradiſo ſupremo.*

PORTA LXXIV.

PRæceptum eſt Fœminis probè cavere à Scortatione in ſuæ Religionis Regno: nam in bonâ Religione planum eſt, quid omni Fœminæ quæ cum duobus Viris concumbit dicturus ſit Religionis Sapiens; ſc. Quòd cum Peccatoribus & Veneficis æqualis [ſeu compar] *ſit: nam in Zend-vendîd dixit; Unaquæque Fœmina quæ cum duobus Viris cubat, à Deo erit in Miſeriâ & Difficultate plurimâ, & apud Angelos in Dedecore multo. Si talis Fœmina Aquæ Superficiem aſpexerit, Aqua mox turbabitur & in Ebullitionem veniet. Si Ligna & Arbores aſpexerit, Arbores turbabuntur & in Partes lacerabuntur. Si aſpectum projecerit verſus aliquem Virum, præ Dolore nil Decoris in eo manebit, nihil Scientiæ. Si talis Fœmina ſuper Terram poſuerit Pedem ſuum, Iſphendârmaz* [Terræ Angelus] *mæſtus erit propter hoc. Zeratuſhto dixit Creator, Eam, ſine Morâ, citò occidito. Oportet enim Animam occidere per Angues & Leones & Tigrides & Lupos perfidos, quia aliàs majus Damnum incurret à Feris dilaniantibus fœdis, & malis* [Spiritibus.] *Oportet itaque Fœminas ſe probè cuſtodire, cùm res ita ſe habeat. Non faciant in Maritos ſuos illicitum* [ſeu vetitum,] *quod in Religione incumbit tam in Nobiles quàm in Vulgus. Si alicui Viro ſe tradiderit quater, Marito ſuo illicita*

illicita habenda eſt. Ad Domum ante eam præibit Maritus, cùm ſit ſicut Peregrinus, non ſicut Affinis ejus. Peccatum in ejus Animam de novo ſemper veniet, & Anima ejus ad Infernum ibit. Oportet itaque heic multum conari, ut ſeipſam à Peccato contineat.

PORTA LXXV.

SI Puerperæ Oculus in Ignem inciderit, erit ei Peccatum Ponderis XV Dirém. Si intra XV paſſus acceſſerit verſus Ignem, Ponderis XII Dirèm erit Peccatum ejus. Si tribus paſſibus ſuper Ignem ſuum ambulaverit, Ponderis MCC *Dirèm erit Peccatum ejus. Si in Aquâ ſederit, Peccati ejus Exceſſum ſcito eſſe Quindecies:* [imò] *cujuſlibet Exceſſus erit uſque ad* MCC. *Non debet in Solem aſpicere, nec cum Viris Verba corrupta loqui. Duæ Puerperæ non debent concumbere. Vaſe plumbeo Cibum eis dato. Non debent aſpicere in Cœlum, nec Pede nudo ſuper Terram ambulare. Non debent Panem comedere è Manu. Non debent Vas* [ad bibendum] *Aquâ implere, niſi uſque ad Medietatem tantum. Manum in Manicâ teneat illo Tempore, & Panniculum ſuper eam circumvolvat, ne ejus Manus madefiat. Sic etiam faciat Tempore edendi. Non debet in Sole ſedere, ut Æſtate ſit Solis Calor ſuper corpus ejus. Quando Puerpera fiet dolorifica, quamvis eodem die purificetur, caput ſuum non lavet ante tres Dies. Et quando liberata eſt à Dolore lancinante, tum ſedeat adhuc IX Dies ſalva. Deinde quando Puerperium ejus minuetur, ſedeat aliquantulum, & tunc Caput ſuum lavet, & Purificationem Cordis Deſiderio quærat. Si per XXIX Dies Puerpera fuerit, idem erit ac in initio dictum eſt; ſedeat III integros Dies, & deinde Caput ſuum cum Deſiderio lavet. Si dubitetur an ſit Puerpera necne, faciat Veſtem, & videat quòd ſit talis. Si ſit Puerpera, ſit Veſtis pura; & hoc ſciat, ne fortè pereat. Si ſit ei Infans in Lacte, ejuſdem memor faciat Veſtem: & poſtquam Puero dederit de Lacte ſuo, is non debet eſſe exemptus à juſſis & vetitis. Tum deinde Caput ſuum lavet, & quoque Infantis Caput lavet. Cum Puerpera viderit an ſit ſecundum Morem, ſciat quòd debeat luſtrari. Si illa Convivium quod coram aliquo eſt aſpexerit, luſtrari debet illud Convivium. Si poſtquam Puerpera Aſpectum projecerit in Aquam currentem, quamvis celeriter ab eâ diſceſſerit, Puerpera omnem Rem in quam aſpexerit jacturâ afficit. Si Manum ſuam ſuper Carduum fœtentem poſuerit, certiſſimè ſcito talem Carduum quaſi effoſſum*

foſſum fore. Si Aſpectus ejus cum Plagâ [ſc. Faſcino] *inciderit in Indicum, illud Indicum amittet Colorem & fiet vitiatum. Seipſam itaque (præſertim tribus primis Diebus) à Peccato cuſtodiat.* [Vid. Portam XLV.]

PORTA LXXVI.

IGNEM ne accendas in Sole, quia hoc erit Peccatum [Ponderis] *trium Eſtîr; Peccator enim eris & ages corrupté. Vetita ſunt ſuper Caput Ignis tui Oſtiola, ſc. res in ſe habentes Foramina: nam ex omni Feneſtrâ per quam Sol ad eum venerit, per eandem etiam ad te Peccatum veniet. Hoc Peccatum erit trium Eſtîr. Nam Sol erit potior Igne; & quando Sol in Ignem ſplendeſcit, Potentia ejus minuitur: & hoc eſt Peccatum, quamvis Ignem alueris à mane ad veſperam: nam exinde tibi erit Peccatum* MCC [Dirém.] *Ignem itaque in Sole ne ponito: quia neceſſarium ſit ut Opus tuum ita facias in hoc Mundo, ut exinde ad Animam tuam Damnum non veniat.*

PORTA LXXVII.

SI duæ Perſonæ deferunt Cadaver ad Locum ubi Juſta faciunt, habeant in utrâque Manu Veſtem quam eo Tempore induant; unam ſupra Veſtem priorem induant, Veſtem, inquam, ſepulchralem [ſeu quâ adeunt Conditorium] *ſuperius induant: nec Verbum dicant alicui, quia ſic debet fieri. Et quando abituri ſunt celeriter* [verſus Conditorium,] *illud Cadaver oſtendatur Cani, uni quidem, quo tempore reddit Animam ſuam, & alii, quando coram ſe exportant. Eodem tempore quo exportaturi ſunt Cadaver, Filum alligent Manibus ſuis, ut ſemper ſint prope ſe invicem: nam non debent vel unum Verbum dicere quando exportant Cadaver ad Locum ubi Juſta facturi ſunt. Si Cadaver ſit Fœmina-gravida, cum ſit duplex Perſona, quatuor homines eam exportent. Cumque ab exportando Cadaver redierint* [Veſpillones:] *tum euntes induant Veſtes ſuas, & Caput lavent Aquâ Lotione-luſtrali, quia alius non eſt citò moriturus. Cadaver, inquam, oportet Cani benè oſtendere, nec unum plus Verbum deinde*

deinde addere: nam ſi aliter fecerint, etſi mille homines illud exportaverint, omnes erunt eo tempore polluti. Et in Zend-vendîd ſic dicitur; Niſi Canis illud Cadaver viderit, defunctus habebitur polluțus & Morte ſuâ dignus, nec à Pravitate purificari poterit: & ipſius Anima etiam erit in Miſeriâ.

PORTA LXXVIII.

PRæceptum eſt à Ligno [ſc. Feretro] *Mortui cavere, ab illo, inquam, Ligno quo Mortuum exportant, & ab illo Ligno ſuper quo Mortuum lavant. Sic etiam à Ligno tacto Aquâ flavâ & Sanguine quæ Puerperam polluunt; & à Ligno ſuper quo Calceamentum poſuerit Puerpera: item à Ligno quo affigunt hominem Patibulo. Ab his omnibus caveto, nec ad ea accedito, quia ab his omnibus fit Veſtis tua polluta: ea ne comburito, ſed procul aſporta: nam nemo accipiet, nec comburet, quia nemini in hoc Mundo uſui ſunt.*

PORTA LXXIX.

PRæceptum eſt, ut ſi pro Medelâ Medicus Religioſo præſcribit comedere Cadaveroſum; quamdiu hoc Morbo laborat, omninò non debet comedere Cadaveroſum, quia in Zend-vendîd dictum eſt; Quicunque in Religione noſtrâ edit Cadaveroſum [ſeu fœtidum,] *Caput ejus affatim fœtebit: & quando Anima è Pectore exierit, ad Gehennam itura eſt; niſi adduxerint eum coram Sapientibus, & hoc ei permiſerint Deſtûri. Ii enim ſtatim ejus Caput inde elevabunt, & pro Compenſatione eum* [Diſpenſatione] *donabunt. Aliàs verò, in Gehennâ manſurus eſt, & Tormentorum ac Suppliciorum varia Genera perpeſſurus.*

PORTA LXXX.

PRæceptum eſt, ut Cadaver ad Ignem & Aquam non feras; quod ſi feceris, in Gehennâ manſurus es hocce Judicio. Sic enim in Religione nobis dixit Religioſus; Quicunque Cadaver ad Ignem & Aquam adduxerit, eodem Tempore, propter hoc ipſum Opus, tanquam Locuſta fiet: Hyems proptereà vehementior erit, quòd Cadaver ad Aquam & Ignem propè adductum fuit.

PORTA LXXXI.

QUicunque malitiosè Religioſum paſcet Cadaveroſâ-carne, aut Injuriæ cauſâ talem in eum projecerit, oportebit eum ad eundem properare, & Pœnitentiam agere, ut hoc modo purificetur ab hoc Infortunio. Debet à Deſtûrô impetrare ut pro ejus Animâ recitet Pîtùpht, & Compenſationem [ſeu Abſolutionem] *faciat pro Anima, ut ea à Gehennâ liberetur.*

PORTA LXXXII.

SI Vacca aut Ovis Cadaveroſum comederet, ad nullum Uſum adhibebitur, nec pro Carne, nec pro Lacte. Aliquid de Pilis aut Stercore ejus uſque ad Annum in Uſum non veniet: &, ſi fœtus ei fuerit in Utero, is non habebitur mundus uſque ad Annum. Et, ſi illo anno conceperit, non erit munda uſque ad Annum alterum. Si Gallina Cadaveroſum comederit, tam Ipſa quàm ejus Ova erunt ambo immunda. Nam Religioſi ſtatuerunt, ante Annum purificari non poſſe.

Porta LXXXIII.

Præceptum eſt nihil dare Peccatori: Peccatori enim ſi aliquid dederis, erit quaſi Angues in Os tuum indideris. Si Cibum tali alicui dederis, ſi comederit & in Peccato perſtiterit, tu cum eo peccâſti, te ipſum cum illo in Gehennâ perdidiſti. Si autem neceſſe ſit ut aliàs incurrat [vitæ] *Periculum, tum dato; aliàs habiturus es Pœnam magnam.*

Porta LXXXIV.

Præceptum eſt, ut quando Mane à Somno ſurgis, primùm Manus tuas detergas, deinde Faciem laves ſine Morâ. Poſteà Manus & Cubitos lavato ter, & Pedes uſque Crura trifariám. Inter lavandum aliquid ex Aveſtâ recites, aliàs autem inter lavandum nihil dicas. Si Aqua tibi non adſit, omiſſâ Litaniâ, Manus & Faciem fricato Pulvere trifariàm, & deinde Litaniam facias. Et poſtmodum cùm ad Aquam perveneris, laves, & deinde Litaniam facias. Nam ſi Manus aliquâ Re non fricaveris, Manus & Faciem expiare non poteris. Niſi enim Manum & Faciem primò laveris, ad nullum Rem manum applicabis.

Porta LXXXV.

Præceptum eſt Agricolæ benè cavere in omni Sato ad quod Aquam deduxerit, ut tales Rivulos benè inſpiciat ne in eos aliquid Cadaveroſum inciderit: benè, inquam, inſpiciat ſubtus & ſuprà & infrá. Si autem Aqua cadaveroſa inopinatò ad illud Satum pervenerit, quamvis cautus fuerit, quantum potuit, tum non erit ei Peccatum, cum nulla ſit de eo Suſpicio. At ſi ille Aquam non benè inſpexerit, cùm eâ ſi venerit Cadaver, proculdubiò erit Peccator, omnibus, inquam, Religioſis Peccator habebitur. Quando autem contaminatur hoc Peccato per Imprudentiam, Pœnitentiam faciat ut reſtituatur.

Porta LXXXVI.

Præceptum eſt cuique Fœminæ quæ Infantem enixa fuerit, ut intra XXI dies Caput non lavet. At poſt illos XXI dies, ſi putat commodum eſſe lavare, tum lavet bené. Manum non apponat ad ullam rem, ut ſit ei Intellectus & Conſilium & Diſcretio, nec Pedem ponat ſuper Limen domûs. Uſque ad XL dies caveat ab omni Re ligneâ & figulinâ: caveat à coquendo Ollas. Oportet, inquam, ab omni Re cavere per XL dies: cúmque illud Tempus pertranſierit, lavet & purificetur. Uſque ad XL dies, ad nullam Fœminam accedat; nam ſi ad Fœminam acceſſerit, Peccatum erit maximum. Si Mulier [ad quam acceſſerit] *tunc fuerit gravida, proculdubiò ex ejus lacte læſus erit fœtus, cujus ideò Peccatum eſt à Patre & Matre: te itaque in periculum ne conjicito. Si autem XL diebus non apparuerit quòd fuerat gravida, cùm poſt XL Sanguinem viderit, dicito quòd nihili habeant, cùm Puerperæ* [ſeu Prægnanti] *non poſſit eſſe ſanguis: in Puerperam itaque Impetum* [in alio Exemplari *Fraudem*] *ne facito. Et, ſi adhuc poſt Septimanam viderit Sanguinem, ſcito impoſſibile eſſe ut illa ſit Puerpera* [ſeu Prægnans.] *An itaque illa ſit Puerpera benè inſpicito; ut ſi Puerpera ſit, in alio loco ſeorſim ſedeat. Puerpera itaque cùm ſit, non debet Periculum facere: & ſcito hoc non eſſe parvi Momenti verbum.*

Porta LXXXVII.

Quoad Fœminam quæ Fœti Jacturam fecerit [per Abortum,] *eam primùm dato præ foribus Adurân cum Cæremoniis religioſis, ut Interiora Cordis & Oſſa ſint ab Infirmitate ſuâ purificata. Aqua non eſt ei danda per triduum, propter Metum Mortis. Eodem momento quo talis Fœmina libera eſt ab Embryone, per tres dies pro illâ ingredieris illam Synagogam. Et quando Embryo præceps exciderit, eum relinquas per pluſquam Horam: deinde Aquam ei dato ut bibat, nam fortaſſis de illâ Aquâ bibiturus ſit. Poſt XL Dies* [Fœmina] *Caput ſuum lavet, & ſimul* [ſolennem] *Pœnitentiam agat. Si Embryo non eſt quadrimeſtris, non eſt ei Anima. Quando fit ut dictus Embryo ſit mortuus, in Velo Sanguinis*

guinis [ſcil. in Chorio & Amnio] *congelatus, ſi, inquam, ante tres Menſes ſic evenerit, oportet eundem Cani oſtendere planiſſimè. Deinde Pelvis impleatur Aquâ-luſtrali quæ ad Embryonem citò afferatur, & duæ Perſonæ Embryonem in illam Pelvim conjiciant: ſi albus ſit, Cadaver habebitur ille Embryo, & Mater debebit* [ſolennem] *Pœnitentiam agere. Si autem ruber ſit Embryo, tum adeſt Sanguis; & quomodo Matri ejus Pœnitentia incumbet? Si tale quid evenerit poſt tres Menſes,* [ſc. ut Embryo ſit tantùm trimeſtris,] *bonam Circumſpectionem adhibe: cave, cave tu qui Myſteria nôſti, nec Periculum facito in hoc Negotio: nam hoc prohibitum eſt in Religione noſtrâ, & in eâ Mos & Regula eſt; Quòd ſc. non oporteat talia Spurca facere, de quorum Sanctitate plane dubitetur. Nam ab* [ineunte] *Vitâ uſque ad Interitûs Tempus, talis Perſona nullâ Aquâ purificabitur, quamvis Decies Millies Caput Aquâ-luſtrali lavaverit; illi, inquam, talis Lotio non proderit, quia intus adhuc polluta eſt in Medullâ, & Venis, & Oſſibus, & Cute. Hæc ſi noveris, benè eſt. Exteriùs quidem, certiſſimè purificabit Aqua: interiùs verò, Religionis Cæremoniæ purificabunt; nam illa Purificatio quæ intra Corpus, à Ritu religioſo procedit. Si in hoc Negotio remiſſus es, tu omninò non es purificatus: quidvis ad quod apponis Manum, pollutum eſt, ſive ſit Cibus, aut Aqua, aut Ignis; quicquid, inquam, ſit ad quod talis Manum ſuam appoſuerit, Peccatum* [novum] *ſuper alia ejus Peccata addet: unum nempe ei daturum eſt Centies Centum Millia, & hæc omnia erunt Peccata ipſius; quod benè advertito. Si Manum ſuam poſuerit ſuper Convivium, totum illud Convivium fœtebit. Omnis Cibus quem Manu tetigerit, inquinatus & pollutus erit, ſicut eſt malevoli Anima. Propter hoc debet* [publicam] *Pœnitentiam agere, & inſuper novem Shávah* [ſeu Gagatis-Gemmas] *tradere. In hoc negotio ter Caput ſuum Aquâ-luſtrali lavet: ſic enim debet tribus Diebus Caput ſuum lavare: & tum ſi Manum ad quidvis purum appoſuerit, non habebit quod metuat timeátve.*

PORTA LXXXVIII.

PRæceptum eſt, ut quando aliquis è Mundo abierit, per triduum in Domo Religioſi non edatur Caro recens: quia multum inde metuendum eſt, quòd duos ſeros [ſeu mortuos] *ibi fecerint. Oxygalam, aut Caſeum, aut quicquid ſit, in medium produc: nam tam Ille quàm Amici*

[ſeu

[ſeu Conſanguinei] *quicunque ſunt, non debent ad Carnem manducandum conſidere.*

PORTA LXXXIX.

PRæceptum eſt, ut Liberalitatem præſtes, Munificus ſis, & hoc modo negotium facias; nam Terræ erit gratum quòd talis Homo liberalis ſuper eam generosè-ambulet. In Mundo etiam gratum erit Vento, ut poſſit Liberalis Pectus recreare. Melius erit Equo tale negotium, quòd Homo liberalis eum inequitaverit. Gratum erit Mihræ [ſeu Soli] *& Stellis & Lunæ, quòd ſuper Liberalem ſplenduerint Luce clarâ. Liberalitas Deo chara eſt, Liberalis Locus propterea Paradiſus erit. Sic enim dixit Deus-Juſtus; Liberalium Præmium eis afferam, non enim video idoneum eſſe ut Liberales ſint ſine illo. — Angeli ei benedicturi ſunt. — Dixit quoque Deus, Scito ô Zerátuſht Eſpintamân, me Paradiſum creâſſe ex Juſtitiâ: Locus Boni Liberalis erit* [apud] *Gherûtamân, qui Bonitatem exercebit erga dignos, & idoneos in Religione Gaudio afficiet: eis donabit ex Rebus quas in manu habet, Locum & Seſſionem pro eis in Paradiſo inveniet. Ille etiam ab Inferno tenebroſo erit immunis, hujus Opera non erunt præcipitata. In Religione planum eſt, quòd ad Paradiſum ſint Viæ XXXIII, per quarum aliquam Animæ ad Paradiſum ituræ ſunt, ſi multa Bona Opera fecerint. Sed Liberales per omnes XXXIII Vias ad Paradiſum ibunt: cum Felicitate Viam ad Paradiſum invenient, & ſicut Ventus per Tchînavar leviter tranſibunt. Per quamcunque Viam properaverint, Angelos in Procinctu invenient Formâ optimâ, unde Liberalis propter optimam illam Pulchritudinem lætabitur. Latitudo τ̃ Tchînavar eſt IX Lancearum, & quævis Lancea IX Cubitorum. Intra Paradiſum eſt Liberalium Locus, qui melior quam aliorum, ſine quâvis Imminutione: nec potes habere Merita potiora quàm ea quæ Veracis & Liberalis ſunt.*

PORTA

PORTA XC.

HOC Verbum audito ex Religione τῦ Eſpintamân, ſc. Quòd aliquando ſit Tempus, ut ſemel recitando Aſhîm, ejuſdem Meritum ſit decuplum: aliquando, eundem ſemel recitando, Meritum ejus ſit C: aliquando M: aliquando 10000: *aliquando* 100000. *Aliquando, illud ſemel recitando, Meritum ejus æquet Quantitatem Mundi & omnium Rerum quæ in eo. Decem Meritorum Aſhîm erit Tempore Panem comedendi. Centum Meritorum Aſhîm erit poſt Cibum præſtare Vâgj. Mille Meritorum Aſhîm erit Tempore dormiendi. Decies mille Meritorum Aſhîm erit Tempore Mediæ Noctis: quando enim te à latere ad latus volvis, eo plus valebit Meritum in iſto Negotio. Centies mille Meritorum Aſhîm erit quando Mane à Somno ſurgis. Aſhîm, cujus Præmium æquabit totius Terræ Regnum, illud eſt quod recitas Tempore Anguſtiæ, in quâ (ſi recitaveris) lætus eris: Præmium ejus dabit Deus Plenitudine Mundi: ſic enim dixit Zerátuſht Eſpintamân. Et, ſi Aſhîm recitare non poterit, unum in Os ejus indat aliquis è Famulis ejus. Si Aſhîm in Conditione ſuâ recitaverit, devotus habebitur: &, ſi devotus ſit, ſecundum hanc Sermocinationem Paradiſeus erit. Et ſi Paradiſeus fuerit in hoc Mundo,* [apud] *Gherutamân erit Locus ejus æternúm. Quovis gradu quem habuerit, altior adhuc erit gradus ejus. Tu itaque evigilato, & pro hoc Negotio Bona Opera præſtato. Animam tuam exaltato, ut in bonâ Religione habearis pretioſior. Annitatur itaque Sapiens ut in hoc Loco Aſhîm vuhû ſæpius adhibeat.*

PORTA XCI.

PRæceptum eſt die & nocte anniti ut quodvis Bonum-opus quod facturus es, facias cogitando te hinc migraturum: ſi enim hodierni diei opus quis facturus ſit cras, acerrimam de hac re Pœnitentiam acturus eſt. Nam in noſtrâ Religione certum eſt [Deum] *τῷ Zerátuſht-Eſpintamân ſic dixiſſe; In totius Mundi Creatione nemo mihi melior eſt quàm*

Tu

Tu es: propter Te Mundum attuli [ſeu poſui:] *inter omnia Climata Tu es Electus meus. Omnes Populi in quovis Regno fuerunt Seculi tui cupidiſſimi, ut bonam à te Religionem poſſent producere, Gherutamân conciliare, & Cor ſuum reducere. Ego te creavi in Medio Temporis quod in Mundo currit; ſcil. à ſeculo Keiomáras uſque ad Seculum tuum, ſunt Anni* 3000: *& ab hoc Seculo tuo uſque ad Reſurrectionem erunt etiam Anni* 3000. *Meque te in medio creâſſe ſcito, quia omnis Res in Medio ſita, præ eâ quæ in Initio & Fine melior eſt. Argumentum pro eo quod dixi, manifeſtum eſt, quòd ſc. omnium quæ produxi, id quod in Medio ſit optimum, prout cuique perſpicaci conſtat: cùm enim Cor ſit in Medio ſitum, ideò mihi æſtimatur melius: cúmque nunc Clima Quartum ſit Medium, ideóque & melius eſt. Ego te donavi Honore, & Dignitate, & Præſtantiâ, & Prophetiâ, & Regalitate, cùm tibi ſincerum in Mundi Regno reddiderim Guſhtaſpem (ex Proſapiâ τῶν Keyân,) quo non eſt ſapientior in hoc Mundo in ſeculo tuo. Tempore tuo effeci ut homines ex animo aſſueſcant ſe Scientiæ. Nam cujuſvis Excellentia non eſt in Divitiis, ſed in Scientiâ & Morum-Præſtantiâ: non in multis Annis, ſed in Scientiâ magnâ: non in Origine & Stirpe, ſed in Scientiâ & Virtute. Nam illorum, qui in Mundo ſapientiores ſunt, Gradus in Viâ Religionis ſublimior eſt. Quando perceperint quòd id quod longo annorum Tractu in Scientiâ traxerant cum Moleſtiâ & ſuî Maceratione, (quòd ſc. id quod cum Tædio in eorum manus inciderat, dum tempus tranſigerent in Viâ neceſſariorum ſuorum,) per te facillimè in manum accepturi ſint, & cum Facilitate Scientiæ Religionis participes futuri ſint; tum apparebit Sapientiæ differentia à Prophetiâ, & Te Scientiâ & Sapientiâ tuâ ipſam habere; ſe omnes eſſe ut Spinæ, Te verò ut Roſa; ſe omnes eſſe ut Partes, Te vero ut Totum; & tandem omnia illa quæ Ii cum magnâ Moleſtiâ addidicerunt, me ea tibi uno verbo ita dixiſſe, ut ſint tam Vulgo quàm Proceribus facilia; adeò ut non maneat aliquid in quâvis Linguâ dictum, niſi quod in Linguâ tua ſit ſicut Aqua fluens. Tibi enim datus eſt Liber Aveſtâ, in tali Sermone, ex quo in Mundo Deſiderium tuum & Famam obtinuiſti. Deinde tibi dedi Interpretationem τῦ Zend, qui eſt Liber & Scriptura valdè æſtimabilis. Præ Linguâ qua Homines ad loquendum utuntur, ea eſt Lingua Elegantior à Capite ad Calcem. In hoc* [Libro] *Eloquentiam tibi dedi, quæ Magnificentiam tibi afferet in Religione. Et nunc ô Zerátuſht Eſpintamân, annitere, & Conſilium meum hoc tempore* [amplectere:] *omne Bonum-Opus quod potes, hodiè facito; in Vitâ tuâ, ne annitaris in craſtinâ die* [nec differas:] *pro Animâ tuâ, quicquid potes, propriâ Manu facito: ne eſto ex Socordiâ* [dicens,] *Ego*

hodiè

hodiè ſum adhuc Juvenis: ne eſto negligens, quòd Diſceſſus tuus ſit ex improviſo. Nunquam ſperes quòd poſt te aliqui pro te Bona-Opera facient: nam melior eſt una Dies vitæ tuæ in præſenti, quàm Spes pro quinquaginta Annis [in futuro.] *Corpore itaque Bona-Opera præſtes hodie, nam cras præ Dolore non conaberis. Gogjéſta, qui Diabolus Apoſtata eſt, duos Diabolos huic operi præfecit, quorum unius Nomen eſt* SERO *à* CUPIDITATIBUS [recede;] *alterius Nomen eſt* O SOCIE POSTEA [facias;] *ut hi duo Diaboli per hæc Remedia homines à Bonis-Operibus retrahant: uti quando eſt aliquod Bonum-Opus quod oportet hominem facere, accedens* SERO, *ſicut Turbo, dicit, Tu diu victurus es; hoc opus poterit fieri quovis die intra vicenos. Et Diabolus, cui nomen eſt* POSTEA, *dicit, Hoc poteris poſteà perficere. Hi duo Diaboli ex neceſſitate prohibituri ſunt Bona-Opera in hoc Mundo. Et quando te à Bonis-Operibus retinent, ne ponas Cor in hunc Mundum cum Deſiderio & Aviditate, ne tandem veniens Fatum, & ex non-præſtitis Bonis Operibus invenias Damnum, & pœnitendo maneas in Triſtitiâ, & tibi ipſi facturus ſis Injuriam & Injuſtitiam: quando, inquam, Vindicta* [ſeu Retributio] *Paradiſeorum in te erit, Triſtitia & Moleſtia & Mœror & Damnum tibi erunt. Peccata tua in Cervice tuâ manebunt, & nemo te ad Paradiſum ducet: ideóque de Operibus tuis cautus eſto, & in hominum Religioſorum Viâ inſiſte.*

PORTA XCII.

QUando res à Cadavere polluta eſt, dicam quomodo deſideratam ei Puritatem acquiras. Si Aureum ſit immundum, illud Lotione-Luſtrali Aquâ ſemel lavent: ſi Argenteum ſit, eodem modo lavetur bis: ſi Cupreum, aut Stanneum, aut Plumbeum, aut Orichalcum ſit, eodem modo lavetur ter: Chalybeum lavato quater, Lapideum ſexies. Si ſit Turcoïs, aut Rubinus, aut Hyacinthus, aut Corneolus, aut Smaragdus, eodem modo lavetur ſexies: & quâvis vice ſiccatum reddant affricando Terram. —— Sic etiam ſi Margarita ſit, ad inſtar Lapidis, lavent ſexies. At quodvis Vas ligneum & teſtaceum abjicito: eadem eſt Quæſtio & Reſponſio. Si lavaturus ſis Veſtem, id facito ſexies; nec eam in aliquo loco ſeponas ita ut Luna aut Stellæ aut Sol in eam ſplendeant. Et quando per ſex Menſes ſepoſita fuerit, tum oportebit aliquem eandem induere, quamvis [hoc faciendo] *haud multum lucraturus ſit.*

PORTA XCIII.

PRæceptum eſt, ut benè cuſtodias Ignem Martis: quovis Anno tantum Lignorum affer quantum illo Anno comburatur, quod ex præteriti Anni demenſo [ſciatur.] *Præceptum eſt quâvis Nocte Ignem reficere; nam per Ignem Corda Religioſorum exhilaraturus es. Quando Ignem reficis, in eum bonos Odores indito, ut Dæmones & Venefici ab eis fugiant; cùm à Virtute Ignis Martis ſuppeditetur Vita tam Proceribus quàm Vulgo,* [i. e. omnibus.] *Inter homines quidem omnes poſſumus eſſe ut Paſtor & Grex, à Splendore & Illuminatione Angelorum: at ſi non fuiſſet Ignis Martis, non eſſet aliquis inter Creaturas vivens, nec eſſet in hac vitâ Permanentia. Quantum itaque potes, pro Signo* [ſeu Monimine] *adhibe Ignem Adurân, & juxta eum Petitiones & Deſideria tua habeto; quia inde erit tibi Splendor & Illuminatio infinita.*

PORTA XCIV.

IN hac Religione celebranda ſunt Ghahanbâr ſex, quod ab Eſpintamân præceptum eſt omnibus qui Religioſi & Sancti ſunt. Quicunque poteſt, in hanc rem annitatur eique allaboret: nam obſervando Conſuetudinem τῶν Ghahanbâr, affatim acceſſûs ad Deum inveniet. Et, ſi unus ſolus non poteſt, duo, aut tres, aut quatuor, hoc Opus aggrediantur: nam cùm nôſti Mundum nemini manere, huic, inquam, Operi pro virili incumbito. Si tres præſtare non poſſunt, quale tunc erit tuum Ghahanbar? Quiſque in medium conferat ſymbolum, nam, ad inſtar hujus, non reſtat alicui tale Meritum. Cuivis Religioſo incumbit quàm citiſſimè hoc opus aggredi, quia inde inveniet Meritum multum. Si autem non, nec habet aliquis multum quod conferat, nemo in hoc Opere Jactantiam præ ſe ferat [plus quàm poteſt conferendo.] *Ubicunque celebratum fuerit Ghahanbâr, fac citò ad illum locum properes: & quamvis te non advocaverint, ei* [celebrationi] *benedicito &* [ſponte] *aliquid dato, ut non retrò maneas à tam bono Opere: annitere, inquam, nam inde Deſiderium tuum tandem invenies. Hæcce ſex Ghahanbâr nobis Religioſis injuncta ſunt, quia Deus-Juſtus hujus Mundi Regnum & quicquid in eo eſt uno Anno creavit, Terram*

Sub-

ſubſtravit, & Cœlum ſuperinduxit. Primò creavit Cœlum XLV diebus: in Die Chûr Menſis Ardibehiſht fuit Ghahanbâr primum, V diebus conſtans, cui nomen Midiyúzeram. Si quis hiſce V diebus Ghahanbâr celebraverit & Benedictiones pronuntiaverit, ejus Merita erunt tot numero ac ſi dediſſet Agnos ac Oves mille. Bonis & dignis quicquid aliquis dederit, id pro Animâ ſuâ dat talis Religioſus. Sexaginta diebus Deus creavit Aquam in die Chûr Menſis Tîr: hujus quindii Ghahanbâr eſt Midiyúſhaham-ghâh. Qui hocce quindium ex animo celebraverit, inveniet Abundantiam Animæ ſuæ: tantaque reportabit Merita ac ſi dediſſet Vitulos & Vaccas mille, dediſſet, inquam, Bonis & Dignis pro Animâ ſuâ. Ghabanbâr tertium eſt quo Deus per Potentiam ſuam produxit Terram LXXV diebus: in Die Aſtâd Menſis Shahrivâr hujus Ghahanbâr Initium fuit. Quicunque eo die illud celebraverit & Benedictiones fundendo triumphaverit, percipiet bonum omnium Ghabanbâr quæ anteà celebraverat. Hujus nomen eſt Pitîſhaham-ghâh, cujus Meritum erit tantum ac ſi mille Equuleos & Equas bonas dediſſet Dignis & Bonis pro Animâ ſuâ. Quartum Ghahanbâr eſt Iyáſeram vocatum, quo Deus XXX diebus creavit Herbas & Arbores in Die Aſtâd Menſis Mihr: quicunque, quantum poteſt, illud celebraverit, habebit tot Merita ac ſi mille Pullos ac Camelas Bonis & Dignis dediſſet pro Animâ ſuâ. Quinti nomen eſt Midiyaram, quo Deus LXXX diebus produxit Animalia: hujus Initium eſt Die Mihr Menſis Dey, conſtans V diebus apud omnes Magnates & Sapientes. Quicunque hoc Ghahanbâr celebraverit, ſupra omnes Colla ſua exerentes exaltabitur, & hinc tanta erunt ei Merita ut ea non poterit numerare, ac ſi, cum Vaccis & Vitulis mille, tot Pullos & Equas glomeratorias & totidem Camelas cum Pullis dediſſet Bonis & Dignis pro Animâ ſuâ. Sexti Ghahanbâr nomen eſt Hameſpatâmadam, quod in Pentadem Mazdiyaſenân incidit, & Pentade [ſeu Quindio] *conſtat: in eo Deus LXXV diebus produxit Homines; eos, inquam, ultimò produxit pro quorum neceſſitatibus primò* [reliqua] *creavit. Quicunque hæcce Ghahanbâr cum perpetuis Benedictionibus celebraverit, (ſi, inquam, ejus Pentadem celebraverit,) plurima Merita reportabit pro quantitate Mundi & omnium rerum quæ in eo, ac ſi, ejus cauſâ, à Cerebro uſque ad Faciem & Cutem* [i. e. totum quod habet] *dederit Dignis & Bonis pro Animâ ſuâ. Annitetur quilibet ut ab hiſce Meritis non retineatur ex Juvenilitate ſuâ. Scito hæcce ſex Ghahanbâr inſtituta fuiſſe à Gjemſhîd: horum, inquam, Obſervationem Deus oſtendit Gjemſhîdo, qui habuit* [pro Viatoribus] *menſam: ei enim mos fuit, ut quicunque peregrinus* [hiſce diebus] *ab itinere adventaret, eum ad Coquinam ſuam mitteret ut ſe cibo ſatiaret. Die quodam*

aliquis Diabolus per oſtium ingreſſus eſt, ſub formâ Viatoris, quem cùm à Gjemſhîdo feſtinanter cibum peteret, Gjemſhîd illum ad Culinam miſit, Coquo præcipiens ut huncce hominem cibo ſatiaret. Quando autem ad Culinam venerat crudus ille Dæmon, cibum à Gjemſhîdo deſtinatum comêdit, & mox à Coquo alium petiit, ut ſibi ſatiaret poſtulans. Coquo hoc ad Gjemſhîdum referente, præcipit; Afferto aliquot Tauros, eóſque mactatos & coctos ei dato. Abiens itaque Coquus ſic fecit, nec fuit ſatur, ſed aliam poſtulavit menſam. Coquus itaque pertæſus, Gjemſhîdum adiit & omnia ei narravit, dicendo, O Auguſtiſſime & Maxime, paſſim per Mundum repræſentatur Culpa maxima; dicitur enim in Auguſtiſſimi [Regis] *Culinâ non eſſe talia* [ac tam ſumptuoſa] *quæ ſunt in reliquâ parte Regionis: fuit enim aliquis famelicus qui ab eâ non diſceſſit ſatur: & ſi ita ſit, quandonam ſufficiet Regi Regum?* [Qui itaque juſſit;] *Ito & Equos & Boves & Oves mactato & coquito & liberè dato.* [Coquus] *itaque ſic fecit, donec vires ei non manerent. Cúmque Gjemſhîdo narraret, Gjemſhîdo coram Deo ingemiſcente, is hæc omnia à Capite ad Calcem referre* [juſſus eſt] *Miſit itaque Deus Juſtiſſimus citiſſimè Angelum Behman quaſi eſſet Fumus,* [jubendo] *Ito & Bovem rubrum accipiens mactato in Nomine Dei qui Prudentiam dat: eúmque coquito in Aceto veteri, & cave accuratè facias, Allio ac Rutâ ſuperadditis: & in Nomine Dei ex ollâ effundito: deinde coram eo appone ut comedat. Cúmque Portiunculam Panis in illum* [quaſi Secerniculo] *friaſſet, Diabolus ille maledictus inde aufugit, abiit, evanuit & diſparuit, nec deinde aliquis eum poſteà vidit. Ex eo Tempore τὸ Ghahanbâr inſtituta ſunt, & in hominum bonum patefacta. Si itaque in bonum anniteris hoc modo, à Deo Religionem* [veram] *aſſequêris. Deinde quando poſteà occurrebat Fames, Bovem eodem modo parârunt, ſc. in Aceto coxerunt cum Allio & Rutâ, & hoc modo paratum comederunt, boni Effectûs cauſâ; & abiit Cariſtia, & Fames è Mundo amiſſa: per Nomen Dei Beneficentiſſimi removebatur illa Fames, & Egeſtas, & Indigentia: ejuſmodi arcanum Opus facit Operum Effector. Scito Zerátuſht Eſpintamân ſtatuiſſe in Mundo iſta Ghahanbârhâ, per quorum Ceremonias abibit Calamitas, & multas videbis Benedictiones in Vitâ, cum Divitiis & Poſſeſſionibus amplis.*

PORTA XCV.

PRæceptum eſt, ut ſi aliquis Beneficium facit alteri, tum alteri incumbit illum eâdem Quantitate rependere quantum poterit: ſi Gratitudinem juſtâ Quantitate rependere noverit, multam inveniet Mercedem in utroque Palatio [ſeu Mundo.] *Sic enim eſt in bonâ Religione, ut ſi aliquis in aliquâ re benefecerit, Deus decuplo plus ei rependat. Nam ſi aliquis id quod juſtum & bonum eſt cordialiter & animitùs non cognoſcit, ſecundùm Veſtâvazend, huic tandem eveniet ut Peccatum habeat infinitum: ei hoc Peccatum imputabit magnum, nec Deus concedet diem Spei & Metûs. Sic dicit Diabolus, nequam; Ille eſt nobis Affinis & Contribulis; in eum tandem erit Manus mea, is erit ſub Pœnâ & Supplicio meo: alteri Diabolo non tradam illum, Retributioni ejus ſuperaddam Miſeriam. Sic monet Mûbad-Mûbadân, ut hujuſmodi Peccatum in te non veniat, ſed à te procul abſit.*

PORTA XCVI.

SAlutationem ad Solem neceſſariam eſſe ſcito: quicunque eſt Religionis & Prudentiæ particeps, ter quovis die ei Salutationem faciat. Et ſi adhuc ſemel fecerit ex abundanti, tanto erit Exuberantia Meriti ejus: ſi bis, duplum; ſi ter, triplum erit Meritum ipſius. At ſi ſemel in die non fiat Salutatio, tibi erit Peccatum ponderis trium Sitîr, [i. e. VI Dirèm cum dimidio.] *Peccatum quoque augebitur quâvis vice quâ Salutationem non feceris. Et eodem modo erit Igni & Lunæ Salutationem iſto more faciendo.*

PORTA XCVII.

SI quis ex hoc malo Mundo diſcedit, Nemo debet flere propter illum; quia omnis Aqua quæ ex ejus oculis fluit, ante Pontem Tchînavar erit Obex ei: talis homo ibi manebit ſaucius, nec inde rectâ procedere poterit. Expiationem itaque faciant ex Aveſtâvazend, ut ab illo loco removeatur Obex.

PORTA

PORTA XCVIII.

SI quis ex animo Religioni incumbit, Sacerdotibus & Sapientibus miniſterium *faciat, Cingulum induat, & eos adeat, à Deſtûr & Hyrbad Verba audiat: pro tuâ illorum verborum quantitate, (quicquid tibi dixerit,) ne ei reddas,* AUDIVI [anteá.] *Si illa Verba tibi diſplicuerint, nihil boni tibi redundabit ex illis. Nam in Zendaveſtâ ſic dixerunt Religionis Magnates qui per hoc Unionem perforârunt,* [i. e. rem tetigerunt;] *Quicunque contra Sacerdotum Verba argumentaverit, ejus Lingua tabeſcet, ex hoc Mundo exeundo, erit Dolorem paſſus, & poſteà in Infernum præceps ruet.*

PORTA XCIX.

QUivis religioſus rudis quando ſit ſapientior, addiſcat Scripturam τῦ *Aveſtâvazend. Et cuivis Sacerdoti ac Sapienti hoc incumbit, ut in tali Scripturâ alterum erudiat. At quiſque moratus, qui non dabit operam huic Scripturæ addiſcendæ, certè erit Peccati alicujus magni reus: quia Zerátuſht in Religione effatus eſt; Apud eum non manebo in Æternitate ſupremâ, ſed quantitate latitudinis totius Terræ à Paradiſo eum ſeparabo. Hocque tu ſcito, ſive bonus, ſive malus ſis.*

PORTA C.

NON debet Sacerdos τὴν *Péhlavi cuilibet explicare quoad ſenſum ejus. Nam Zerátuſht (qui Religionis Viam benè perſpexit,) à Deo quæſivit; Docendo aliquem* τὴν *Péhlavi, quomodo erit, & cuinam laxabo Habenas? Reſponſum accepit, Quemlibet de Sobole tuâ doceas: at ſi Sapiens aliquis docuerit alium, ei Peccatum imputabitur maximum. Nam quamvis ei ſint bona Opera, tandem Anima ejus in Gehennâ erit. In Zenduvendîd hoc modo dictum eſt; Si quis in Re aliquâ*

aliquâ Injuriâ afficit alium, Peccatum ejus abundans perpetuabitur: cùm ex hoc Mundo exiverit, erit desolatus, nec Bonitatem ejus in censum adducent: à Mihr-Izad & Reshn-Izad Pœnitudo & Vexatio supervenient. Tu itaque teipsum ab hoc Peccato contineto, ut sis salvus Die Computi. Die noctéque Deo gratias agito, & ut alterius Mundi particeps sis quærito.

در ختم کتاب میگوید	*Autoris Conclusio Libri.*
شد این نظم صددر بدینجا تمام	*Heic finita est τȣ̃ SAD-DER Compositio;*
زما باد بر روح نیکان سلام	*A nobis super omnes bonas Animas sit Pax!*
کشیدم درین نظم بسیار رنج	*In hacce Compositione multam sustinui molestiam,*
نهادم درین نظم صد جای کنج	*Et in eâ centum locis posui Thesauros.*
بسی نکتهٔ خوب در صددرست	*Multa bona dicta sunt in SAD-DER,*
بداند هر آنکس که دین پرورست	*Hoc sciat quicunque Religionis fotor est:*
بسی زیر وبالاش بشتافتم	*Multoties infrà & suprà eum percurri,*
بسی مو بهر نکته بشکافتم	*Multos Pilos quovis Dicto fidi.*
بلندی و پستی او بود پر	*Suprema & infima ejus pars est perplena,*
تلی کرد مانند پشت شتر	*Cumulum facit sicut dorsum τȣ̃ SHUTUR,* [*i. e. CAMELI* gibbo tumentis:]
شتر کردمش بند تاریخ از آن	*Nam CAMELUM feci vinculum Epochæ ejus,*
که باشد بیابان به پیش جوان	*Ut sit coram juvene in Deserto.*
توان از شتر در بیابان شدن	*Potes CAMELO in Desertum abire,*
شتر تا بدین ره بیابان شدن	*CAMELO, inquam, est ut hac viâ in Desertum abeas.*
شتر توشهٔ راه را می کشد	*CAMELUS Viaticum tuum portabit,*
شتر شاز خرگاه را می کشد	*CAMELUS Apparatum Tentorii tui bajulabit,* [sc. hic Liber omnes necessitates tuas sustinebit:]
چنانچون که بهدین بدین درست	*Ita ut, cum Religiosus sit in Religione sincerus,*
تواند به بنگاه خود راه جست	*Poterit hoc Fundamine suo viam perquirere.*
بدین صددر ای مرد فرخنده نام	*Si secundum huncce SAD-DER (ô vir fausti nominis)*
عمل گر کنی دین بری والسلام	*Praxin institueris, Religionem reportabis. Atque nunc salvus sis.*

Mohar-

ده وچار بود از محرم که من	*Moharram XIV fuit quòd ego*
شمر کرد تاریخ آن در سخن	*Verbo SHUTUR* [numeris 900] *feci Epocham ejus.*
تمت تمام شد	*Explicit, finitus eſt.*
هر آنکس که این نظم را کرد یاد	*Quicunque hanc Compoſitionem memoriâ tenuerit,*
ورا باد بس آفرین دلگشاد	*Ei erit abundans Benedictio & Cordis-Apertio* [ſeu Solatium.]
چنین نظم بودست از مرد شه	*Hujuſmodi eſt hæc Compoſitio à Viro Regio,*
ملکشاه بودش پدر با فره	*Melicſhâh fuit Pater ejus cum Felicitate.*

HISTO-

HISTORIÆ

RELIGIONIS VETERUM PERSARUM

APPENDIX,

CONTINENS

Aliquot *Tractatiunculas* ſeu *Diſſertationes*, in quibus paulò uberiùs tractantur Pauca quædam, tantùm leviter tacta in ſuperiore Opere.

APPENDIX.

IN iſto *Appendice* continentur particularia quædam *Diſſertationum Capita*, ſuperiùs *nimis leviter* tacta, quæ (quia in propriis ſuis locis pro *Digreſſionibus* habenda eſſent,) anteà, prorſus omiſſo *Appendice*, in *Præfationem* inſerere ſtatueramus: poſteà autem (cùm multiplicarentur,) viſum eſt ſubjungere *Appendicem*, & dicta Capita in eundem rejicere.

I.

Pag. 36 memorantur *Calbii* & *Durzii*, &c. Hi à quibuſdam *Europæis* minùs rectè vocantur *Durcæi*, & à *Benjamino* in *Itinerario Hebraico* דוגזי *Dûgzii*, pro דורזי *Dûrzii*. Apud *Rawolfium* Itin. part. II. cap. 13, dicuntur *Truſci*. *Syriæ* Incolis audiunt دورزي *Dúrzi*, vel in Plurali Formâ دوروزي *Durûzi*. Iſti ſunt ex hodiernis Montis *Libani* & *Curdiſtaniæ* Incolis, qui peſſimæ ſuæ Religionis Originem altè petunt; aliqui à *Noach*, alii ab antediluviano *Patriarchâ Enoch*, & quoque à *Seth*. Miſeram iſtam Religionem contentam in Libro dicto صحف شيث *Sóhuph Sheit* (quam ergò *Sethicam* vocamus,) hodie colunt in *Libano* & *Curdiſtân* variæ *Curdorum* Gentes, uti dicti *Dúrzii*, & حميدي *Homéidii*, & كلبي *Kelbii*, ſeu *Calbii*, i. e. *Canicularii*, (nam *Kelb*, ſeu *Calb*, eſt *Canis*,) ab aliis ſic dicti quia *Nigrum Canem* colunt: quod idem in *Curdiſtân*, ſeu *Gordyæa* Montibus, faciunt illi *Curdi* qui vocantur يزيدي *Yezîdi*,

Yezîdi ſeu *Yezidæi*; qui etiam *Nigrum Canem* & quidvis *Nigrum* multùm æſtimant, propter Colorem (ut creditur) Diaboli, quem venerantur, & qui ab ipſis vocatur استاد *Uſtâd*, i. e. *Magiſter*. Et *Yezidæorum Sacerdos* (qui talis Magiſtri aptus Diſcipulus, pullatus incedens,) ab illis nominatur مريد اليزيدي *Murîd AlYezîdi*, i.e. *Diſcipulus Yezidæus*. At omnes hujus Gentis homines à *Mohammedanis* & *Chriſtianis* vocantur شيطاني *Sheitâni*, i.e. *Satanici*, *Diabolici*, quia profitentur *Satanam* eſſe ſuum پير *Pyr*, ſeu شيخ *Sheich*, i. e. *Doctorem ſuum:* nam (ut ajunt *Orientales,) quicunque non habet Doctorem, Diabolus erit Doctor ipſius.* Hi *negant Reſurrectionem*, & ſunt mediæ Opinionis inter *Mohammedanos* & *Paganos*. Putant Deum eſſe علي, non quidem *Ali*, ſed *Alî* ſeu *Excelſum*; cujus Exiſtentiam agnoſcunt, ſed eum non adorant.

Iſtiuſmodi Miſeris, à *Gordyæâ* ad urbem *Mauſil* Forum adeuntibus, illudere ſolent *Chriſtiani Mauſilenſes* & *Turcæ*, qui ſi fortè talem inter ſe inveniunt *Yezidæum*, ſolent circa eum in terrâ ducere Circulum, ex quo is ſuperſtitioſè exiſtimat ſe non poſſe exire, donec ab aliquo frangatur dictus Circulus; eúmque interim (cùm non poſſit exire,) vexant, acclamando *Náalat Sheitân*, i. e. *Maledictus ſit Diabolus:* ſic nempe vulgus falsò pronuntiat *Náalat* pro لعنة *Láanat*. Utcunque tamen, nullus *Chriſtianus*, aut *Turca*, inter *Yezidæos* caſu verſatus, audet (quod prope accedit ad *Naalat*) vocare Ferrum equinum نعل *Náal*, nec vocem *Náal*, quavis Occaſione, pronuntiare, ne fortè intelligatur *maledixiſſe Diabolo*, propter quod illum ſtatim trucidarent: ideóque Ferrum equinum potiùs vocari ſolet ارضي *Ardî*, quia *terræ* proximum.

Iſti *Durûzi* erant olim in Monte *Libano* ante tempora *Herodoti*, à quo dicuntur Δηρβσιαῖοι, ex quibus Milites conſcribebant veterum *Perſarum* Reges. Et ſupradicti *Calbii* ii ſunt qui apud D. *Sponium* Artic. I, in Inſcriptione Antiquâ vocantur *Calbienſes Coh. III*, ſcil. *Cohortis Tertiæ Milites*, quos *Romani* olim conduxerant ex *Calbiis*, Montis *Libani* Incolis, qui erant Gens bello fortiſſima, ex illis *Curdis* qui *Ægypti* aliquando fuerunt Domini, de quâ re videatur *Abu Mohammed Muſtapha*. Dictam Inſcriptionem habet Lapis dedicatus *Soli*, qui, ex inſcriptis Characteribus, videtur *Palmyrâ Romam* advectus. Pro Fortitudinis eorum Exemplo ſint civilia quædam Prælia, ſeu Dimicationes, quæ ante medium ſuperioris Seculi, per aliquot

aliquot annos in *Syriâ* durârunt inter iſtos *Montanos* Principes & Planitierum Incolas, in quibus quidem bellis compertum fuit quòd *Montani* ſemper prævalebant; utpote qui, in *Sicciore Aëre* nati, *majore vigore* præditi fuêre, ut ubique gentium fit. Unde erat quòd *Othmân, Turcarum* olim Imperator, in *Janizariorum* ſuorum Fortitudine aliquem defectum ſentiens, in animo habuit, his ſepoſitis, Exercitum ſibi conſcribere ex *Curdis, Vezîri* ſui conſilio: id autem ſubolentes *Janizarii*, Imperatorem ſuum trucidârunt. Ex his olim erant حساسين *Haſſâſîn*, ſeu *Aſſaſini*, de quibus conſulantur Scriptores *Belli Sacri*. Nomen *Haſſâſîn* ſignificat *Trucidatores*, ſeu *Occiſores* & *Sicarios*, qui quidvis aggredi audebant.

Iſtæ omnes *Libani* & *Gordyææ* Gentes habent annuatim *Bacchanalium* ſuorum Feſtum nocturnum in *Calendis Januarii*, de quo Ritu me certiorem fecit amicus noſter, cui nomen *Andréas Phárah*, Natione *Syrus Ladikienſis*, cujus ſocius aliquis ei narravit ſe aliquando dictis *Bacchanalibus* Clam interfuiſſe, (quod lepidum,) quando poſt veſpertinam Commeſſationem & Compotationem Virorum & Fœminarum, Luminibus omnibus extinctis, in *illicitam Venerem* promiſcuè ruebant omnes. Dictus Socius, anteà conſpectâ *Virgine* quæ juxta *Vetulam* conſidebat, Animum in eam intendebat. Quando itaque extinguerentur Lucernæ, ille in Tenebris neſcius in utram harum inciderat, palpitando, malo fato, incidit in *Vetulam:* & ut certior fieret, digito explorabat illius Os an eſſet edentula? Quo facto, *Vetula* illa ſtatim exclamabat غريب *Garîb*, *Garîb*, i.e. *Peregrinus, Peregrinus!* Ille autem mox evaſit pro Vitâ ſuâ. Hæc itaque eorum *ſolennia Sacra*, ſunt *prophana Tenebrarum Opera.*

Iſti Populi in intimo Domûs, ſive Penu, tanquam in *Larario*, habent quiſque ſuum *Penatem Larémve* (quem colunt,) qui videtur *Patriarchæ Seth* Imago ſeu Statua; quia is fuit primus eorum in Religione Antiſtes, cujus nomine poſſident ſuprà memoratum Librum; quem, unà cum dicto *Lare*, adeò Clam habent inter ſolos ſuos, ut quicunque eorum alicui Peregrino monſtraverit, mox à ſuis trucidetur. Ægrè enim cum Vitâ ſuâ evaſit aliquis eorum qui *Europæo Gallo* revelâſſe ſuſpectus, niſi quòd uterque ſe ſolenni Juramento purgaverit.

Sequens de *Yezidæis* & *Durziis* Extractum humaniſſimè pro me fecit ſupradictus Amicus, idque ex Libello Gallico *par le Sieur Michel Febvre, Pariſiis* 1675, 8°; qui per XII Annos in *Oriente* fuit Linguis addictus. Sic ergò incipit p. 318; Iſti *Jezidæi* nec ſunt *Mohammedani*, nec *Chriſtiani*, ſed *his* addicti potiùs quàm *alteris*; hos enim vocant

cant ſuos *Compatres:* in *Turcas* autem adeò averſi, ut ſi irati aliquod Animal vituperant, id vocent *Muſlemanum.* Bibunt Vinum & edunt Porcinam, ſed non niſi per Vim circumciſi. Nullâ Vi adacti maledicent *Diabolo*; adeò ut aliqui ex eis Excoriationem paſſi ſunt potiùs quàm tale quid facerent. Nam (inquiunt) non poſſumus, ſalvâ Conſcientiâ, *maledicere* alicui Creaturæ quæ eſt Dei Creatoris, quia nullum eſt hujuſmodi Præceptum in Scripturis ullis: nec quidem (ſicut *Turcæ* & *Chriſtiani)* tenemur *convitiari* Diabolo, quamvis valde *inobedienti* & contra Deum *rebelli*; ne pluſquàm tenemur maledicere cuivis Aulæ Miniſtro qui è ſui Principis favore excidit: imò, è contrà, tenemur ei bene precari, quia aliquando fortè apud Principem ſuum in favorem redeat, &c. Nolunt quidem libenter *nominare* Diabolum; qui ergò potius per Periphraſin vocatur *Pavo-Angelus*; vel *Is quem nôſtis*; vel *Nôſtis quis ſit*; vel *Ille cui Stulti & Ignorantes maledicunt.* Aliquo Die, cum eſſem cupidus viſendi Rudera Monaſterii *Simeonis Stylitæ*, *Jezidæorum* (qui me illuc deduxerunt) aliquis mihi monſtravit Fiſſuram in Rupe, infra quam erant Rudera Civitatis Magnitudine æquantis Urbem *Blois:* hæc dum contemplaremur, quæſivit an ſcirem Cauſam Fiſſuræ dictæ Rupis? Cumque me ignorare agnoſcerem, regeſſit quòd Infideles illuc perſequebantur *Jezidæum* aliquem; quo (potiùs quàm malediceret *Pavoni-Angelo,*) illuc fugiente, totus Mons ſe aperiens illum excepit & protexit: quo facto, attoniti Inimici ejus, condonari petentes, ad ejus Religionem converſi ſunt. Mons autem, mox rurſus coaleſcens, in hujus Miraculi Memoriam, parvam tantùm Fiſſuram reliquit. Cumque eſſem in eorum Poteſtate, non auſus ſum ridere. Et variis Modis tentando, non potui eos adducere ut *Pavonis-Angeli* aliud Nomen darent; quod noluerunt facere niſi per Circumlocutionem. *Jezidæorum* Habitus eſt tantùm duorum Colorum, ſc. vel *Albus*, vel *Niger*; qui ergò, diſtinctionis Cauſâ, vel *Albi Jezidæi*, vel *Nigri Jezidæi*, vocari ſolent. Horum *Nigri*, qui *Sacerdotes*, ſunt uxorati vel unâ, vel duabus Uxoribus: & volunt ut *Albi* eos vocent Titulo *Pauperum*, quamvis non ſint Pauperes. *Albi* non poſſunt ex Habitu diſtingui à *Turcis*, niſi ex Induſiis, quæ non habent à Collari longam Fiſſuram, ſed tantùm rotundum Foramen per quod tranſmittatur Caput: quod non caret ſuo myſterio, cùm ſit in memoriam *Circuli aurei*, ſeu *luminoſi*, qui poſt XL dierum Jejunium cecidit in Collum magni eorum Sancti *Sheich Adi.* Omnes (tam *Albi* quàm *Nigri)* ſunt ejuſdem Religionis, Vota nuncupantes & ſacras Peregrinationes ſuſcipientes, prout faciunt *Turcæ*

&

& *Chriſtiani*. Non habent Templum ubi Deum adorent, nec unquam (niſi curioſitatis gratiâ) in *Turcarum Moſqueas* ingrediuntur; quod proculdubiò lubentiùs, & meliori cum effectu, facturi eſſent in *Chriſtianorum Eccleſias*, ſi non metuerent ne, eo nomine, malè tractentur à *Turcis*. Peccatum ducunt minimum quidvis à Barbis ſuis abſcindere: unde eas perpetuò creſcere relinquunt, præſertim *Myſtaces*, quas ad tantam promittunt longitudinem, ut in ora porrigantur: & quoſvis odio habent ut Hæreticos qui, propter Decentiam, aut Convenientiam, aliter faciunt. Per totum annum non habent nec *Feſta*, nec *Jejunia*, nec quodvis *ſolenne Tempus* Divino Cultui aſſignatum; ſed tota eorum Religio conſiſtit in *non nominando Diabolum*, nec ei *maledicendo*, atque in *diſtincto* quodam *Habitu*, & in *canendo* quædam *Cantica* in honorem *Jeſu Chriſti*, & *Virginis Mariæ*, & *Moſis*, & *Zachariæ*, (& aliquando *Mohammedis*,) quæ, ex quâdam vanitate, à ſe invicem addiſcunt, vocem modulando ad *Tamburam*, quâ in Amicorum Viſitationibus & Epulis ludunt. Non habent *Libros* aut *Literaturam*; adeò ut in tam profundâ Ignorantiâ viventes, facilè ad quidvis credendum inducantur. Ex cœcâ Traditione aliquantulùm credunt in *Biblia* & in *Evangelium*, & eorum aliqui in *Alcoranum*; aſſerentes hos tres Libros à Cœlo veniſſe. Inter orandum, convertunt faciem ad *Orientem*, non ad *Auſtrum* ut *Turcæ*. Quamprimùm ſummo mane orientis Solis Radii in eorum Tentoria projiciantur, omnes conſurgunt &, conjunctis manibus, Deum colunt: & hinc eſt quòd aliqui crediderint eos eſſe Idololatras, colentes Solem ut primum Principium & Creatorem; quod de illis non eſt verum. Referunt & credunt varia *Chriſti* miracula, nunquam in *Evangelio* memorata, nec unquam *Chriſtianis* nota; viz. quòd *Chriſtus*, primo Nativitatis Die, aſſâ voce loquebatur, & quòd à mortuis ſuſcitabat aliquem qui obierat ante mille annos; idque, ad liberandum à Calumniâ & iniquâ Cenſurâ Matrem ſuam Sanctiſſimam, & ad probandum eam concepiſſe illum abſque Contactu Hominis, & per ſolam Inſpirationem Dei. Illis licitum eſt repudiare Uxores, eum in finem, ut fiant Superiores *Nigrorum Jezidæorum*, vel ut fiant *Eremitæ*; ſed propter nullam aliam cauſam. Uxores emunt, idque pro CC Coronis, quod eſt ſtatum pro omnibus Conditionibus & Qualitatibus Pretium, ſive ſint Divites, ſeu Pauperes; Formoſæ, ſeu Deformes: & Uxoris Pater accipit Pecunias. Hoc autem eſt, quia Uxores ſolent deſpectui haberi, & tractari ut Vernæ. Sæpe in Uxores ducunt Avunculi aut Materteræ Filias; & hoc modo mutuam duarum Sororum Elocationem inſtituunt

ſtituunt ſine ullo pretio ex utrâque parte, quod inter orientales *Chriſtianos* illicitum. Si aliqua Nupta in Adulterio capta eſt, vel Pater, vel Frater, eam trucidat, & *Mœchus* luit pretium trium Uxorum, ſc. DC Coronarum; vel aliàs eum trucidant, ſi non vult, vel, ex Paupertate, non poteſt dictum Pretium ſolvere. Vel ſi Conſanguinei eum non trucidant, *Turcarum* Magiſtratus Mulctam imponit: at ſi ambo trucidantur, nihil ampliùs poteſt fieri. Omnes viri ingredientes domum ubi aliqua Fœmina trucidata fuit, per modum approbationis, Gladium vel Cultrum ſuum in Cadaver adigere ſolent. Vinum bibere affectant ad exceſſum: & ex naturali illâ Inclinatione evadunt ebrii, non obſtante *Turcarum* Prohibitione. Sæpenumero Vinum dignantur venerabili nomine *Sanguinis Jeſu Chriſti:* & quando, inter convivandum, aliquis alteri offert Poculum Vini, id facit his verbis, *Accipe Calicem Sanguinis Jeſu Chriſti.* Ille cui propinatur, quamvis gradu ſuperior, oſculatur Manum propinantis; & omnes qui ibi adſunt ſurgentes, decuſſatis ſuper pectora manibus, humiliter ſe flectunt donec biberit: & deinde poſteà quiſque locum ſuum capeſſit. Hæ Cæremoniæ, quas ſæpiùs vidi, cum aliis quibuſdam Conſuetudinibus *Chriſtianorum*, inducunt me credere eas fuiſſe derivatas ab *Arrianis*, aliiſve Hæreticis, & proceſſu Temporis in hanc Formam mutatas; vel aliàs, habuerint eas ex illâ unione quam cùm aliis Hæreticis contraxerint, in ſuî defenſionem, contra *Turcas* Inimicos ſuos. Poculum ori admovent ambabus manibus: & aliter feciſſe, indecorum eſſe judicatur. In *Nigrorum* Salutationibus, alter alterius manicam oſculatur: eæ autem *Alborum* ſunt ad morem Regionis. Si ſibi obviam fiunt *Albus* & *Niger*, iſte ſolus accipit oſculum ſuper Habitum ſuum. Omnia Nigri Habitûs Fruſtula, ſeu Panniculos, tanquam tot ſacras Reliquias conſervant: &, ſi tale quid in terram ceciderit, accipientes illud oſculantur, ſuper Capita ſua ponentes, & deinde tutò reponentes; donec tandem, Proceſſu Temporis, coacervaverint vaſtas Quantitates talium nigrorum Panniculorum, quibus Culcitras & Pulvinos implent, loco lanæ: & hinc naſcuntur multi Pediculi & Reptilia alia. Solenne eorum Juramentum eſt, *Per Virtutem Habitûs nigri*; &, *Per caput eorum qui habent honorem eundem induendi.* Et quamvis talis Habitus niger formâ non differat ab aliis, ejus tamen Partes vocantur Nominibus dignioribus; uti pro *Tulbend*, dicitur *Mitra*; pro *Veſtimento*, dicitur *Humerale*, &c. Afferunt iſtam Venerationem quam nigro Habitui tribuunt, eſſe, quia refert eum τῦ *Jezîd*, ſeu *Jeſu Chriſti*, quem plerique eorum credunt eandem Perſonam differentibus Nominibus vocatam. Si quis

cupit

cupit fieri *Jezidæus* niger, aliquot Diebus in anteceſſum tenetur famulari Superiori: quo facto, exuit veſtes ſuas omnes, excepto Panniculo ad tegendum Pudenda: & hoc Modo ſe habentem, alii duo Aures ejus apprehendendo deducunt ad Superiorem, qui *nigram Tunicam* ei offert his Verbis; *Ingredere in Ignem, & ſcito te in futurum eſſe Diſcipulum Jezîdi: & in illo Statu, propter Amorem Dei, à reliquo humano genere perpeſſurus es multas Injurias, Dedecora, & Perſecutiones: iſte enim Habitus te exoſum reddet omnibus Nationibus, Divinæ autem Majeſtati gratiſſimum.* Deinde dictam Tunicam induit, dum omnes qui adſunt pro eo orant. His factis, dictus Superior eum ambabus ulnis amplectitur, & ejus Manicam oſculatur, quod idem faciunt omnes *Nigri* qui adſunt, quibus etiam ille reddit ſimilia; non autem *Albis*, qui ſunt tantùm Seculares. Et ab illo tempore incipiunt eum compellare *Cutchac*, ſeu *Clericum*, ſive *Diſcipulum*. Et tunc tandem ille parat Convivium pro omnibus tam Amicis quàm Peregrinis. *Nigris* permittitur de quovis Animali edere: ſed eis non eſt licitum illud mactare, quippe quod ab aliis, qui non gerunt Habitum, faciendum eſt. Plerique adeò ſcrupuloſi ſunt, ut inter ambulandum maximè caveant à calcando ſub pedibus quamvis *Formicam* aliudve *Inſectum*; nec *Pediculos* ſuos necant, ſed potiùs abjiciunt; unde pediculoſi evadunt. Quando taxantur de nimiâ Miſeratione erga Animalia, præſertim ea quæ parantur pro Uſu & Nutrimento hominum, regerunt; *An tu libenter ab humano genere eodem modo tractaberis ſi eſſes in loco eorum? Quis enim novit an non eorum Anima aliquando animaverit* [ſeu *informaverit*] *aliquam Creaturam humanam? & prætereà poterit eſſe ut in Die Judicii à Deo implorent vindictam pro ſuo Sanguine quem tu gratis effudiſti pro tuâ Voluptate.* Si in Conſortio aliquis habet cum alio Rixam, ille qui fecerit Injuriam alteri tenetur veniam petere ſequente Forma; viz. Surgit, & ambabus Manibus vultum tegit, &, decuſſatis Cruribus, ſe humiliter inflectit coram Supremo eorum qui tunc adſunt, confitendo Culpam ſuam: quo facto, dictus Supremus Admonitionem ei impertit, ſuper eum precando, & mittit eum ad Adverſarium amplectendum, & ad oſculandum Manus omnium *Nigrorum Jezidæorum* qui tunc adſunt. Si adhuc plus Rixæ ſuperſit, adit Domum Superioris, qui eaſdem Cæremonias rurſus præſtat: & prætereà jubet reum, per modum Sacrificii, dare *Ovem* & *Dolium Vini*. Adeò ut, omnia iſta *Pœnitentialia* cum Humilitate & Solennitate præſtita, plerumque deſinant in profundâ *Ebrietate*. Eorum Habitationes ſunt *nigra Tentoria* ex Pilis Caprinis, circumſepta Arundi-

nibus aut Spinis. Horum Tentoriorum Forma eſt vel *oblonga*, vel *quadrata*, differenter ab eis *Turcomanorum*, quæ ſunt *rotunda*. Unà cum Gregibus migrant à Planitiebus ad Montes ſecundùm Anni tempeſtates, *Æſtatis* aut *Hyemis*. Caſtrametantur Formâ circulari, in medio relinquendo locum pro Gregibus, ut ſint à Furibus & Feris ſecuræ. Suos mortuos, ſicut Canes, ſine Cæremoniis ſepeliunt; niſi quòd ditiores fortè ſepeliantur in aliquo Peregrinationum ſuarum loco, eis accinentibus ad *Tambûram* aliquot *Cantica* in laudem *Jeſu Chriſti* & *Mariæ Virginis*, aut *Jezîdi*, aut *Moſis*, meliore More quàm *Turcæ*, qui inconditâ Voce ululant ſicut Beſtiæ. Non eſt licitum lamentari mortem *Jezidæi Nigri*, utpote qui certò ad Paradiſum iverit: omnes enim Lacrymæ & Luctus culpantur; adeò ut cogantur mentiri Gaudium, & convivari & canere & ſaltare, dum intus lugeant. Hujus Populi Numerus, in *Turcarum* & *Perſarum* Dominiis, eſt ſaltem 200000, qui omnes utuntur eiſdem Ritibus, & in ſtrictâ Amicitiâ inter ſe invicem vivunt. Pro Armis utuntur Arcubus & Gladiis curvis & Fundis, quæ omnia (præſertim Fundam) tractant dexteritate planè incredibili. *Capucinorum Miſſionarii*, iſtorum Converſationem frequentando, & per montes cum illis commigrando, didicerunt eorum Linguam, & in *Catechiſmo* inſtruxerunt, atque baptizârunt duos eorum Superiores *Petrum* & *Paulum*, cum XIII aliis: & ulteriorem feciſſent Progreſſum, ſi mali homines non impediviſſent tam bona Opera. Iſtis *Capucinis* *Jezidæi* promittebant ſe, pro natâ Occaſione, poſſe in Campum Martium adducere 30,000 milites pro Rege *Galliæ*, quem vocabant *Regem Cordium ſuorum*; pro quo etiam Preces publicas ad Deum fundebant, & Saltationes, cum *Hiſpanicâ* Gravitate, ſat elegantes habuerunt, unà cum *Cadentiâ* Inſtrumentorum muſicorum, ſc. *les Fluits*, *les Guittars*, & *les Timbrels* ſeu *Tabers*, ſcil. *Biſcay Drums*.

Druzæi nullos habent Sacerdotes. Sunt Gens bellicoſa, formidabiles *Turcis*, quos odio habent: amant autem Sympatriotas ſuos *Maronitas*. Proni ſunt ad *Chriſtianitatem* amplectendum. Inceſtum committunt Patres cum Filiabus, &c. *Jezidæos* odio habent eoſque occidere affectant, quamvis eâdem Linguâ utantur cum *Jezidæis*, & ambo vocentur *Curdi*. Præcipua Differentia eſt in Religione & Habitu: nam *Curdi* incedunt veſtiti ut Ruſtici *Turcarum*. Sic ille. Cum his conferantur ea quæ ſuprà p. 517 de *Durziorum* Religione & Ritibus retuli ex ore alicujus *Syro-Arabis Ladikienſis*, quæ differunt ab his quæ habet D. *Chinon*; qui dicit eos ſe vocare *Francorum* Fratres, qui in

Palæſtinam

Palæſtinam venerunt ſub Præſidio *Domini de Dreux*, Tempore *Godofredi Bullionenſis*. Reverendiſſimus & Doctiſſimus *D. Dr Marſh* Archiepiſcopus Dublinenſis poſſidet de *Durziorum* Origine Librum *Arabicum* MS quem nondum vidi; qui fortè idem ſit cum eo quem mox memoraturus ſum. Nam *Pere Eugene Roger* edidit *Itinerarium Gallicum* cum Figuris, 1646, 4to, ubi p. 294 narrat Hiſtoriam ultimi Principis *Durziorum*, *Emîr Fachreddîn Ibn Maan*, *Turcis* dicti *Manogly*, qui huic Autori in *Syriâ* monſtravit *Arabicum* Librum Genealogiæ ſuæ deductæ à dicto *Godofrido Bullionenſis*. In iſto Libro relatum eſt, aliquem ex iſtius Principis Majoribus ortum, & è *Terrâ Sanctâ* expulſum, ſe recepiſſe in *Arabiam*, ubi *Saracenos* deprædando victum quæſivit; donec tandem cum ſuis Sedem capeſſeret in *Galilæâ ſuperiori*, juxta *Jordanem* haud procul à monte *Libano*, in Territorio ab *Arabibus* dicto بلد دروزي *Balad Durûzi*, i. e. *Regio Duruziorum*. Et à *Turcarum Sultanis* permiſſum eſt eis quietè vivere, modò (ut *Arabes*) Tributum ſolverent. Cùm autem iſti (ut ſuprà notavimus) apud *Herodotum* memorentur, eorum Origo altiùs petenda eſt, & remotiori Antiquitati referenda.

Chamſi, ſeu *Solares*, ſunt omnium Sectarum numero pauciſſimi: circa *Meſopotamiam* fortè ſint 10,000. Non habent Sacerdotes, ſed in Specubus ſuam Religionem adeò clam exercent, ut nemo unquam eorum Cultum videre potuit; nec eorum converſi unquam eundem revelârunt, propter metum ſuorum. *Turcæ* eos coëgerunt ad amplectendum aliquam Sectam eorum qui ſub *Turcarum* Imperio degunt: ideóque adjunxerunt ſe *Jacobitis Syriæ*, eâdem cum eis Formâ baptizantes Liberos & ſepeliendo Mortuos: ſed clam ſuos exercent Ritus, quod *Turcæ* non permiſerant ſi *Turciſmum* amplexi fuerant. Credunt Cœlum & Gehennam & Diem Judicii, & *Chriſtum* pro nobis crucifixum fuiſſe: ſed nulla Sabbata & nullas Eccleſias habent. Uſuram abominantur, & eo nomine odio habent *Judæos*: & ſi emunt Equum, aut alia Bona, à *Judæo*, aut *Mohammedano*, cogunt eum jurare ea non lucrata fuiſſe per uſuram: & præterea omnia lavant. In unanimitate vivunt, & valdè humani & hoſpitabiles ſunt, atque bellicoſi, *Sclopetas* tractantes optimè, quod ſedendo faciunt.

II.

Pag. 28 & 42. Quoad *Bactriam*, ſeu *Bactrianam*, Legatus ad Magnum *Chân*, *Johannes de Plano Carpini*, videtur eam indigitare corrupto nomine *Barthra*. Tota illa Regio in orientalibus Libris vocatur خراسان *Choraſân*, cujus Urbs *extima* eſt بلخ *Balch*, *citima* verò بخارا *Bochâra*, ſeu, ut pronuntiari poſſit, *Bachâra:* & hinc fit corruptè *Bactria*. Sed quamvis *Græci* ſumpſerint nomen à *citeriore* Parte, tamen in ulteriore collocant præcipuam ejus Urbem τὰ Βάκτρα, quæ *Balch*. Ut autem hæc duo extrema ἀσύμβολα conjungi & conciliari poſſint, ſciendum eſt, quòd per Orientem urbs *Balch* ſola vulgò vocari ſoleat *Balch-Bochâra*, quod interpretor *Balch-Bactriæ*; adeò ut in iſto uno nomine utræque τῆς *Choraſân* Extremitates componi videantur. *Arabs* quidam (ſcil. *Abulpheda* in Hiſtoriâ ſuâ) dicit بلخ *Balch Arabizatum* eſſe pro بلاح *Bálah:* ſed planè fallitur, quia tum non legeretur *Balch*, ſed *Bálach*. At ut pateat quàm parum Autoribus *Arabicis* fidendum ſit in Rebus *Perſicis*, *Camûſi* Autor *Arabs* in voce ابلخ, pro بلخ *Balch* malè legit بلاهج, *Biláhgj*, quod Nomen omnibus aliis Autoribus inauditum, & fortaſſis ab imperitis Librariis in hanc formam corruptum eſt. His addam, quòd in corruptis Verſionibus *Latinis*, pro *Balch* legitur *Baldach*; & Adjectivè *Abalachi* pro *Al-Balchi*, i. e. *Balchenſis*. In Libris etiam vocatur بلخ بامي *Balch-Bâmi*, *Balch-Baminenſis*.

Sed *Strabonis* ἡ Βακτρία, & *Ptolemæi* τὰ Βάκτρα, *Stephano* atque *Straboni* alio etiam nomine vocantur τὰ Ζαρίασπα, (in *Ptolemæi* Impreſſo Χάρισπα, in MS *Seldeniano* Ζάρισπα,) & incolæ nuncupantur Ζαριάσπαι & Ζαριασπήνοι, & ejuſdem Regionis Flumen ὁ Ζαρίασπις. Hæc autem *Græca* Nomina corrupta ſunt, deſumpta olim ex aliquo malè ſcripto & malè lecto codice *Arabico* aut *Perſico*, quo quidem modo, *Græci* nomina inde mutuantes, in multos errores inciderunt, ut conſtat Exemplis plurimis. Nam *Perſici* Libri fidem faciunt, quòd Urbis *Balch* Conditor fuit *Guſhtaſpis* Pater لهراسب *Lohràſp*, ſeu, ut legi poſſit, *Labraſp*, qui ibi extruxit auguſtiſſimum Pyreum *Adur-Guſhtaſp*, in quo omnes ſuas Divitias recondidit, & illuc ſolennem Peregrinationem omnibus injunxit. Iſta itaque Urbs (à Conditore ſumpto nomine,)

nomine,) vocari debuit Λαριάσπα, ſeu Λαρέασπα, quæ à *Græcis Librariis* mutata ſunt, pro لهراسپ Λαρέασπα perperam legendo زهراسپ Ζαρίασπα. Et ſanè mirum dictu quot Locorum & Rerum Medicinalium Nomina corrupta nobis exhibuerunt *Græci*, ea olim in malè exaratis Libris *Arabicis* perperam legendo, & eadem inde hauriendo! Quod monendum duxi, cùm cuilibet hoc ſcire non liceat. Ab illo itaque Conditore dicta fuit *Urbs τῦ Lohràſp:* poſteà verò *Balch*, quia ibi copioſa *Ilex*, q. d. *Urbs Ilicum.*

Quin & *Balch*, ſeu *Bactria* (ut omnia ejus nomina perſequar,) à *Perſis* etiam vocatur *Urbs Abrahami*, quaſi crediderint eum aliquando ibi fuiſſe, vel habitâſſe. Sic legit *Ruſtémi* Epitomator, بلخ شهر ابراهيم پيغامبر عم *Balch, quæ eſt Urbs Abrahami Prophetæ, ſuper quo ſit Pax.* Fortaſſis verò ſic vocetur, quia hæc urbs valdè ſacra olim habita fuit, propter ſolennem Peregrinationem illuc ſuſcipi ſolitam in *Perſarum* Religione, quæ *Religio Abrahami* vocari ſolet. Aliàs, talis hujus urbis denominatio malè fundata videtur, cùm ex Sacrâ Hiſtoriâ colligi nequeat quòd *Abraham* unquam excurſionem fecerit in *Bactriam.* Prætereà obſtat quòd urbis *Balch* Conditor *Lohraſp* vixit fere MM Annis poſt tempora *Abrahami.* Ideóque ſi aliquid huic Hiſtoriæ inſit, id intelligendum eſt de antiquiore ibidem Urbe *Bâmyyân*, in cujus locum (vel ad parvam diſtantiam) ſucceſſit *Balch.*

Tempore *Abrahami*, *Bactriæ* (vel potiùs τῆς *Bamiyân*) Rex, ſecundum *Diodorum Siculum*, fuit *Oxyartes*, cum quo bellum geſſit *Ninus.* Falluntur autem qui hoc tribuunt *Zoroaſtri*, qui illis temporibus non vixit; quem etiam (quia *Magiæ* Reformator fuit,) perperam ponunt *Magiæ* Inventorem, cùm *Magi* multis ſeculis eum præceſſerant. Si *Bactriæ* Rex fuiſſet *Magiæ Naturalis* Inventor, *Perſarum Magi* (qui Magnatum ſuorum memoriam recolunt,) certè noluiſſent ejus oblivíſci: ſed talis quis, apud eos, inter ſuos veteres non memoratur, nec agnoſcitur. Verum quidem eſt, quòd *Zoroaſtres* (non *Oxyartes*) fuit ſuo tempore *Magiæ* & *Magicæ Religionis* Reformator, quem itaque affatim laudant & commemorant, nullum ejuſdem nominis alium agnoſcentes, præter unicum illum, *Darii Hyſtaſpis* Tempore celebrem.

III.

Pag. 94. Inter Doctos agitari ſolet Quæſtio, quæ fortaſſis à nobis jam terminari nequeat, ſc. *Quamdiu Magnetis uſus in Navigatione obtinuerit?* Magnetis quidem nomen, & ferrum trahendi vis ab omni ævo innotuit. Iſte Lapis in *Gemara Talmudica* vocatur אבן שאבת *Lapis attrahens*, & in Judæorum antiquiſſimis Precibus מגנים *Magnes*, & קלמיטה *Calamita*, quod *Italicum*. *Perſicè* سنگ آهن کش یا آهن ربا *Lapis Ferrum trahens*, ſeu *Ferrum rapiens*. Inſtrumentum verò Itinera dirigens vocatur *Compaſſus*, Italicè *Buſſolo*, i. e. *Pyxis*. Sinicè ea XXIV Ventorum vocatur *Kiè-pon*, i. e. *lineata Pyxis*, Arabico-Perſicè audit نما قبلة *Kibla-nâma*, i. e. *Kiblæ Libellus*, ſeu *Charta*, vulgò perperam نما خبرة *Chabra-nâma:* aliàs rectiùs نما قبلة *Kibla-nomâ*, i. e. *Kiblam oſtendens*, ſive velis individuum *Kiblæ* Punctum, ſive quemvis locum anteriorem ad quem tendis, ſc. directum Iter quaquaverſus dirigens. Sed cùm *Kibla* ſit *Meridies*, Iter tam ad eam, quàm ad aliam quamvis plagam, per conſequentiam deducendum eſt, ſc. per additionem & ſubſtractionem. De ejus uſu per *Terram* apud *Ramuſium* in *Collectione Itinerum* legitur; *In pleriſque Arabiæ locis Itinera fecimus ope Compaſſi: & XL Diebus ac Noctibus occupati fuimus iter faciendo inter Damaſcum & Mecham.* Et *Rawolfius* in ſuo *Itinerario Syriæ* p. 163 dicit; *Viarum Duces per arenoſa Deſerta vias ſuas dirigunt per Compaſſum, eodem modo quo Pilotæ faciunt per Mare.* Adeò ut, ne quidem per Terram itinerantibus ſemper liceret vaſtiſſima *Deſertorum* Latifundia recto tramite peragrare abſque *Acûs Magneticæ* Directione. Nam in *Oriente*, per invia Solitudinum Æquora nulli ſunt viarum Cippi, ſed omnes ſemitas (ſi quæ fuerant) quovis momento operiunt *mobiles Arenæ*, in quibus *firma Terra* fruſtrà oculis perquiritur, & totum circuitum ambit nil niſi viſum perſtringens ὑδροφανεία (*Serâb* dicta) quæ ſiticuloſos Viatores ſæpe, Aquarum Spe, deludit & è viâ ſeducit.

De *Pyxidis Uſu* conſulatur *Gilbertus*, atque *Cabæus* qui ſtatuit eam non fuiſſe notam ante D annos. Et *Bochartus* ejus Antiquitatem negat, rectè oſtendendo *Plauti Verſoriam* eſſe *Funem Nauticum*. Sed *Martinius* in *Atlante*, de *Chinâ* agens, ait; *Ibi, ante Europæorum Inventionem, Artis Nauticæ & Magnetis Uſus antiquiſſimus.* Acu Magneticâ

neticâ etiam inſtruitur *Chinenſium Pyxis ſortilega*, ubi Sortitio, ſeu Electio facienda ejuſmodi Acu indicatur. Et cùm *Salomon* ſingulis Trienniis inſtituerit Navigationem ad *Ophir*, & (ut creditur) ad *Peru*, & *Hanno*, à ſuis juſſus, navigaverit extra *Fretum* ad varia loca, & *Pharao Neco*, *Pœnorum* Ope, procuraverit Navigationem per totius *Africæ* Continentem uſque ad *Indiam*, ut notat *Herodotus*; videtur impoſſibile hæc omnia præſtitiſſe abſque Magnetis Uſu. In *Libyâ* apud *Ammonios*, in *Jovis Templo* (propter Fabulam *Arietis* qui aliquos adventantes deducebat ad Fontes, cujus rei non meminit *Crutius*) erat Statua cum *Arietino* Capite: unde *Alexander*, in Nummis, ut *Jovis Ammoniaci* Filius, *Arietinis* Cornubus pingitur. Sed, inquit *Curtius*, *Id quod pro Deo colitur, non eandem Effigiem habebat quam vulgò Diis Artifices accommodârunt. Umbilico maximè ſimilis eſt habitus, Smaragdo & Gemmis coagmentatus. Hunc, cùm Reſponſum petitur, Navigio aurato geſtant Sacerdotes, cum multis Argenteis Pateris ab utroque Navigii latere pendentibus. Sequuntur Matronæ Virginéſque, patrio More, inconditum quoddam Carmen canentes, quo propitiari Jovem credunt, ut certum edat Oraculum.* Illa nempe *Jovis* Effigies videtur ſemiglobulare quiddam, (uti eſt *Compaſſus* marinus) Formâ Umbilici librarii, ſeu Umbonis, tanquam ἔνθεον quoddam adoratum propter ejuſdem divinum Auxilium, utpote in quo *Index Magneticus* erat ſicut intus exiſtens quidam Deus, Navigiorum curſum in medio Æquore dirigens. Unde iſte *Jupiter*, in ſolenni Proceſſione, Cymbâ ſeu Navigio ab LXXX Sacerdotibus comportatus, circumferri ſolebat. Conſule *Pitiſci Curtium*, ubi *Schottus* ait; *Nihil aliud erat quàm Charta Marina Pyxidi Nauticæ ritè juncta.* His poſitis, *Pyxidis* Antiquitas ponitur. Sed ad *Delphini* Editionem Annotator his omnibus contradicit, pro *Umbilico* legens *Umbriculo*, ut ſit ſpecies *Ovis*, & tantùm ſub unâ formâ *Jovem* cultum fuiſſe ſtatuens. Videant alii: nobis enim non eſt tempus aut locus Controverſiam terminandi.

IV.

Pag. 118. *Medica*, ſeu *Pabulum Medicum*, (ſc. *Trifolium Cochleatum*,) ſic dictum eſt, quia primò ex *Mediâ* in *Europam* tranſplantatum, vel potiùs ex Semine ſatum. Hujus nomen *Perſico-Medicum* eſt سپست *Supùſt*, ſeu سفست *Sufùſt*, vel اسپست *Uſpùſt*, ſeu اسفست *Uſfùſt*; unde *Syri* etiam fecerunt ܐܣܦܣܬ *Eſpeſto*, ſeu *Eſfeſto*, & *Arabes*

Arabes فصة *Pháſſa*, ſeu فصفصة *Pháſphaſa*. Dictum autem Pabulum recens magis propriè *Arabicè* vocatur رطبة *Rátba*, & ſiccum قتّ *Kàtt*, utrumque نفل *Nafàl*, ſeu *Nefèl*, de quo conſulatur *Avicenna*, qui ponit aliquam differentiam. *Turcicè* vocatur يونجة *Yôngja*, à يونمق *Yônmak*, *ſecando*, q. d. *ſecabilis*, *demeſſa*, ſeu *demetenda* Herba: nempe quia hæc Herba pro Pabulo abſcindi ſolet & demeti: gramen autem ordinarium pro Fœno ſicco in *Oriente* non metunt: namque non ſiccant, ſed aliquando fortè parum quid ſecatum recens & madens edatur ab equo. *Ogilbius* in *Perſiâ* p. 43, ex ſuis Autoribus perperàm legit *Gontſcheh*, pro *Yontſcheh*; *quæ* (inquit) *creſcit ad altitudinem IV pedum, cum flore cæruleo: & metitur ſingulis Menſibus, & ſic durat ſponte naſcens per ſeptennium: ſed Anno ſeptimo de novo ſeritur, multam rigationem poſcens, ut Oryza, aut Triticum. Hoc Pabulum ſiccum eſt prò Equis Nobilium.* Id quod in noſtris *Herbariis* exhibetur, (exceptâ Cochleatione,) eſt *Trifolium*, ferè tale ac eſt *Fœnum Burgundiacum ſacrum*, ſc. *Sainct-foin*, ob ſingularem Uſum ſic dictum.

Apud *Orientales* memoratur alia *Medicæ* Species, *Perſico-Medicè* dicta دیو سپست *Dîv-ſupùſt*, i. e. *Medica Diaboli*, quæ *Turcicè* audit قره يونجة *Kara-yôngja*, i. e. *Medica Nigra*, & گیك يونجة *Gheyik-yôngja*, i. e. *Damarum* ſeu *Cervorum Medica*, ſcil. *Medica Cervina*, Flore etiam cœruleo, ut dictum. Hæc *Arabicè* audit حندقوق *Handacûk*, ſeu *Lotus* Herba, quæ eſt Trifolii Species, noſtratibus dicta *Trifolium Corniculatum*. Plura videant alii. Quin & *Medica* aliàs *Arabicè* vocatur ذرق *Dhórak*, cum aliis nominibus quæ leguntur in Libro *Nuzhato'l Nophûs*. Apud *Rovillium Lugdunenſem* viſuntur tres *Medicæ Cochleatæ* Species.

V.

Pag. 132. In Inſulâ *Javâ* Urbs præcipua & Sedes Regia eſt *Bantam*, ubi *Luſitanicum m* ſonandum eſt ut *n*, ſeu *ngh*: nam in Regis *Bantamenſis Literis Credentialibus Malaicis* (quas poſſidemus ante L annos exaratas) ad Reges *Angliæ* miſſis, ſcribitur بنتان *Bántan*. At in *Credentialibus Arabicis*, quas ego interpretatus ſum pro *Carolo* II, tacito prorſus *Bantani* Nomine, ea Urbs ſæpe & ſemper vocabatur سورسون *Suroſoán*. Tota quidem Inſula in Libris *Perſicis* vocatur

معراج

مهراج *Máha-Rágja*, i. e. *Magnus Rex*, in Libris *Arabicis* جزيرة المهراج *Gjazîra Al Maharágia*, i. e. *Insula Magni Regis*. A vulgò loquentibus vocitatur جاوا *Jáva*, vel جودیب *Gjáva-dîb*, seu *Gjava-dîv*, i. e. *Hordei Insula:* unde apud *Ptolemæum* legitur Ιαβαδίου, ὅ ἐστι Κριθῆς Νῆσος. Fortè rectiùs legendum Ιαβαδίυ *Javadîv*, cùm in linguis illorum locorum *Dîb*, seu *Dîv*, sit *Insula*; unde sic terminantur pleraque in illis Partibus Insularum Nomina, ut *Serandîb*, de quâ fusè diximus in Notis ad *Itinera Mundi*. Sic etiam *Ptolemæo* Σαβαδείβα, i. e. *Anchoræ Insula*, & Ναγαδίβα, i. e. *Serpentum Insula*, si rectè capio in Linguâ *Malaicâ*. Hæc itaque Insula fuerit *ferax Hordei*, quod tamen videtur primò aliunde ad eos allatum, cùm in Linguâ *Malaicâ*, hisce locis propriâ, non detur aliud Hordei Nomen præter جاو *Gjáva* ex Linguâ *Persicâ* mutuatum: nam si *Hordeum* apud eos ab Initio semper fuisset, proculdubiò ejusdem aliquod Nomen originale in suâ Linguâ habuissent. Tritici etiam Nomen *Ghéndum* coguntur mutuare à *Persis*, à quibus itaque & illud Granum habuêre. Supradicta *Serandîb* (quæ *Taprobána*,) aliàs vocatur Σιελεδίβα apud *Cosmam Monachum* in Τοπογραφία Χριστιανική, ubi dicitur ibi esse Ecclesiam *Christianorum* illuc adventantium, cum Presbytero ex *Perside* ordinato, atque *Diacono*, & totâ *Ecclesiasticâ* Λειτουργία. De nominibus *Pekin*, & *Nankin*, & *Ventis Sinicis*, vide supradicta nostra *Itinera Mundi*.

VI.

Pag. 187. In Libro *Persico* D. *Bunclei*, Num. 44, de Morte Celeberrimi *Astronomi Omar Cheiyâm*, sequente modo legitur; وتاریخ قسن مذکور ومسطور است که وفات ملک الحکما سلطان العلما قدوة الفضلاء علام خواجه عمر خیام در سنة سبع عشر و خمس مایه بوده است در نیشابور ودر تمام علوم وحکمیات یکانه واعلم زمانه بود خواجه نظامي عروضي سمرقندي که اعلم وقت خود بود ویکي از شاگردان خواجه عمر بوده و حکایت موت خواجه عمر میکند که مرا در بلخ با خواجه عمر اتفاق ملاقات افتاد ومجلس میداشتم در اثناء سخن گفت که قبر من در موضعي باشد که هر بهار

باد شمال بر وي گل افشان بود ، مرا ازان تعجب آمد با خود گفتم که
این مرد گزاف نگوید تا بعد از موت او چون مرا چند گاه به نیشابور گذر
افتاد قبر او در یافتم دیدم که قبر او قریب دیوار باغي بود که درختان
میوه دار گلنار سر از دیوار باغ بیرون آورده چندان شکوفه بر سر او
ریخته بود که در ان میان قبر او نمي نمود تعجب از گفتار خواجه عمر
آرزوي خانه او کردم وچون بخانه او رفتم بعد از پرسش او گفتم
که خواست او چنین بود واز حال او آگاهي دادم مادرش گفت
من نیز بعد از موت او عجبي دیدم وآن اینست که شبي عمر را
از خداي بآمرزش میخواستم وتضرع و ابتهال مي نمودم همدرین
بخواب رفتم عمر را بخواب دیدم که رباعي بر من میخواند چون بیدار
شدم رباعي بر خاطر من یاد بماند واورا رباعي بسیار است بحکمت
آمیخته ودر شرع سخنان او بعضي ممنوع است اما یک رباعي نوشته
شد که بعد از وفات او مادر اورا بخواب دید پرسید که اي فرزند
حق تعالي با تو چه کرد این رباعي بر مادر خواند مادر خیام از
خواب بیدار شد این رباعي یاد داشت بعد ازان مشهور شد ورباعي
که در خواب خوانده شد اینست

اي سوخته سوخته سوختني
وي آتش دوزخ از تو افروختني
تاکي گویي بر عمر رحمت کن
حق را تو کیي آیتي رحمت آموختني

In Chronico memoratum & exaratum eſt, quòd Mors Regis Sapientum & Principis Doctorum atque Exemplaris Excellentium, Doctiſſimi Chogja Omar Cheiyâm accidit anno 517 in Urbe Neiſhâbur. Atque in omnibus Scientiis ac Sapientiis unicus & ſcientiſſimus ſui temporis fuit Chogja Nezâmi Verſificator Samarcandenſis, qui ſui temporis Doctiſſimus atque unus

unus ex Discipulis dicti Chogja Omar fuit: & is mortem Chogja Omar sequente modo narrat. Mihi in Urbe Balch acciderunt Conversationes quædam, & habuimus consessum, ubi ille verbum effatus est, Meum Sepulchrum erit in Loco, in quem quovis tempore verno ventus septentrionalis Flores spargit. *Ego autem miratus mecum dixi,* Certè iste homo futilia non loquitur. *Donec tandem, post Mortem ejus, cùm aliquoties ad Urbem Neishâbur concesseram, Sepulchrum ejus inveni: & observavi ipsius Sepulchrum esse propè murum Horti, ubi arborum fructiferarum Malogranatorum Summitates, extra Hortum exporrectæ, tam affatim super ipsius caput effuderunt Flores, ut illo tempore Sepulchrum ejus non comparuerit. Ego propter Sermonem Chogjæ Omar mirabundus, expetivi Domum ejus adire. Cúmque ejus domum adiveram, postquam de eo interrogaveram, dixi,* Voluntas ejus sic fuit: *& deinde veram ipsius Notitiam dedi. Mater ejus respondit,* Ego quoque post Mortem ejus vidi quiddam mirandum, quod hoc est, sc. Nocte quâdam, cùm pro Omaro meo à Deo precarer Peccatorum Remissionem, & exorarem atque Supplicationes effunderem, mox in Somnum incidi, & in Somnio vidi Omarum mihi recitantem Tetrastichum. Cúmque evigilarem, illud Tetrastichum in Memoriâ meâ hæsit. *Ejus quoque extant multa Tetrasticha Sapientiâ referta. Pauca quædam in initio Sermonum ejus exciderunt: ast unum Tetrastichon scripto mandatum est, quod mater ejus post Mortem ipsius in Somnio vidit. Ipsa quæsivit,* O fili, quid Deus tecum fecit? *Tum ille dictum Tetrastichon Matri suæ recitavit. Et cùm Mater Cheiyâmi à Somno evigilaret, ipsa memoriâ retinuit illud Tetrastichon, quod etiam jam celebre est. Tetrastichon itaque, quod in Somnio vidit, hoc est,*

O combustus combustus Combustione!
Væ, à te est Ignis Gehennæ Accensio!
Quousque dices, Omaro misericors esto?
Quousque Deum, Caput Misericordiæ, *docebis?*

Et deinde posteà in eodem Codice Persico sequuntur alia Tetrasticha, fortè ducenta.

VII.

Pag. 226. Patres Jesuitæ ad Orientales Missiones destinati, ex quacunque Natione fuerint, jubentur primò addiscere Linguam Lusitani-

cam, & deinde Linguas Gentium ad quas mittuntur. Sed aliqui eorum adeò intenti fuêre Miſſionibus ſuis, ut aliquando eis non vacaverit eſſe accuratis in omnibus aliis Rebus eorundem Locorum. Hinc eſt quòd, inter eos qui multa bona ſcripſerunt, in aliquammultis Rebus Ακρίβεια deſideretur; ut ſolet eſſe quando aliquis tantùm obiter & curſoriè (& non ex profeſſo) Rem aliquam tractat; adeò ut inter ea quæ ab illis *tutò credantur*, & alia quæ *dubiæ Fidei* ſunt, diſtinguere, periti Lectoris judicium requiratur. Nam aliqui eorum aliquando videntur pro nobis, tam procul diſſitis, ſatis habere pauca tantùm, eáque minùs accurata, impertiviſſe. Præſertim in Rebus *Sinicis*, dolendum eſt quòd *Relationum Scriptores* non ſatis perpenderint præcedentes aliorum Relationes, nec eas cum ſuis contulerint. Unde, in hac Parte, incurioſis haud rarò accidit, ut *pugnantes* de eiſdem Rebus *Sententias* aliquando proferant, inter ſe Numero & Menſurâ diſſentientes, uti iſtos Autores conferenti liquebit: imò, quod pejus eſt, aliquando videmus aliquem, tam à ſeipſo, quàm à Veritate, diſſentientem. Hujuſmodi Incurioſitatis (ne hæc gratis dixiſſe videar,) Exemplum reperitur apud *Doctiſſimum Martinium*; qui quamvis multa præclara ſcripſerit, tamen in ſuo *Atlante Sinico* deſcribit *Chinenſium Cubitum*, qui eſt tantùm *Cubitus Pannarius Mandarinorum*, quem tanquam *unicum* & *ſolum* eorum *Cubitum* exhibet: nos autem in *Tractatu de Ponderibus & Menſuris Sinicis* deteximus *quatuor* Cubitorum Genera. Is verò per dictum *Mandarinorum* Cubitum XII Unciarum ſeu latorum Pollicum (quem invenimus eſſe pannarium,) metitur, ſeu æſtimat, vaſtiſſimi *Chinenſium* Muri Altitudinem eſſe XV *Tche*, ſeu *Cubitorum*: cùm iſte *Murus* potiùs metiendus fuiſſet per alium eorum *Cubitum Geodæticum* XV Unciarum (qui comparet in Charta MS *Sinicâ*,) *tribus Unciis* excedentem alterum Cubitum quo in metiendis Pannis utuntur. At cùm ipſe (ut fatetur) dictum Murum nunquam vidit, ſed ab aliis informatus fuit illum Murum in Altitudine habere XV Cubitos, ille de Cubito pannario, ſibi noto, perperam intellexit Informatorem ſuum, qui proculdubiò voluit *Cubitum Geodæticum*: quamvis & hoc pro dicti Muri Altitudine quam concipere debemus, ſit valdè parum; cùm quivis Saltator talem & tam humilem Murum facilè tranſilire poſſit.

Nec tantùm in Quantitate *Cubiti*, ſed & in Quantitate τῦ *Li* (per quem Muri & omnium Diſtantiarum Longitudinem metiuntur,) æquè inter *Miſſionarios* diſcordatur; quod miſerum eſt videre: quomodo enim tam aliarum Rerum, quàm celeberrimi iſtius Muri, Longitudinem

gitudinem veram nos docebunt, cùm in Quantitate Menſuræ per quam metiendus eſt, inter eos diſcordetur? In his taxandi ſunt *Magailhanes*, *Alvarez*, *Trigautius*, *Semedo*, aliique; qui quamvis alia multa benè dixerint, tamen in iſtis communis Uſûs Rebus errârunt, & ne quidem *Scaccarium* luſorium rectè deſcribere potuerunt. Meliùs autem, & quidem optimè, de Rebus *Sinicis* ſcripſit D. *le Compte*, quantum ex brevi Intuitu judicare licuit.

Deinde (quod jam præcipuè nos tangit,) in *Chinenſium* Anno ſtatuendo peſſimè errârunt *Miſſionarii* aliqui, ex quorum errantium numero excipiendus eſt *D. Couplet* cum quibuſdam aliis, & *D. Verbieſt* qui *Sinicum* Annum rectè ſtatuit. Nam cùm inter *Chinenſes* pauci, præter *Aſtronomos* & *Chronologos*, ſciant *Annum Solarem*, eóve utantur, & ſolus *Annus Lunaris* ſit in vulgari Uſu apud Populum, *Miſſionarii* (ut ex D. *Coupleti* Præfatione conſtat,) Tempus Mundi & Imperii numerant per *Annos Lunares*; contrà quàm faciunt *Chinenſes* ipſi, quippe quod fieri nec debet, nec poteſt, cùm tales non ſint Anni *completi* & *perfecti*, ſed *deficientes*, & minores *Annis Solaribus*, cum quibus, abſque triennalibus Menſis integri *Emboliſmis* æquari & coextendi non poſſunt. Anni quidem Solaris Initium in medio *Aquarii*, reſpicit tantùm illud *Dodecatemorion*, non autem aliquem Stylum *Europæum*, ut nec *Aquarii* ſtellas, quæ egreſſæ ſunt in *Dodecatemorion Piſcium*; numerando (ut fieri ſolet) Signorum *Dodecatemoria* ab Interſectione *Æquatoris* & *Eclipticæ*, donec ad idem punctum redeatur in Fine *Piſcium*. Sed alias eorum Incurias & Hallucinationes omittendo, oportet nos properare ad eas quæ ſpectant ad *Anni Lunaris* Initium in præcedente Opere traditum, ubi diſcordantes aliquot *Miſſionariorum* Sententias inter ſe collatas videre potes; nolo heic repetere.

Ad præſentem itaque Scopum ulteriùs, & magis ſpecialiter, ſpectare videntur ea quæ leguntur in *Martinii Hiſtoriâ Sinicâ*. Quamvis enim is fuerit Vir Magnus, qui multa præclarè dixit, ſua tamen habet παραράματα, quorum præcipua in hac Parte (ut meliùs examinentur,) in ipſius verbis citabo, & deinde in ea animadvertam. Is ergò in dictâ *Hiſtoriâ Sinicâ* p. 18 ſic diſſerit; "*Hoam-ti Imperator* [1] *Cyclum* "*Sexagenarium invenit, qui Cyclus LX Annorum; quo Spatio decurſo,* "*idem Anni Nomen redit. Et licet non eodem Tempore fiat Luminarium* "*Conjunctio, ſed trium ferè Dierum ſit Diverſitas; nulla tamen* [2] *Inter-* "*calatione, nec Cyclo noſtro Novemdecennali Opus habent. Nam Plane-* "*tarum Motus in Annos ſingulos denuò computant, interque ſe componunt.*

"*Non*

" *Non enim habent, neque adeò tolerant perpetuas Ephemerides, ſed*
" *ſingulis Annis novas cudunt in ſingulos Dies, — Unde unius Horæ*
" *& Minutorum aliquot Anticipatio, (quæ Aureo noſtro Numero No-*
" *vilunia inſerit,) ipſis in annuâ Computatione reponitur: Annum*
" *verò jam inde à tanto Tempore* [3] *Lunæ-Solarem habent. Menſes*
" *item admittunt Abundantes, Deficientes, atque* [4] *Communes. Ad-*
" *mittunt Menſes* [5] *Emboliſmæos: ita tamen ut non Menſem aliquem*
" *certum* [6] *intercalare ſoleant, ut olim Judæi* Secundum *ad id ſepo-*
" *ſuêre; ſed, uſitato ſibi Calculo, inveniunt quem faciant Intercalarem.*
" *Nam XII Signa Zodiaci ſic ordinata ſunt, ut* [7] *Piſces ſemper in*
" *primum Menſem, Aries in ſecundum, alia Signa deinceps in alios*
" *Menſes incidant; ita ut, nullus à proprio ſibi Signo vacuus abire*
" *poſſit. Quia verò altero, vel tertio Anno, contingit, ut Menſis ali-*
" *quis à Signo ſibi attributo excidat, hinc Menſis ille, eâ Ratione,*
" *intercalatur, ut Nomen ab antecedente* [8] *Menſe capiat, ex quo dein*
" *Signum ſubſequens in debitum Menſem cadit. Totus Cyclus Annos*
" *Emboliſmæos viginti duos continet: reliqui ſunt vel Communes, vel*
" *Deficientes, vel Abundantes.*

Deinde p. 21. " *Tempore* Chuen hio *Imperatoris LXXVIII (qui*
" *circa MMDXIII Annis ante Chriſtum floruit,) fuit Calendarium*
" *toto Regno publicatum receptumque. Scripſit etiam Ephemerides*
" *V Planetarum,* [9] *quos, dum imperabat, omnes in Cœlo conjunctos*
" *vidit eodem Die. Et hunc Diem primum illius Anni eſſe voluit*
" *(prout Author Sinicarum Rerum in Conſtellatione* She *dictâ indi-*
" *cat;) quæ nunc circa Gradum decimum octavum Piſcium incipiens,*
" *ad quartum uſque Arietis extenditur.*

P. 22. " *Hic ergò Imperator primum Anni Diem, & Menſem il-*
" *lum deinceps haberi voluit, quo Luminarium Conjunctio decimo quinto*
" *gradui Aquarii proxima fieret, quod etiamnum obſervatur à Sinis.*
" *Hoc vero potiùs Tempore quàm alio, Annum ordiuntur, quòd, ubi*
" *Sol circa medium Aquarii verſatur, (ut ipſi dicunt) tunc primùm*
" *omnia vernare incipiant. —— Non negaverim apud Sinas non idem*
" *Anni fuiſſe ſemper Initium, ſed pro variorum Imperatorum volun-*
" *tate varium. Tria tamen universè illius Initia agnovêre; tria*
" *namque præcipua Puncta in Horarum Circulo pro illuſtrioribus ha-*
" *bent: ſcil. Mediam Noctem, in quâ Cælum; primam à mediâ Nocte*
" *Horam, in quâ Terram; ſecundam denique à Noctis Medio, in quâ*
" *Hominem natum memorant. Mediæ Nocti Caprum aſſignant, Pri-*
" *mæ Amphoram, Secundæ Piſcem: ita tamen ut una Hora Sinica*

" *duas*

" *duas noſtrates complectatur. Circulum enim Horarum fixum Cogi-*
" *tatione depingunt in Cœlis, (quemadmodum nos Circulum ſemper*
" *Apparentium Maximum,) quem in XII æquales Partes ſecant, Ho-*
" *raſque totidem. — Iiſdem Horis Zodiaci Signa eo, quem ſuprà no-*
" *tavimus, Ordine aſſignant.*

P. 287. " Hen-chiun *Ruſticorum Feſtum, primo Vere, cùm Sol*
" *Medium Aquarii Signum ingreditur, à Sinis magnâ Pompâ & mul-*
" *tis Cæremoniis etiam à Primoribus celebratur.*" Hoc fit ut vulgus Agriculturam eò alacriùs ſuſcipiat eamque lubentiùs colat.

In hæc *Martinii* Præcedentia, ſequentes facimus Obſervationes. Et primò in *Sinico* Anno deſcribendo errat in genere: nam cum *Sinenſes* habent *duplicem* Annum, *Solarem* & *Lunarem*, à ſe invicem diſtinctos & diverſos, iſte Autor hoc ignorare videtur, deſcribens *Sinenſium* Annum eſſe unicum & ſimplicem, quem *Lunæ-Solarem* vocat, Nomine monſtroſo & prorſus inaudito. Hoc modo ſtatuit Annum partim *Solarem*, & partim *Lunarem*, qui reverà eſt nullus, nec talis à *Sinenſibus* admittitur: nam cùm hi Anni ſint à ſe invicem diverſi, ſub unâ eâdemque Deſcriptione cadere nequeunt, quippe quod ſit impoſſibile. Ille autem, Annum ſuum monſtroſum deſcribendo, præcipuè deſcribit Annum *Lunarem*, & ſubinde admiſcet quædam ad Annum *Solarem* Pertinentia; &, hoc modo, utrumque Annum confundit, & verè deſcribit nullum. Et quamvis hæc in genere dixiſſe ſufficiant, nos ad particulares Exceptiones deſcendemus, ut Lector, eò faciliùs, de eis judicium facere valeat. Et quidem ad Numerum primum quem notavimus [1]: Imperator *Hoang-ti* (ſic enim ſonandum eſt ejus Nomen,) inſtituit *Cyclum Sexagenarium*; ſed per quem Annos *Solares* computant, non autem *Lunares*, quos *Martinius* hic præcipuè deſcribere videtur. [2] Negat *Intercalationem*, quam tamen Num. 5 & 6 mox admittit, prout debet; ſed ſibi interim non conſtans, Contradictionis taxandus eſt: eum tamen in hoc ſequitur *Caſſini*. [3] Abſurdiſſimè ſtatuit *inauditam* Anni Speciem, dictam *Lunæ-Solarem*, de qua ſuprà dixi: iſtam autem Abſurditatem ſolvere cupiens, D. *Mullerus* putat quòd fortè talis Anni *Quantitas* ſit *Solaris*, & *Modus Lunaris*; quæ conſiſtere non poſſunt. Deinde in iſtum ſuum Annum admittit trium generum Menſes, *Abundantes*, *Deficientes*, & *Communes*. Agnoſco quidem, in Anno Lunari dari Menſes *Abundantes* & *Deficientes* alternatim: at in *Calendario Sinico* non cernuntur Menſes *Communes*. Nobis autem ſubolet quid ſibi velit, nempe *Menſes Solares*, qui ad aliam

aliam Anni formam pertinent: ſed hoc ei non innotuit. [7] Recte ſtatuit *Piſces* ſemper in primum Menſem incidere: ſed mox infra ponit Anni Initium in XV Aquarii, quaſi etiamnum obſervetur à *Sinis*; quod falſum eſt, & præcedentibus contradicit: nam ſi olim id factum fuerit ab Imperatore *Chuen-hio*, hodiè tamen non fit. [8] Fortè is autumat eſſe ut apud *Hebræos*, ubi *Adar Secundus* intercalatus denominatur ab *Adar Primo:* at fallitur, cùm Menſes Lunares non habeant Nomina, ſed ſolo Numero à ſe invicem dignoſcuntur: intercalatus autem Menſis ſemper audit *Shun*. Hæc ſunt pauca ex multis, quæ omnia nunc perſtringere longum. [9] Heic miſſum facientes D. *Martinium*, tangemus prædictum *Imperatorem Sinicum*, propter Anni ſui Initium malè fundatum; cum fortè dicta Conjunctio, quam putârat, prædicto Tempore non acciderit. Nam in D. *Caſſini* Appendice ad *Louberum* p. 257, legitur ſequens Obſervatio: viz. *Comperimus quòd Saturnus, Jupiter, Venus, Mercurius, & Luna conjuncti fuêre in dictâ Conſtellatione Chinenſi (dum Sol eſſet in X Aquarii,) Anno MMXII ante Chriſtum, XXVI Februarii ſecundum Computum Julianum, at IX Februarii ſecundum Computum Gregorianum: & quòd ſequente Die (viz.* $\frac{10}{27}$ *Februarii) Horâ ſextâ matutinâ contigit Conjunctio Lunæ cum Sole. Et hæc fortè fuerit illa quæ accepta fuit pro Epochâ Annorum Sinicorum.* Sic ille. Ex quibus colligimus dictam V Planetarum Conjunctionem contigiſſe D Annis citra tempus in *Chinenſium* Hiſtoriâ deſignatum, adeóque *fefelliſſe* eos *Obſervationem* ab Imperitis factam. At (*Caſſini* Veniâ) XXVI *Februarii* in Computo *Juliano*, debuerat eſſe XVI *Februarii* in Computo *Gregoriano:* aut IX *Februarii Gregoriani* debuerat eſſe XIX *Februarii Juliani*. Videant autem qui in hac Arte peritiores ſunt, qui magis accurato Calculo Rem totam pleniùs expiſcari & de eâ judicare nôrunt.

VIII.

Pag. 256. Planta *Bahman* ſeu *Behmen* (cujus Radix Officinis *Ben*,) hactenus fuit *Europæorum Botaniſtarum* Crux, eóſque omnes fruſtrà exercuit. Ea autem cum ſæpiùs memoretur in religioſis Cæremoniis *Perſiſmi veteris*, viſum eſt operæ pretium in medium adducere illam ejus Deſcriptionem quæ extat in Libris Orientalium: quamvis & horum aliquos de eâ etiam errâſſe comperimus. Priùs vero monendum eſt,

eſt, quòd excellentiſſimi *Rawolfii* Deſcriptio hujus Plantæ non concordat cum eis quæ ab *Orientalibus* dicuntur; unde eum in *Itinerario* ſuo vel errâſſe reor, (dum malè informatus fuerit ab ignorante aliquo homine, cui verum *Behmen* non erat notum,) vel aliàs, *Syrorum Behmen* diverſum eſſe ab eo *Perſarum* ſuſpicor; cum aliam longè diverſam herbam deſcribere videatur. Igitur in *Rawolfio Rayi* p. 235 legitur; *Apud aquarum Effuſiones (ubi tempore pluvioſo aqua deſcendit à Monte Libano,) invenitur verum* Behmen album Arabum, *quod hodie vocatur* Behmen ábyad, *uti rubrum vocatur* Behmen áhmar, *quod invenitur prope alterum. — Hoc erat quando Planta tempore fere confecta & conſumpta fuerat, relictis tamen in eâ aliquot viridibus foliis. Adeo ut videatur ferre hyemem, & gradatim nova emittere Folia quæ veteribus ſuccedunt. Folia autem ſunt longa, magna, & acuminata, ferè ejuſdem magnitudinis, acuminis, & craſſitiei cum illis Pyri arboris. Inferiùs, partim ſuper caulibus, habentur Quatuor Folia multo minora, Binatione è regione ſuî invicem ſita. Quædam etiam Folia reperiuntur ſuper multis rotundis Caulibus cubitalibus, ex eâdem Radice pullulantibus, quorum ſuperiora arctè adhærent dictis Caulibus, perinde ac videmus in Smyrnio Cretico. In ſummitate emittit oblongas ſquamoſas Fibulas, (quarum ſingulæ ſunt in peculiari Caule,) unde ejuſdem coloris Flores enaſcuntur. Valdè longam habet Radicem, è cujus Summitate pullulant magni Rami, ita denſè ſeu confertim conſiti, ut tandem ſeparari & tranſplantari poſſint. Aliàs autem, Radices habent pauciſſimas Fibras, adeò ut Glabræ eſſe habeantur; & ferè ejuſdem Lentoris & Flexibilitatis cum eis Glycirrhizæ, quibus valdè ſimiles ſunt in magnitudine & colore; niſi quòd hujus Radix ſit aliquantulùm candidior & non tam recta. Sed cum Avicenna faciat mentionem Rugarum ejus, opinor eum potius loqui de Specie majore, cujus Radices ſunt rugoſiores & lentiores, & (per Quantitatem Spithamæ) videntur corrugari ætate, & lignoſæ eſſe, & hoc modo conſumptæ & exiccatæ; quamvis eæ interim intus ſucculentæ & flexiles ſint, retinentes Colorem ſuum naturalem.* Hactenus ille. *Avicennam* verò citando, Confuſionem parit, cum *Behmen Avicennæ* & *Behmen Syrorum* ſint Plantæ prorſus diverſæ. Cum autem *Ahmed Ibn Phadl* (ut in ſequentibus videbitur,) dicat ſuum *Behmen, quod eſt Perſicum,* copioſè naſci in montibus *Syriæ,* inde ſequetur ut, vel duplex *Behmen* naſcatur in *Syriâ,* vel ut ille, eâ in Parte, fallatur in Nomine τῦ *Behmen Syriaci,* quod fortè Nomine conveniens, Re autem diverſum ſit. Ideóque, quamvis ſit D. *Rayi* ſententia (in ſuo *Indice* poſt *Rawolfium*) *quòd fortè ſit Serratulæ affinis ex* C. B. & *quòd* (ex ſententia *Rawolfii*)

fii) in humidis & umbroſis Locis naſcatur ad Pedem Montis Libani; atque aliorum opinio, quòd fortè ſit *Scorzonera* [**vipers-graſs,**] probabile faciant de *Behmen Syriaco*, tamen nil valent quoad *Behmen Perſicum*, quod mox deſcribendum venit. Et quidem *Serratula*, *Anglicè* eſt **Germander.** Quibuſdam Noſtratium, *Album* eſt *Lychnis Sylveſtris Glabra*, ſeu *Papaver ſpumeum*; & *Rubrum* eſt *Lychnis Sylveſtris Rubra*, ſeu *Muſcipula*. Alii aliter: ſed omnes in conjecturis ſuis decepti.

Sunt etiam ex Orientalibus qui de hac Plantâ errârunt: nam illi etiam ſubinde ſuos Errores habent. Exempli gratiâ, in Libro *Nim. Laud.* ex Scribæ (ut videtur) Errore, perperam *Turcicè* legitur, بهمن بر چیکدر زعفرانه بکزر وبعضلر زعفراندر درلر *Behman eſt Flos Croco ſimilis: & ſunt qui dicunt Crocum eſſe*. Iſte autem errando deſcribit *Cnicum:* nam Orientalium Nemo alius *Behman album* ullum unquam Florem habere comperit. Aliqui ex *Arabibus*, minùs rectè, dixerunt *Behman album* (de Radice ejus loquentes) eſſe *Paſtinacam*, & *Behman rubrum* eſſe *Carotam flavam*. Alii ex iis volunt *album* eſſe Radicem τῆς ابیض سوسن *Iridis albæ*, & *rubrum* eſſe Radicem *Iridis flavæ*. Hiſce autem miſſis, ejus Deſcriptionem dabimus ex magis authenticis Autoribus in eorum verbis: & imprimis *Ibno'l Cútbi*, in Libro *Malayéſa*, ejus Radicem *Arabicè* deſcribit ſequenti modo; بهمن اسم فارسي لدوآ خشبي وهي عروق وهي صنفان احمر وابيض واحمر مفتولة ومعوجة فيها صلابة والاحمر منها قشره احمر الي السواد وباطنه في حمرة دون قشره والابيض ظاهره وباطنه سوآء وهما حاران يابسان في الثانية وفيهما رطوبة فضلية لزجة و الاحمر اقوي حرا من الابيض واجودهما المجلوب من نواحي ارمني و خراسان واجود الابيض النقي الصلب الرزين واجود الاحمر الصافي الحمرة الرزين وكلاهما طيب الرائحة لزج المذاقة وفيهما جميعا قبض ما وشربته الي مثقالين — *Behman eſt nomen Perſicum Medicamenti lignoſi quod conſtat Radicibus. Eſtque duorum generum, Rubrum & Album: & Rubrum eſt tortum incurvum, cui ineſt durities; ejuſque Cortex eſt Ruber ad Nigredinem vergens, & interior ejus Pars minùs rubet quàm Cortex. In Albo, interiores & exteriores Partes ſunt æquales. Ambo ſunt calida & ſicca gradu ſecundo. In eis quoque eſt Humiditas ſuperflua glutinoſa. Et Rubrum eſt magis calidum quàm Album. Horum optimum eſt id quod affertur*

affertur ex oris Armeniæ & Choraſân. In Albo melius eſt clarum, durum, & ponderoſum: in Rubro melius eſt illud clarioris Rubedinis & ponderoſum. Ambo ſunt aromatici Odoris & glutinoſi Guſtûs: & in utriſque eſt aliquid Stipticitatis. — Doſis eſt uſque ad duas Mithcâl. Hoc modo deſcriptam habes Radicem: at totam hanc Plantam deſcribit *David Antiochenus* ſequente modo; بهمن نبات فارسي جبلي يقوم على ساق نحو شبر ويبسط اوراقا ملتفة بلا زهر ويدرك في تموز وهو ذوعان احمر ظاهرا لسواد وابيض كذلك عند الشريف وقال غيره قشره كباطنه في البياض وكل من ذوعين اصله كالجزرة مفتول خشن حار يابس الابيض في الثانيه والاحمر في الثالثة *Behman eſt Herba Perſica montana, quæ ſurgit ſuper Caulem ſpithamalem, & expandit Folia conſerta* [ſeu *convoluta*] *abſque Flore. Et matureſcit in Tamûz. Eſtque duorum generum; Rubrum, quod exteriùs vergit ad nigredinem; & Album ſic etiam eſt ſecundùm Al Sherîph. At alii ajunt Corticem ejus eſſe ſicut interius ejus in Albedine. Utriuſque generis Radix eſt ſicut Paſtinaca, contorta & aſpera. Calidum eſt & ſiccum: ſcil. Album ſecundo, & Rubrum tertio gradu.* Sequuntur ejus virtutes multæ, quas prætereo. Sed dictus Author loquitur quaſi non vidiſſet Plantam. Omnium autem magis copiosè & accuratè, quaſi ex Autopſiâ, eam deſcribit *Shihâboddîn Ahmed Ibn Phadl*, idque, في النبات ليس له ساق يتخشب *in Claſſe Herbarum quarum Caules non ligneſcunt*, ſequente modo; بهمن نبت معروف وهو ذوعان احمر وابيض وهما جميعا عروق فالاحمر منه يقال كف آدم قشره زايدا بحمرة وباطنه اقل حمرة وطوله نحو الشبر معقد في غلظ الابهام سابح على وجه الارض وله اصول غايدة كاصول الفجل فيها الاعوجاج وورقه شبيه بورق الخبازي في وسط الورقة خمس نقط حمر والابيض منه ورقه شبيه بورق الخلة متكاثف يعلو نحو شبرين مذاقه طيب لزج ما وفيه بعض قبض وكلاهما طيب الرايحة ينبت كثيرا بجبال الشام وغيرها حار يابس وقيل رطب والاول اصح والشربة منه درهمان يقوي القلب جدا وينفع من الخفقان البارد ويزيد في المني زيادة بينة

بينة ويهيج الباه ويسمن *Behman eſt Planta notiſſima, duorum generum, quæ ambo ſunt Radices, quorum Rubrum vocatur Caph Adam* [ſeu *Manus Hominis:*] *ejus Cortex intensè rubet, & interius ejus eſt minoris Rubedinis. Longitudinis eſt ſpithamalis, nodata, Craſſitudinis pollicaris, repens ſuper terram. Habet Radices flexiles ſicut Radices Raphani: & in eis eſt Curvitas. Folium ejus refert Folium Malvæ, in cujus medio ſunt V Maculæ rubræ. Ejus genus album habet Folia ſimilia Foliis AlChúllæ, densè conſerta: creſcit ad duas Spithamas: Guſtus ejus eſt aromaticus cum quâdam Glutinoſitate: in eo eſt etiam aliquid Stipticitatis: & utrumque genus eſt aromaticum. Naſcitur in montibus Syriæ aliiſque. Eſt calidum & ſiccum, vel, ut dicitur, humidum: ſed prius eſt rectius. Doſis ex eo eſt II Dirhem. Valdè confortat Cor, & conducit contra Cordis Palpitationem frigidam. Auget Sperma Augmento manifeſto: excitat Venerem, & impinguat.* Hinc *Rawolfius* videtur ſeductus, aliam Plantam ab hac diverſam deſcribendo. Officinarum *Ben Album* (nam ex Albo flaveſcit) eſt gracile, Craſſitudinis minimi digiti. *Rubrum* autem, ſeu obſcurè turbidum, eſt Craſſitudinis pollicaris. Utrumque vero eſt leviter tortum, fere ut funis, ſubaromaticum, ſeu ſubamarum, calidum, & acre ſeu mordicans, Os inflammans, ſeu adurens ut *Pyrethrum.*

IX.

Pag. 297. *Ribâs* eſt Herba *Europæ* prorſus peregrina, & hactenus noſtris *Botaniſtis* ignota; niſi quòd eam in *Oriente* viderint *Rawolfius* & *Thevenotus.* Sed *Europæorum Ribes*, ſeu *Pſeudo-Ribes*, eſt notiſſimus Frutex, qui eodem Nomine gaudet, quia ejus Fructus, ſeu Baccæ, cum eis *Veri Ribâs*, Colore atque Aciditate conveniunt. *Pſeudo-Ribeſii* fructus apud nos eſt trium generum, *ruber*, *albus*, & *niger*; quorum hic ultimus potiùs ad Medicinam quàm ad Eſcam valet, nauſeam creans. Talis fructus *Anglis* dicitur Corants, ſeu *Corints*, eodem nomine quo Uvæ *Corinthiacæ* etiam vocantur; idque propter externam Formam, quamvis Sapore & Magnitudine differant. Prætereà (quâ in Re falluntur aliqui,) *Corinthiacæ* ſunt Uvæ veræ quæ naſcuntur in Vite, *Ribes* verò in Frutice notiſſimo; cujus tamen Folia (cum Minoritate ſuâ) ſunt quodammodo *Pampinoformia.* Iſte Frutex (ſi permittatur) creſcet ad duplam, vel triplam

plam ſtaturam humanam: & (ut ait *Simon Paulli* in *Quadripartito Botanico*,) ſponte naſcitur in Sylvis *Norwegiæ*, ubi vocatur Ribs; & eodem nomine etiam in *Sueciâ*, ubi datur tam *Hortenſis* ſeu *dulcior*, quàm *Sylveſtris* ſeu *amarior*, & fructus inſuper alio nomine dicitur Wine-fragen, i. e. *Fraga vinaria*, quia ex eo parari ſolet *Vinum Ribeſium*, ut in *Angliâ*. A *Septentrionalibus* itaque factum eſt, ut dictus Frutex ejuſque Fructus vocetur eodem nomine cum Herbâ *Ribâs*; idque (ut dictum) quia hæc duo planè conveniunt in Fructu, ejúſque Formâ, & Guſtu, atque Temperamento.

D. *Ludolphus*, qui in *Cæſaris Moſcovitici* Horto hunc Fruticem vidit, me certiorem fecit de ejuſdem *Ruſſico* Nomine Смородина *Smoródina*. In ultimâ Editione *Calepini*, ſub Titulo *Rhibis*, adducitur hujus Fruticis nomen Σίσαμον: ſed unde deſumptum non dicitur; nam in *Græciâ*, aut quâvis calidâ Regione (ut puto) non naſcitur, nec *Ribes Europæorum*, nec *Ribâs Aſiaticorum*. Et tamen *Hobeiſh Al Tephlîſi*, in *Tacwîm Al Adwîya* (ſeu *Simplicium* Libro quadrilingui) prætendit *Ribâs* Linguâ *Græcâ veteri* vocari فيوصيمين *Phioſimîn*, & Linguâ *Rumeâ* يغميصي *Yagmîſe*; & apud *Golium* legitur يعميصا *Yaamîſe*, *Syris eſt idem quod Ribâs:* nempe hæc duo non ſunt *Græca*, ſed corrupta pro *Syriaco* hujus Plantæ nomine حصرا *Amîtſe* in plurali, cujus Significatio petita eſt ab *Arabico* حمض *acidum eſſe*, unde حميض *Hamîds*, *acidula quævis Herba*. Uſitatiſſimum hujus Herbæ Nomen *Arabico-Perſicum*, per Orientem, eſt ريباس *Ribâs*, ſeu ريواس *Rivâs*, vel ريباج *Ribâgj*, ſeu ريواج *Rivâgj:* apud *Bar-Bahlûl*, minùs rectè ſcribitur ريباش *Ribâſh*, ſeu ريواش *Rivâſh*. Circa *Iſpahân* ſonatur ليواس *Livâs*, cum *l* pro *r*. Quin & Nomen *Ribâs* aliquando, minùs propriè, per Analogiam quandam, pro aliis etiam acidis Plantis uſurpatur; ſic *Nim. Laud.* ريباس وريباج قوزي قولاغي وفدان واشخون دده‌كلري اوتدر اكشركدر *Ribâs*, ſeu *Ribâgj*, eſt *Kôzi-Kolághi*, & *Phidân*, & *Aſhchûn*, *Planta ſubacida*. Horum ultimum *Aſhchûn* eſt *Perſicum Ribâſi* Nomen: *Phidân* eſt *Planta novella*, ſeu *Surculus* in genere; heic autem particularem aliquam acidulam notare videtur. *Kôzi-Kolághi*, ſeu *Auris Agnina*, eſt *Oxalis*, quæ ob Aciditatem vocatur *Ribâs* catachreſticè, ſeu impropriè. Apud *Ruſtem AlMaulavi* in voce *Ribâs*,

pro

pro *Phidân* malè legitur فراز *Phirâz*, ex Scribæ Erroribus quibus ille Liber ſcatet. Alterum hujus *Ribâſi* Nomen *Perſicum* eſt جگري *Gjigheri*, i. e. *Jecorina*, fortè propter obſcuram Rubedinem in Foliis. Sed potiſſimum ejuſdem Nomen *Perſicum* (ut dictum) eſt اشخوان *Aſhchuân*, ſeu اشخون *Aſhchûn*, ſive *Iſhchûn*, vulgò, ſed malè, اشبخون *Aſhbachûn*. Apud *Turgjumân Arabicum* legitur, ريباس اشغون يا برچلف يا ات كسري *Ribâs eſt Uſhghûn, aut* [Turcicè] *Bergjalùk, aut Herba Coſrois*. Sic enim (vel ſeriò, vel joco) vulgus refert eum hanc Plantam è Terrâ elicuiſſe & evocâſſe: hoc enim ultimum Nomen pendet ab Hiſtoriolâ quæ tam alibi, quàm in Libro *Mugj*. p. 189 *Perſicè* legitur, ubi etiam hujus Icon talis qualis exhibetur;

ريباس نباتي كوهيست از سنگ سخت بروید وگویند كه تاثير رعد بود وچنين گويند كه اين سخن در پيش كسري بگفتند يعني آنكه ريباس از تاثير رعد بود ودر آن وقت ريباس كم بود وكسري گفت بر كوه آب رش كنيد وطبل بزنيد تا ريباس بر آيد اين از بهر آن گفت تا اين سخن را مسخف شمرند

Ribâs eſt Herba montana ex Saxo duro excreſcens: & dicitur eſſe ex Impreſſione Tonitrui. Cum hoc dicerent coram Coſroe, (quòd ſc. Ribâs eſſet ex Impreſſione Tonitrui,) & Ribâſi Penuria eo Anno eſſet, Coſroes [ſubridens & jocosè] *dixit; Super Montem ſpargite Aquam, & Tympanum pulſate ut exeat Ribâs. Hoc ideò dixit ut illud dictum nugatorium reputarent.*

Et profectò, ex omnibus *Syriæ* Locis, quotannis turmatim prodire ſolebant ad Montes ad colligendum hanc Plantam: de quâ Re *Abdollatîph* in *Hiſtoriâ Ægypti* deplorabilem narrat Hiſtoriolam; ſc. "Ducentis unâ Vice prodeuntibus ad colligendum *Ribâs* in Valle "inter duos Ramos Montis Libani, omnes Terræmotu & Mon-"tium Disjectione atque Subverſione, Terrâ obrutos & opertos ſimul "periiſſe."

Abu-Hamed Andaluſius, inter Codices *Huntingtonianos*, refert;

ريباس وهو نوعان شامي وخراساني وهو نبت جبلي لا ينبت الا علي الصخر قيل انه من تاثير الرعد *Ribâs eſt duorum Generum, Syriacum & Bactrianum: eſtque Herba montana, quæ non naſcitur niſi*

ſuper

ſuper Petrâ durâ. Et dicitur eſſe ex Impreſſione Tonitrui, &c. Et ſic pergit narrare prædictam Hiſtoriolam. Quoad hujus Deſcriptionem, apud *Ruſtem AlMáulavi* legitur; ريواش كلم كبي بر اوت در الشي در *Rivâſh eſt Herba quædam ſicut Braſſica, quæ acida eſt. Thevenotus*, pro *Rivâs* dicens *Livâs*, ait *circa Iſpahân naſci hanc Plantam, quæ habet magna Folia ſicut Betæ aut Braſicæ criſpæ, niſi quòd Livâſi Folia ſint magis criſpa. Et quòd Caulis eſt ſicut Cinaræ, valdè acidus, & verno Tempore editur pro Deliciis. Cluſius* in Rariorum Plantarum Hiſtoriâ, p. 120, ex *Rawolfio* adducit ſequentem Deſcriptionem: *In Monte Libano legitimum* Ribes Arabum *inveni Menſe Septembri, tanquam primùm & præter Anni Tempus erumpens, ſine Flore & Semine, duobus duntaxat Foliis præditum, hirſutis, orbicularibus, Petaſitis Foliorum vulgo crediti Amplitudine, quæ brevibus, ſed craſſis, & non minùs ſucculentis quàm ipſi Caules, Pediculis inhærebant: è quibus Caulibus ſit (quemadmodum in Halebo conſpexi) legitimum* Rob Ribes *Serapionis. Gaudet humidis Locis: craſſam habet Radicem ex nigro purpuraſcentem, longiuſculam, rugoſam, incurvam, & flexuoſam, ſatis ingrati Saporis: Caules* (ut præcedente Capite monet) *penè cubitales, hirſutos, unciam craſſos, virides, infernè (ut etiam Serapio notat) purpuraſcentes.* Quamvis Radices ſint Saporis *ingrati*, Caules tamen ſunt Saporis *gratiſſimi*. Quòd autem gaudeat Locis humidis, eſt contra aliorum omnium Sententiam. Apud D. *Golium* legitur; *Ribâs eſt Lapathi acetoſi Species, cujus rubicundus acidúſque Succus Rob de Ribes dicitur.* Bellonius, in Libro *de Coniferis Arboribus*, ait *ſe inveniſſe Ribâs in frigidis Lateribus Montis Libani, cum VI aut VII Lapathi Foliis (ſed majoribus & rotundioribus,) ab ipſâ Radice ſurgentibus, cum rubris Baccis racematim dependentibus & è Foliorum medio germinantibus, ſicuti fit in Ruſco & Lauro Alexandrinâ.* Nempe ut in *Ruſco*, & *Hippogloſſâ*, & *Lauro Alexandrinâ* ſeu *Lauro Idæâ*, prodit ſimplex Bacca rubra è Foliorum medio, ſic in *Ribâs* ex eodem Loco prodit Racemus Baccarum rubrarum. *Chadr Ibn Ali* refert; ريباس هو كاضلاع السلق له خشونة وقيل بقلة ذات عسالج غصنه حمراء الي الخضرة ولها ورق كبير عريض مدور طعم عسالجها حلو بحموضة وهو كثير بالشام والبلاد الشمالية و قيل ليس منه بالمغرب وينبت بالجبال الباردة وذوات الثلوج *Ribâs habet Coſtas ſicut Beta, habetque Scabritiem. Dicitur eſſe Planta ſurculoſa, cujus Capreoli ſunt rubri, ad virorem vergentes. Habetque*

Folia

Folia magna, lata, rotunda. Surculorum ejus guſtus eſt dulcacidus. Copioſè invenitur in Syriâ & Regionibus ſeptentrionalibus. Dicitur non inveniri in Africâ: ſed creſcit ſuper Montibus frigidis nivoſis. Eodem Modo deſcribit *Beitharides*, idque partim ex *Iſaac Ibn Omrân*, additque non inveniri in *Africâ*, nec in *Andaluſiâ*. In Libro *Malayéſa* ſequente Modo deſcribit *Ibno 'l Cutbi*; ريباس نبات لا يوجد الا بالجبال والبلاد الشديدة البرد والمواضع المثلجة وهو نبات كالسلق له اضلاع وورق ليست كخضرة السلق ويخرج في وسطها ساق عريضة رخصة مملوة رطوبة حامضة عذبة وعليها زغب خفي وفي [a] نورها حمرة ما وفي طعمها مع الحموضة الظاهرة حلاوة ما وقد تزرع في البساتين فيضعف طعمه [b] ولا يذوق بلذة الجيدة *Ribâs eſt Planta quæ non invenitur niſi in Montibus & Regionibus vehementioris Frigoris, & Locis nivoſis. Hæc Herba eſt ſicut Beta cum Coſtis: ſed Foliis ejus non ineſt Viror Betarum, & ex eorum medio prodit Caulis, mollis, Humiditatis dulcacidæ plenus: & ſuper ea eſt Lanugo obſcura, & in Flore ejus eſt quædam Rubedo: & in Guſtu ejus, cum Aciditate manifeſtâ, eſt dulce quiddam. Seritur quoque in Hortis, ſed Sapor ejus eſt debilior, nec eſt in Guſtu ejus Bonitas.* David Antiochenus ſic deſcribit; ريباس نبت مشهور شبيه بالسلق في اضلاعه وورقه لكنه طعمه حامض الي الحلاوة كرمانيين امتزجا وفي وسطه ساق رخصة مملوة رطوبة ما وزهر احمر ويدرك بحزيران و وجوده كثيرا بالجبال الشامية ومواضع الثلوج وهو بارد يابس في الثانية *Ribâs eſt Herba notiſſima, ſimilis Betæ in Coſtis & Foliis ejus, niſi quòd Guſtus ejus ſit acidus ad Dulcedinem vergens, ſicut in Malogranatis, commiſtus. In ejus medio eſt Caulis mollis humore quodam plenus: & Flos ejus eſt ruber. Matureſcit in Junio: & plurimùm invenitur in Montibus Syriæ & Locis nivoſis. Eſt frigida & ſicca Gradu ſecundo, extinguens calorem,* &c. Et ſic pergit in Virtutibus ejus Medicinalibus enarrandis. In optimo Libro نزهة النفوس والافكار (cujus primum Tomum poſſidemus, ſed, proh Dolor! deeſt ſecundus,) qui agit de Synonymis & Homonymis Herbarum, & Lapidum, & Animalium, Autore *Shihâbeddîn Ahmed Ibn Phadl*, hæc ſequens eſt Deſcriptio: ريباس يقال له زرنباج وبالسريانيا يغميضي نبت كاضلاع السلق وله عسالية

a Aliud Exemplar legit, لونها, *Colore ejus.* b Aliud Exempl. ولا يذوق بلذة الجبلي, *Nec guſtus ejus adeò jucundus eſt ac* (guſtus) *Montani.*

غصنة

غصنه حمر الي الخضرة ثم يتبيض وله ورق كبار عراض
الى استدارة وفي عساليجه وورقه خشونة واصله هو الراوند
الشامي يستعمل اذا لم يوجد الراوند الصيني وطعم عساليجه الحموضة
والعقوصة ويسير حلاوة ينبت بالجبال الباردة ذات الثلوج لا سيما
بجبل لبنان من بلاد الشام ومنه يجلب الي دمشق وغيره

Ribâs etiam vocatur Zernîlagj, & Syriacè Yagmîſe [ſeu *Yagmîdhe.*] *Eſt Planta cum Coſtis ſicut Beta; & habet Capreolos cujus Ramuſculi rubent ad Virorem vergentes, & deinde albeſcunt. Habet Folia magna lata ad Rotunditatem vergentia: & in Capreolis atque Foliis ejus eſt Scabrities quædam. Hujus Radix eſt Rhabarbarum Syriacum, quod uſurpari ſolet quando inveniri non poteſt Rhabarbarum Sinicum. Surculorum ejus Sapor eſt acidus cum Stipticitate & aliquantulo dulcoris. Naſcitur in Montibus frigidis & nivoſis, præſertim in Monte Libano Regionis Syriæ. Et inde affertur ad Damaſcum & alia Loca.* Sic ille; corrumpendo Nomen *Syriacum*, quod ſuperiùs dedimus verum.

Et jam poſt haſce omnes *Arabum* Deſcriptiones, non poſſum ſatis mirari neminem eorum deſcripſiſſe hujus Plantæ Fructum, ejuſve meminiſſe, quod præcipuum erat. Præterea inconciliabilis Autorum Diſcrepantia in Foliorum & Florum Deſcriptione, indicat magnam eorum Incuriam, dum *Rawolfius* cum *Petaſite*, *Arabes* cum *Betâ*, *Bellonius* cum *Lapatho* conferunt: ſed quale vult *Lapathum*, neſcimus; fortè *Hippolapathum*. D. *Golius* exponit, *Lapathum acetoſum Orientis*, ſc. *maximum & montanum*. Et *Beitharidi* dicitur *eſſe Lapathi acetoſi Species, cujus rubicundus aciduſque Succus, ad Tertias decoctus, Rob de Ribes vulgo dicitur*. Et poſt haſce mancas & imperfectas Deſcriptiones, nil nſi Αυτοψία juvabit.

Rev. D. *Henr. Maundrell*, apud *Halebenſes* agens, ad nos ſcribit, "*ſe aliquoties fruſtrà interrogâſſe aliquos de iſtâ Plantâ Ribâs; quam* "*tamen poſteà invenit in Monte Libano, ubi copiosè creſcit, & de eâ co-* "*mêdit: dicitque eam eſſe valdè ſucculentam, acuto & ſubacido Guſtu,* "*totius Orbis gratiſſimo: Naturam reficere & refrigerare, & febrici-* "*tantibus ut Gjulapium adminiſtrari: Turcas* Rob *ejus adhibere ad* "*Uſum Potûs qui* Sherbèt *vulgò audit, & eum in Finem, Turcarum Im-* "*peratorem magnam hujus Quantitatem quotannis à Damaſco ad Conſtan-* "*tinopolim mittendam curare. Folia eſſe ampla & rotunda (ſicut ea* "*Bardanæ) prope humum jacentia; ſingulas Plantas horum tria aut*

"*quatuor habere; in horum medio pullulare unum aut plures Caules ad*
"*Altitudinem pedalem, aut ſequipedalem, aut fortè duorum Pedum. In*
"*Foliorum medio ſe non obſervâſſe Baccas ullas, ſed in Summitate Cau-*
"*lium ſe vidiſſe Floſculos tanquam Sambucinos. Caules & Foliorum Pe-*
"*dunculos obſitos eſſe quaſi Verrucis ex Muſco ſeu Languine rubente.*"
Hactenus ille. At ex dictis Floſculis & aliis Indiciis, (ſc. quod Hyemem toleret,) colligo hoc fuiſſe ſub Finem Hyemis, ſeu Initio Veris, cum Baccæ (ſeu Fructus) nondum comparuerant.

X.

Pag. 306, 307. *Perſepolitanarum Inſcriptionum* Examen primariò & præcipuè ſpectat ad *Barbaros* illos *Characteres* qui (unà cum *Græcis)* Equorum Pectoribus, aut potiùs Equitum Syrmati, inſcripti ſunt. Et in hujus Rei Examine præmittendum eſt, haſce Inſcriptiones omnes eſſe, non tam *Perſarum*, quàm *Alienigenarum* ibi divertentium; cùm quotidianâ experientiâ videmus Peregrinorum potiùs quàm Indigenarum Curioſitatem eos inducere, Memoriæ Cauſâ, ad ſcriptitandum aliquid in Loco celebri quem brevi relicturi ſint. Unde hariolari liceat hæc omnia fuiſſe quorundam ſcripturientium, qui, ut memoriale quoddam, in illius Palatii Muris, ſuam Scriptitationis & Cælaturæ Facultatem exercere & oſtendere geſtiebant. Sed reverà nihil obtinuerunt præter nudam Memoriam pravæ Scripturæ & imperitæ Sculpturæ, Sculptorum, eo nomine, infamium, poſt ſe relinquentium nullius Pretii aliquid, in Doctorum & Criticorum Crucem, quod (ſi non accederet quorundam Importunitas, & de aliquâ ibi latente Curioſitate Spes,) negligendum eſſet potiùs quàm avidè expetendum, nec ut Nodus vindice dignus proponeretur. At ne talis Neglectus & Silentium ut noſtræ Ignorantiæ Aſylum & Excuſatio haberetur, (ut quæ ignoremus contemnamus,) noſtræ Opinionis Rationes reddendæ ſunt, ut alii quoque, noſtris Oculis videntes, nobiſcum ſentiant, & tandem, hac Ratione, noſtræ Sententiæ accedat aliorum Judicium. Et quamvis Nugæ aliquando ſint inventu difficiles, & inventæ nil proſint; quia tamen hæc exercuerunt Ingenia multorum qui Myſteria ibi latere putârunt, ergò & noſtrum quoque Ingenium exercebunt. Et cum dictis *Barbaris*, idem dicendum eſt de aliis qui pro *Arabicis* Charac-

Inscriptiones Persepolitanæ quas dedit D. Flower, ex Transactione impressâ num. 201.

1

2

ΤΟΥΓΟΤΟ ρΟCUΥΟΝ ΜΑCΛΑCΝΟΥ
ΘΕΟΥΑΡΖΑ_____CΙΑωCΒΑCΙΑΕωΝ
ΑΡΙΑΝωΝ_____CΘCωΝΥΙΟΥ
ΘΕΟΥΠΑΠΑ_ΥΒΑ___ΕωC_

3

4

ΤΟΥΓΟΤΟ ΠΡΟCωΠΟΝ DLOCΘΕΟΥ

5

6

Inscriptiones Palmyrenæ, [cum scripturis aliis,] ex Sponio, Grutero, etc.

SOLI SANCTISSIMO.——
VOTVM SOLVERVNT.——
CALBIENSES DE COH. III.—

ΑΓΛΙΒωΛω ΚΑΙ ΜΑΛΑΧΒΗΛω ΠΑΤΡωΟΙC ΘΕΟΙC

Λ. ΑΥΡ. ΗΛΙΟΔωΡΟC ΑΝΤΙΟΧΟΥ Α ΔΡΙΑΝΟC ΠΑΛΜΥΡΗΝΟC– Ζ Μ Φ

Ex Transactione impressâ, num. 217.

ΤΟ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΤΟΥ ΤΑΦΕωΝΟC ΕΚΤΙCΕΝ ΕΞΙΔΙωΝ·
CΕΠΤΙΜΙΟC ΟΔΑΙΝΑΘΟC ΟΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟC
CΥΝΚΛΗΤ[ΙΚΟC] ΑΙΓ. ΑΝΟΥ ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟΥ et.

Idem magis accuratè ex aliis chartis D. Hallifax.

Ex Chartis D. Hallifax.

CΕΠΤΙΜΙΟΝ ΟΥΟΡωΔΗΝ ΤΟΝ ΚΡΑΤΙCΤΟΝ ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ CΕΒΑCΤΟΥ ΔΟΥΚΗΝΑΡΙΟΝ et.

Ex Chartis D. Hallifax.

ΕΞΑ..... ΝΤωΝ ΑΥΡΗΛΙ..... ΡΗΛΙΟΔωΡ.....
CΤΡΑΤΙωΤΗC ΛΕ.... ΚΗC ΤωΝ ΠΑΤΡωΝ ΤΕΙΜΗC ΚΑΙ
ΕΥΧΑΡΙCΤΙΑC ΧΑΡΙΝ ΕΤΟΥC ΓΞ Φ.

Scriptura Armen. minuscula.

Armen. majusc.

Georgiana minusc. ანბგძ: დეზეზჳ: თიკლიმ: ნიოჯ: უტრრიხო: ცუუვუ:

Georg. sacra. ჲყჯუჯ: ბყყრქშყრ: აიჳკოიბ: ნჳიაო: ყაიძიაჰაა ღაყღაყ

Georg. majusc. ⴗⴖⴕⴑ: ⴛⴘⴕⴘⴆⴒⴓ: ⴓⴝⴊⴆⴝⴕ: ⴂⴝⵔⵔ:

Georg. maxima.

Georg. cursiva.

Alphabetum Natu- rale. Ara- bicum. Magi- cum.

Finis. Finis.

Hancce Persepolitanæ et Palmyrenæ scripturæ [cum aliis] inter se collationem, Reverendissimo in Christo Patri D. Narcisso Div. prov. Archiepo. Dublin. Serenissimæ Regiæ Majestati à Secretioribus Consiliis, lubens meritoq; D.D.D. Autor T.H. cum gratâ Liberalitatis ipsius plusquam ordinariæ memoria.

MBurg sculpt Ultrajecti.

Characteribus habentur. At de *Pyramidalibus* seorsim judicandum, cum in Characterum Numerum non veniant. Sed ad Rem procedendum.

Cum in Palatio *Persepolitano* extent aliquot Inscriptiones, aliquis expectaret eas, vel earum aliquas, esse *Persicas*. Et jam hac Occasione recurrit Quæstio quæ mihi sæpiùs moveri solebat, sc. An dictarum Inscriptionum Characteres sint *veteres Persici*, necne? Affirmo quòd *Non sunt*. Ego enim contuli cum *veteri Linguâ Persicâ*, eâque, tam benè, quàm malè scriptâ, & nullam inveni Convenientiam. Atque præter Differentias in mediis Literarum Partibus, Lineæ incumbentibus, ad *Persicas* pertinent, tam supra, quàm infra Lineam longiores ductus qui non sunt superflui, sed prorsus de Corpore & Essentiâ Literarum habendi sunt: tales autem in *Persepolitanis* non comparent; quæ quidem Observatio ad promptiorem Collationem juvabit.

In *Philosophicis Regiæ Societatis Transactionibus* Num. 201, dantur VI Inscriptiones (quæ ibi notantur Numeris 1, 2, 3, 4, 5, 6,) è Chartis D. *Sam. Flower*, Mercatoris Halebensis, qui Anno 1667 in *Persiam* migrans, ex dicti Palatii marmoreis Muris descripsit Apographa, ad quorum singula sigillatim ille sequente modo scripsit. Nempe ad suos Numeros 1, 2, ait; "*Hæc duo Characterum Genera manent* "*sculpta in Pectore duorum Equorum excisorum ex nigro Monte mar-* "*moreo, apud* NOCTA RUSTAM, *tribus Leucis à Chilmanâr: quorum* "*Equorum unus affirmatur esse Alexandri, alter Rustemi, qui fortissi-* "*mus Persarum Heros circa Tempora Cambysis.* His addit; *Aliquos* "*Persarum autumari Characteres Num.* 1, 4, *esse suos: Neminem* "*autem eos legere posse.* Ad Num. 3, ait; *Hos esse modernos Arabum* "*& Persarum Characteres non ultra D Annos scriptos.* Num. 4; "*Has duas Lineas integrè scriptas esse super Equos Rustemi & Alex-* "*andri.* Num. 5; *Hos Characteres (sive sint antiqua Gavrorum* "*Scriptura, sive Telesmatica quædam,) nullibi nisi apud Persepolim* "*inveniri: hosque esse Partem earum Linearum quæ in albo quodam* "*Marmore Sculptæ cernuntur, eósque à Nemine Persarum hodie in-* "*telligi. Aliquem tamen Missionariorum affirmâsse, eos sciri & in* "*usu esse in Ægypto. Hæc autem videntur scripta à Dextrâ ad Si-* "*nistram, cum Ægyptia potiùs scribantur & legantur deorsum.* "Num. 6; *Hos Characteres insculptos esse Persepoli, ejusdem Antiqui-* "*tatis cum aliquibus præcedentium. Illos videri Affines eis Arabum* "*& Persarum, & Missionariorum aliquos prætendisse se eos intelligere* "*posse.* Hactenus ex Chartis D. *Flower*.

At ad ejus Num. 1, 2, regero; Oculatum quendam Teſtem me certiorem feciſſe, hoſce Characteres non eſſe inſcriptos in Equorum Pectore, ſed in Syrmate veſtis Inſeſſorum juxta Pectus dependente; quod meliùs conſonat Inſcriptionis Contento & Senſui ex *Græcâ* Interpretatione collecto. Ad ejus Num. 1 & 4 dico; Hos Characteres non poſſe eſſe *Perſicos veteres*, qui toto Cœlo ab his diſtincti cernuntur in vetuſtis eorum Libris quos ipſe poſſideo. Præterea, impoſſibile eſt ut duæ illæ Lineæ Num. 4, ritè ſculpantur etiam ſuper Equum *Ruſtemi*, cum contineant tantùm Titulum ſolius *Alexandri*, non autem *Ruſtemi*; ideóque Sculptor neceſſariò erraverit, utrique Equo eadem Verba inſcribendo. Ad Num. 3; Ille verè dicit hos eſſe *modernos Arabum* Characteres: nam ex adſcriptâ *Hegjræ* Ærâ, planè conſtat eos eſſe citra *Mohammedem*. Imò iſta Scriptura eſt citra *Ibn Mokl*, ejuſdem Scripturæ Inventorem, qui vixit circa A. D. 900; de quo videas Clariſſimi *Pocockii* Notas ad *Specimen Hiſt. Arabum*. Et præter illam *Epocham* citra *Hegjram*, & illos Characteres citra *Ibn Mokl*, ibi cernuntur adſcriptæ quædam Vocales & aliæ Notæ orthographicæ quæ Recentiam redolent. Hæc autem Inſcriptio fuit malè ſculpta in Marmore & peſſimè exſcripta, in quâ tantùm hæc pauca ſunt legibilia,

— الملك ——— القهار	— *Rex* ——— *victorioſus*,
بتاريخ شوال سنة ستين ———	*Ærâ menſis Shawâl Anno* 60 ———

Vacantes iſti Ductuli ſupplent Locum eorum quæ legi non poſſunt. Ad ejus Num. 6, dico; Quòd ea Inſcriptio, ex *aliquibus* Characteribus, & *quibuſdam* Vocibus, videatur eſſe *Arabica*; ſed omnia ita malè exarata ſunt, ut videantur quaſi *mixta* ex *Arabicis* & *Latinis*, vel aliis *Europæis*: & prout ibi exhibentur, reverà non pertinent ad ullam Linguam, cum ſint tantùm *confuſanea* quædem & *fortuita* Scriptula, nullâ certâ Intentione exarata.[a] Integra autem iſta Inſcriptio ibi in

a Quam tamen Opinionem noſtram jam corrigendam volumus; rectius docendo, quòd ex accuratiore Examine & ſtrictiore Collatione planè comperimus hæc etiam eſſe *Punica*, ſed diverſi Scriptoris, ſeu Sculptoris Manu (quaſi *Curſivâ Scripturâ*) in Marmore exarata, & malè formata, ſeu multum deformata. Hoc itaque comperto, pro VIII ejuſdem Lineis quas ſupra promiſeramus, jam (ex Chartis quas olim ad me miſit Vir ampliſſimus *D. Chardin*) damus illam Inſcriptionem totam & integram XIV Lineis conſtantem (quæ duplex Inſcriptio videtur) ut Lectori eam cum aliis melius conferre liceat. Notandum vero eſt, quòd *Perſepolitana* ſunt inſcripta *Punicè*, cum Interpretatione *Græcâ*, *Palmyrena* verò conſcripta ſunt *Græcè*, cum Interpretatione

Marmore eiſdem Characteribus extans, conſtat XIII aut XIV lineis, quarum Apographum habeo à ſingulari Amico *D. Chardin*, unde eas *recto* Ordine dabo, Loco earum quæ in dictâ *Tranſactione* dantur *inverſo* Ordine; ubi Sculptor, ſuopte Ingenio, *ſex* Lineas breviores in *duas* longiores tranſpoſuit, & commiſcuit, atque confudit, incipiendo à Siniſtrâ, more *Europæo*, & totius lectionis ordinem invertendo, ubi (ut præſumendum eſt) ἄζυγα *conjunxit*, σύζυγα *diremit*, εὔζυγα malè *disjunxit* & ἀσύζητα *fecit*: ideóque, tali in caſu, nihil Sculptorum Conductui relinquendum fuerat. Exceptis verò vocum Tranſpoſitionibus, ſimplices Characteres exactè congruunt cum eis *D. Chardin*, & cum eis qui cernuntur in *les Beautez de la Perſe*. Nos itaque ſub eodem Num. 6, pro ejus II Lineis, meliore Ordine dedimus VIII Lineas loco τῶν XIII; omittendo V Lineas poſtremas, cum in Laminâ Æneâ non relinqueretur tantum Spatium quod integram XIII Linearum Inſcriptionem capere poſſet.

In noſtrâ de his Diſſertatione, primò (quia paucis id fieri poteſt,) expediam Inſcriptiones Græcas quæ, Interpretationum loco, juxta alias Exoticas apponuntur. Et ſanè in his conſtat, Sculptorem valdè ignarum fuiſſe, dicta Græca falsè & imperitè in Marmore ſculpendo. Quamvis verò tam malè id fecerit, quid tamen voluerit, hariolari liceat: nam pro corruptâ Pronuntiatione ΑΡΖΑΝΔΡΟΥ, ſeu ΑΛΖΑΝΔΡΟΥ, proculdubiò voluit ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Ea itaque quæ ad Num. 2 corrupta cernuntur, ſecundum Sculptoris primam Intentionem reſtituenda & rectiùs legenda cenſeo ſequente modo; viz. ΤΟΥΤΟ ΤΟ ΠΡΟCωΠΟΝ ΜΕΓΑΛΟΥ ΘΕΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΒΑCILΕωC ΒΑCILΕωΝ ΑCIΑΝωΝ ΑΓΑCΘΕΝωΝ ΥΙΟΥ ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΒΑCILΕωC: niſi pro ΑΓΑCΘΕΝωΝ legeris ΑΠΑΝΤωΝ. Et quoad alteram Inſcriptionem *Græcam* quæ, Interpretationis loco, ſupponitur eſſe ſuper Equos *Alexandri* & *Ruſtemi*, in harum neutrâ (quantum ſcimus) exprimitur *Ruſtemi* nomen, ſed tantùm *Alexandri*: ſic autem reſtituenda videtur Pars *Græca* ſecundum mentem Sculptoris, ΤΟΥΤΟ ΤΟ ΠΡΟCωΠΟΝ ΔΙΟC ΘΕΟΥ, adulando *Alexandrum* ſub nomine *Jovis*, plus quam Sacerdotes *Ammonii*, qui eum tantùm *Filii* Nomine compellârunt; unde ille ſe *Jovis Filium* reputans, ad ejuſdem Æmulationem, *Arietina* Cornua in ejus Icone ſemper cerni voluit.

pretatione *Punicâ*. Et quidem *Palmyræ*, tam *Punica*, quam *Græca*, videntur ſcripta 200 aut 300 poſt *Chriſtum* Annis.

Perſe-

Perſepolitanæ Inſcriptiones ſunt peſſimè exaratæ; adeò ut, qui eas cælaverit Sculptor, illas eâdem operâ celâſſe dicatur. Et, quod adhuc deterius eſt, ab *Autographo malo* impoſſibile eſt quin factum fuerit *Apographum pejus* ab eis qui illas Linguas non calluerunt: nam in *Apographis*, ex illis lineolis, ſeu ductibus, qui literarum abſentium loca ſupplent, planè videmus, aliquot integras Literas, Temporis diuturnitate, in Marmore totaliter obliteratas eſſe & deletas, & novâ quâdam ſulcatione, in molliore Marmoris venâ, aliarum Literarum aliquot Ductulos eſſe extritos, & alios adventitios Scriptulos ſuperfluos eſſe ſuperinductos & intritos, ex Aëris Corroſione, atque fortuitâ Exeſione; adeò ut, dum ipſe Aër & ipſum tempus vetera deleant & exedant, & nova ſcribant exarentque, talis, inquam, veteris veræ Scripturæ Deletio, & novæ Exaratio, in ignari Lectoris detrimentum cedunt, & quemvis Exſcriptorem confundunt & ſeducunt, dum is tale malum, atque, eo modo, depravatum Exemplar præcisè imitari coactus ſit: adeò ut, Sculptorum Imperitia, & Temporis Injuria, maximè hiſce Rebus officiant & obſtent. Hæc, inquam, ſunt incommoda, quæ (quantum fieri poſſit) evitari debent: nam omnes Sculptores non ſunt æquè periti, & (ut dictum) Tempus arat Marmora & ſulcat Saxa duriſſima.

Et facto jam hoc judicio de *Arabicis* & *Græcis*, properamus ad diſquirendum qualia ſint altera illa tam *exotica* & *barbara*, quæ, ex haud obſcuris Indiciis, etiam conſtant eſſe peſſimè exarata ab imperito Sculptore. Nam per magis nota *Græca* & *Arabica* jam dicta, procedimus judicare de minùs notis iſtis Exoticis; ſcil. ex Sculptoris Imperitiâ in eis quæ novimus, judicium faciendum cenſemus de eis quæ non novimus. Ut itaque de his ignotis Diſquiſitionem noſtram ritè ordiamur, quovis moto lapide; præmittimus, omnibus notum eſſe, quòd in *Perſiam* aliquando penetrârunt *Gothi*, & *Vandali*, & *Hunni*; unde aliquis conjiceret dictam Scripturam ab aliquâ harum Gentium profectam fuiſſe. Sed ea *Gothorum* & *Vandalorum* plane non convenit: & quoad *Hunnos*, *Procopius de Bello Perſico* cum eis, dicit *Hunnos (qui Maſſagetæ) nullas habuiſſe Literas, ne quidem ad ſcribendum Epiſtolam, nec Filios ſuos in Literarum Lectione unquam educâſſe, ſed prorſus Literarum rudes reliquiſſe, nec eos unquam de Literis audiviſſe.* Sunt qui (propter *Tatarorum* viciniam, & in *Perſiam* Irruptiones,) probabile exiſtimant hanc Scripturam eſſe *Tataricam*. Sed cùm ab eodem Sculptore adjuncta ſit Interpretatio *Græca*, quis *Tatarorum* potuerit ſcribere *Græcè?* Prætereà cùm iſtæ Inſcriptiones ſint in laudem *Alexandri*, impoſſibile



Reverendo Viro IOHANNI LAUGTON *Coll. S.S.* Trin. Socio *et* Biblioth. publicæ Cant. Custodi, *necnon* Eccl. Cathed. Wigorn. Præbendario, *hanc* Mogulensium Tatarorum *qui Chinam regunt scripturam, Gratitudinis ergô lubens meritóq; D.D.D. Autor T.H.*

MBurg. sculp.

TAB.XVI. pag.551.



Reverendo Viro THOMÆ BURNET S.T.D.^ri Cartusiæ Lond. (vulgo la Charetreuse) Magistro, hanc Mendæorum seu Nabatæorum in Chaldeâ Scripturam Gratitudinis ergô lubens meritóq; D.D.D. Autor T.H.

MBurg. sculp.

TAB.XVIII. pag.552.



Reverendo Viro THOMÆ HARRISON Coll. Sidneyensis Cant. Socio hanc Tatarorum Kataeorum Scripturam Gratitudinis ergô lubens meritóq; D.D.D. Autor T.H.

[inter p. 551. et 552.

Admodum Reverendo in Christo Patri, IOHANNI div. perm. Episcopo Litchfeldiensi et Coventriensi, *Collegii Magd. Oxon.* Præsidi *dignissimo, hancce* Tatarorum de Boutan *scripturam suo genere elegantissimam, Gratitudinis ergô lubens meritoq; DDD. Auctor T.H.*

Burghers sculpt. Uni. Ox.

impoſſibile eſt ut *Tatari* aliquid in ejus laudem ſcripſerint, quaſi is fuerit illis *Amicus*, aut *notus*; cum certè nec eis *Amicus* fuit, nec *notus*; niſi fortè olim ante MM Annos, ipſo Tempore quo vim illis intulit, quare illius Memoriam (ſi tam diu retentam) potiùs exoſam habuerint. De iſtâ itaque Scripturâ facilius eſt dicere *negativè quid non ſit*, potiùs quàm *poſitivè quid ſit*. Quia verò aliqui ſuſpicantur eſſe *Tataricam*, appoſui aliquot Exemplaria, ſeu Specimina *Tataricæ* & vicinarum Linguarum, ad inſtituendum Collationem, ut inde fiat Conjectura. At quidem non proponam Collationem cum Scripturis *Indicis* (qualis eſt veterum *Brachmanorum*, in Linguâ *Sanſcroot* la *Náugeri*, & *Malabar*, & *Selàn*, & *Tulinga*, & *Pegu*, & *Siam*, &c.) quia hæ Gentes ſunt à *Perſepoli* prorſus remotæ, nec unquam *Perſiam* invadunt, quod quotidiè faciunt *Tatari*, & omnibus ævis fecerunt. *Indi* enim rarò extra Patriam vagantur: ſed *Mogulenſes* & alii *Tatari* aliquando uſque ad *Europæ* fines penetrârunt. Horum itaque Scripturas, inquam, appoſui, causâ vel conferendi, vel contrarium demonſtrandi. Et, eâdem de Cauſâ, appoſui etiam Scripturam *Mendæorum*, qui ſæpe fuerunt ſub *Perſis*, & ſæpe in *Perſiâ* verſati: atque adjunxi Scripturam *Armenorum*, & *Georgianorum* ſeu *Iberorum*, qui ſunt *Perſis* proximi, ut mox infrà dicetur.

Ut itaque ſatisfiat Curioſitati & Dubio eorum qui ſuſpicantur eſſe Scripturæ *Tataricæ* aliquod genus, heic apponuntur omnia ſcribendi genera apud eos uſitata: & quidem primò, *Scriptura Tatarorum Mogulenſium* (ſeu ut *Chinenſes* vocant *Mo-co Ta-ta*) ultra Montem *Imaum* ſupra *Chinam*, qui & *Chinam* hodie regunt. Hi *non habent Alphabetum*, ſed, more *Chinenſium* & *Japanenſium*, pro ſingulis vocibus, diſtinctos habent Characteres deorſum legendos: non autem (ut *Chinenſes*) à dextrâ Columnâ incipiunt, ſed à ſiniſtrâ, ſuo more *Tatarico*. In hacce Linguâ poſſideo integrum Libellum, *Sinicè* & *Tataricè* columnatim impreſſum, ex dono Amici mei *Chinenſis* D. *Michaelis Shin-Fo-çungh Nankinenſis*, qui hodie in urbe *Nankin* ſuperſtes, ut à noſtratibus audio. Specimen autem quod dedi, non eſt ex dicto Libello; ſed ex aliâ Chartâ MS, ubi liberiores erant ductus Literarum, quæ in dicto Libro, ex Spatii penuriâ, coarctatæ. Penicillo ſcribunt, *Chinenſium* more, ut & *Boutanenſes*; cum tenuis eorum Charta non ferat Calamum arundineum, nec Pennam anſerinam.

2. Secundò damus *Scripturam Tatarorum de Boutan* (al. *Boutunt*) citra *Imaum*, ſupra *Indiam*. Hujus Lectio eſt à dextrâ: & hocce ejuſdem elegantiſſimum Specimen eſt, id quod vulgò ſonat, *un Paſport*,

port, ſeu *Salviconductûs Literæ*, à Principe Urbis & Provinciæ de *Boutan* datæ, nuperis annis, *Chogja Ouanni* (i. e. *Domino Joanni*) Mercatori *Armeno* ibidem negotianti: & dictus Princeps Nomen ſuum (ut vides) *Sigilli* Loco & Formâ majuſculis & implicatis Characteribus infrà appoſuit. Talis Sigilli Impreſſio *Arabibus* dicitur توقيع *Taukîa*, *Perſis* & *Turcis* طغرا *Togrâ*: unde, apud eos, talis Majuſculorum Characterum Scriptor, aut talis Sigilli Factor, vel Appoſitor ſeu Principis Subſignator, vocatur *Togräî*. Has duas Chartas amiciſſimè nobiſcum communicavit ſingularis Amicus D. *Joh. Evans* S. T. D. nuperis Annis ex *Indiâ* redux. Vel de iſtis, vel de ſequentibus intelligendus videtur *Haytho*, qui dicit, *Cathayni* valde pulchras habent Literas, quæ *Latinis* Literis in Pulchritudine, quodam modo, ſimiles ſunt.

3. Tertiò damus *Tatarorum Scripturam dictam* دلبرجين *Delbergjîn*, quæ uſurpatur in *Oighûr* (vulgò *Jougour*) citra *Imaum*, ſupra *Perſiam* ad Borrapelioten, atque (dicente *Arabſhahide*) in *Chitâ*, viz. in *Chataia* illâ quæ in Globis: non autem in *Chinâ*, quæ CD abhinc Annis etiam dicta eſt *Chatâ*, ſeu *Katâ*. Iſti *Tatari Chataienſes*, ſeu *Kytæi* (inquit *Johannes de Plano Carpini*, D abhinc Annis ad eos Legatus,) erant *Neſtoriani*, & nullas habebant Literas, donec tandem, circa CDL abhinc Annis, Victor evadens ille Monarcha *Gjenkiz-chân*, (qui quartæ Gentis *Mogolicæ* يكا مغول *Yeka Mogûl*, ſeu *Magnorum Mogulenſium* Dominus,) ſuos Characteres *Mogulenſes* eis obtruſit. Et poſteà circa CCC abhinc Annis (ut ex *Arabſhahide* colligi poſſe videtur,) commodiores nacti ſunt Literas, quas heic vides. Præſens iſtius Scripturæ (à dextrâ etiam legendæ) Specimen eſt prima Pagina MS Libri *Tatarici*, inter Codices *Huntingtonianos*, elegantiſſimè & nitidiſſimè conſcripti, qui (ex *Rubricis*, quas ſuperiùs lineolis notavimus) videtur eſſe *Leges* dicti Imperatoris eorum *Gjenkiz-chân*. Iſte Liber ab aliquo *Arabe*, qui eum legere non potuit, in Oriente, inſcriptus eſt, in exteriore foliorum Limbo, كتاب لا يقرا حطه *Liber cujus Scriptura non legitur*, ſeu *non poteſt legi*. Et quia unà cum aliquot *Mendæis* libris coëmptus, à noſtratibus pro *Mendæo* habitus eſt: mero autem caſu ſolitarius extra Patriam vagatus eſt, quod aliàs nunquam factum, ideo ut rarum quid habendum eſt. Ejus Charta, ſatis ſolida & bona, eſt vel *Cotonea*, vel *Arundinea*. *In iſto Charactere* (inquit *Arabſhahides* ante CCC Annos *Arabicè* ſcribens,) *Tatari-Kytæi ſcribunt omnes Libros & Hiſtorias ſuas, & Itineraria, & Poemata, & Diplomata ſua, & omnia Syngrapha ſua, & Proceſſus Divanenſes ſeu Forenſes, &*

Leges

Leges Gjenkiz-chanenſes, & Regiſtra ſua, & omnia cujuſcunque generis Scripta ſua. Hæc itaque eſt Scriptura quâ utuntur orientales *Turcæ* (partim *Chriſtiani*, & *Mohammedani*, & partim *Idololatræ*) in *Tatariâ*, unde orti ſunt noſtri *Turcæ Europæi.* Sed tam de *Turcis Europæis* & *Mohammedanis*, quàm de *Perſis Mohammedanis*, pariter dicendum eſt, quòd utrique, Religionis Cauſâ, deſeruerunt ſuam Scripturam avitam, eandem commutando pro *Arabicâ*, quâ uſus eſt eorum Propheta *Mohammed*; ſpernentes omnes Characteres, ut pollutos, qui in alienâ & falſâ Religione uſurpantur. Eâdem de Cauſâ, ſpernunt omnem *Judæorum* Scripturam, & eorum Characteres, & Libros, quippe quos nullus *Muſlimanorum* legere dignabitur: hinc eſt quòd apud *Turcas* quorumlibet Librorum Scriptio, aut Impreſſio, ſit licita in *Judaicis*, aut alienis Characteribus, at non item in *Arabicis.* Et Libros *Arabicos*, aut *Perſicos*, quamvis orthodoxos, aut quidvis aliud, in *Arabicis* Characteribus, Chriſtianorum more, imprimere eſt capitale. Cæterum quoad *Tatarorum* Literas, addo quòd in جغتاي *Gjágatai*, & *Tatariâ citeriore* utuntur fere eiſdem Literis cum *Delbergjîn*, qui in *Tatariâ ulteriore*; at paucioribus, (viz. XIV pro XLI aut LX,) quæ in *Gjágatai*, ſeu citeriore Parte, vocantur Literæ اويغور *Oighûr*, ſeu ulterioris Partis, ut tradit dictus *Arabſhahides.* *Petrus Vattier* ex eo malè legit *Avigûr*, verum *Tatarici* Nominis ſonum non aſſequendo. In his pauciorem Numerum efficit, quòd Aſpiratæ Literæ & eæ craſſioris ſoni omittantur, & quòd plures Gutturales, & aliæ ſimilis ſoni, uno eodemque Charactere exprimantur: quicunque autem hæc *Tatarica* novit ſcribere, dives erit, cum rarum ſit. Scribunt (ut ex æquali Literarum ductu videtur) bene aptato Calamo, ſeu Arundine Scriptoriâ, in Chartâ mediocriter craſſâ & bonâ, & Atramento, quale eſt *Perſicum*, quod madente digito facilè eſt delebile. Et hoc modo puto me recenſuiſſe totius *Tatariæ majoris* Characteres, ab unâ Extremitate ad aliam. Nam quatenus à *Moſcovitis* audio, Septentrionale *Tatariæ* Latus, per quod eſt Iter à *Moſcoua* ad *Chinam*, per totam ejus Longitudinem rarò utitur Literis; nam ibi illiteratâ & agreſti Vitâ in Cavernis & Sylvis vivitur. Et hinc eſt quòd ita varientur eorum *Septentrionalium* Linguæ, quia ſc. Scripturâ & Literis non reſtringuntur. Nam (dicente *Moſcovitarum* ad *Sinas* Legato,) *inter Moſcouam & Chinam ſunt ſaltem L Tatarorum Gentes, diverſis Linguis utentes:* vel ſaltem *diverſis Dialectis*, ut fit in *Americâ*, ubi etiam Literarum uſu deſtituuntur.

4. Quartò, dedimus *Scripturam Mendæorum ſeu Nabathæorum in Chaldæâ*, quæ ibi eſt Literarum & Linguæ *Chaldæorum* & *Aſſyriorum* Corruptela, ſeu Reliquiæ corruptæ; dum eorum Lingua in Pagis *Aſſyriæ* jam hodie manet incorrupta. Specimen heic datum, eſt prima Pagina Libri *Mendæi* (qui eſt eorum *Chûdra*, ſeu *Liturgia*,) inter Codices *Huntingtonianos* in *Bibliothecâ Bodleianâ:* & hi à dextrâ legunt ut *Judæi*, & Calamo ſcribunt in Chartâ craſſâ bombycinâ, ut *Syri*. Dictæ *Chudræ* Specimen olim dedit *Thevenotus* in ſuis Collectaneis, ubi etiam eorum *Alphabetum* appoſuit. Iſti *Mendæi* alias vocantur *Chriſtiani Sancti Joannis*, qui habent ſtatam Liturgiam, ſeu *Totius Anni Cyclum*, ut eſt *Judæorum* מחזור *Máchazor*, eodem ſignificatu.

5. Quintò, in hacce variorum Characterum Collatione, (propter viciniam *Perſidi*) non omiſi dare *Armenicos*, atque *Ibericos* ſeu *Georgianos* (qui *Colchici* & *Gurienſes*) valdè miros & peculiares, ex *Maggii Syntagmate Linguarum orientalium:* hocque, ut non omittatur Collatio cum quibuſvis Characteribus ullius Gentis quæ in viciniâ *Perſidis* ſita eſt. Et ſanè horum Characterum, quos hactenus vidimus, nulli ad *Perſepolitanos* accedunt. Hæ dictæ Linguæ, *Europæorum* more, à ſiniſtrâ ad dextram leguntur. Cum his etiam dedi Alphabetum قلم طبيعي *Scripturæ Naturalis*, ut vocatur, & exhibetur in Calce Codicis MS *Arabici*. Dedi etiam Alphabetum Scripturæ *Scientiarum Occultarum*, ſeu *Magicarum*, ex MS *Perſico* penes me ſervato. Hujuſmodi Characteres viſuntur in MS *Arabicis* de Rebus *Magicis* agentibus, atque apud *Theſeum Ambroſium* in *Grammaticâ Chaldaïcâ*, ſub Nomine *Scripturæ Diaboli*. Hæc dedi, Collationis ergò, ut Scripturam *Perſepolitanam* hujuſmodi non eſſe compareat.

6. Sextò, cum Quæſtio ſit de Scripturâ *Perſepolitanâ*, & (propter aliorum ſatisfactionem) monſtraverim qualis ea *non ſit*; ideò, ut non ſemper acquieſcam in negativis, jam proximè conabor monſtrare qualis reverà ſit *affirmativè*, vel ſaltem ut detur Fundamentum pro conjecturâ probabili. Et quidem, Re altè perpenſâ, ad Scripturam *Perſepolitanam* proximè accedit ſola *Palmyrena*; quam itaque in eâdem Laminâ dedimus. Ea enim propior accedit quàm reliquæ; tam prope, inquam, ut multæ ejus Literæ ſint prorſus eædem cum *Perſepolitanis*, & utriuſque Lectio videtur eſſe à dextrâ. Cæterarum diſſimilitudo poteſt eſſe in Diverſitate Manûs Scriptoris, ut in noſtris Scriptis quotidiè videmus; ut ⊓· eſt in altera Inſcriptione π. Et aliquæ

quæ earum, ob diverſum ſitum, diſſimiles videntur, cùm alio differente ſitu ſint conciliabiles; ut 𐤍 deverſum, ſit 𐤏 erectum, cum ejuſmodi aliis. Et præter Characterum Similitudinem, in utriſque (ſcil. tam in Inſcriptione *Perſepolitanâ* quàm in *Palmyrenâ*) concurrit idem mos adjiciendi Interpretationem *Græcam*, idemque ſcribendi cum ω & ε, loco Ω & Ε: adeò ut Sculptor aliquis *Palmyrenus* videatur *Perſepolitanam* Scripturam exarâſſe, quia, *Palmyrenorum* more, *Punicè* ſcripſit, & *Græcè* explicavit. Et in harum Collatione (cùm idem Scriba utramque non ſcripſerit,) notandum eſt, quòd præter Scribarum Differentiam, quæ aliquam Diſſimilitudinem induxerit, aliquot Literarum Ductuli, qui in hac diſtincti ſunt, ut duæ diverſæ Literæ, in alterâ fortè conjuncti, unam tantùm faciant Literam. Hoc videmus in *Palmyrenis*, & in *Perſepolitanis*, conferendo *duo prima Verba Inſcriptionis primæ* cum *duobus primis Verbis Inſcriptionis ad Num.* 4; quæ inter ſe differunt, quamvis (ut ex appoſitâ Interpretatione *Græcâ* apparet,) debuerant eſſe eadem: ſed planè non ſunt, ut conferenti liquebit. Talia certiſſimè arguunt Sculptoris Incuriam & Ignorantiam, cum ſibi ipſi non conſtet. Malè itaque exarata fuiſſe audacter pronuntiabimus. Accedit quoque (quod in *Græcis* etiam videmus,) aliqua, Temporis Diuturnitate, eſſe obliterata & deleta, & alia, eodem Temporis Eſu, eſſe ſuperaddita, & de novo ſulcata & exarata, dum Tempus edax Rerum primò in molliores Marmoris Partes operatur. At ſi *Perſepolitana* cum *Palmyrenis* conveniunt, jam poſt hæc omnia recurrit Quæſtio; *Quâ Linguâ ſunt Inſcriptiones Palmyrenæ?* Cui Quæſtioni reſpondendum videtur, *Quòd cùm Palmyra non ſit procul extra Phœniciæ Oras, videantur eſſe in Linguâ Phœnicia:* ſunt nempe *Punica, Græcè* ſimul interpretata. Si objicitur, *quòd in his viſantur diverſæ Literæ plures quàm quæ reperiuntur in Phœnicum Alphabeto*; talis, inquam, Exceſſus oriri potuerit ex prædictâ Cauſâ, ſc. quòd Literarum Ductuli, alicubi diſtincti, duas Literas faciant, &, alicubi conjuncti, in unam Literam coaleſcant, & unicam Literulam conſtituant. Hoc eſt (unà cum Sculptoris Ignorantiâ & Sculpturæ Depravatione,) quod impedit quò minùs hæ Inſcriptiones ab aliquo hodiè legantur. Inſcriptiones itaque *Perſepolitanæ*, quæ *Punicæ* eſſe habentur, debent fuiſſe citra Tempus *Alexandri*, cum ejus Nomen contineant: & non videntur exaratæ Juſſu Superiorum, qui procul dubiò curâſſent meliùs fieri; ſed potiùs otiantium Luſu factæ, Diverſionis Gratiâ. Quin & omnes illæ verborum Inſcriptiones fuerunt miſeræ aliquæ Scriptitationes, fortuitò factæ, fortè per aliquos impe-

ritos Milites ibi aliquando otiantes, ſcil. otioſorum quorundam Scripturientium & Sculpturientium luſus, ut ſolent noſtrates, in Ædificiorum ſummitates aut altas Turres aſcendendo, aliquid ibi in plumbo ſcriptum relinquere, Memoriæ cauſâ, quòd ipſi aliquando ibi fuerunt. Hæc itaque novitatem redolentia, non habent multum Antiquitatis, & nihil Autoritatis præ ſe ferunt. Proh Deum! quòd tales Nugæ, Curioſorum animos vexaturæ, & Criticos irritaturæ, per omne ævum in Marmore perennentur.

Sed ut abſolvamus Reſponſum ad D. *Floweri* Obſervationem in ſupradictâ *Tranſactione*, ad ejus Num. 5. De duabus illis Lineis Ductuum, ſeu Scriptulorum pyramidalium, quæ ibi dantur è Chartis D. *Flower*, reſpondeo, illas Lineas nec eſſe *Gavrorum* Scripturam, nec *Teleſmatica* quædam, nec uſurpari in *Ægypto*. Iſtiuſmodi enim Ductuli *Pyramidales*, ſeu *Cuneiformes*, non veniunt in *Gavrorum* Literis, nec in *Teleſmaticis*, nec in *Hieroglyphicis Ægypti*; ſed tales Ductus (tam inter ſe invicem juxta poſiti, quàm per ſe invicem tranſmiſſi) ſunt peculiares *Perſepoli*, nec alibi terrarum cernuntur: nec repræſentant Ignem, quippe cujus Pyramidalis Figura ſemper ſurſum, & nunquam deorſum tendit. At quas *Flowerus* dicit extare in *albo* Marmore, *Gallicus* quidam Autor ait eſſe in Marmore *nigro*. Neque ea eſt Literarum aut Characterum aliqua Scriptura legenda, ſed tantùm Sculptura ornamenti cauſâ. D. *Herbertus* in *Itinerario* ait, *Perſepoli* extare tales lineas XX in Pariete marmoreo, & (ſi rectè memini,) harum linearum ſingulas eſſe III Pedes latas. Si hoc ſit verum, eſt ſanè prodigioſum; nam (cum juſtis inter ſingulas interſtitiis,) tales XX lineæ implebunt Aream ſeu Tabulam, cujus Quadratura eſt LXXX Pedum, quod ſuperat fidem. Hac Ratione, ſinguli Ductuli, ſeu Pyramides, debent habere Longitudinem tot Gladiolorum ſeu Pugionum. Aliàs, ſi quævis linea in latitudine haberet tantùm unum Pedem, totus Complexus impleret Aream ſeu Quadraturam XXX Pedum, quæ magni alicujus Collegii unum Latus æquaret. Hæc Sculptura (qualiſcunque ſit) videtur *valde antiqua*, cum ipſo Palatio coæva: nam tam ampla in Pariete Tabula marmorea, cum tam copioſâ Sculpturâ, non potuit eſſe fortuita Opera alicujus otiantis Sculptoris, uno aut altero Die, ſicuti ſunt reliquæ Inſcriptiones; ſed neceſſariò fuerit laborioſum aſſidui Operarii Opus per aliquot menſes, idque in primâ Palatii Extructione. Quicquid ſit, iſtud *Floweri* Ectypum eſt magis accuratum quàm quod hactenus vidimus: is enim (quod peculiare eſt, & notatu digniſſimum,) exactè notavit Interpunctionem ab aliis omiſ-

ſam,

ſam, quæ tamen ad Rem meliùs intelligendum multùm juvat. Tres lineæ, quas dedit *Herbertus* & *Thevenotus*, dicta Interpunctione carent, unde ſunt nullius Momenti. In ſupradictâ *Regalis Societatis Tranſactione* dantur tantùm II Lineæ: ſed plures ejuſmodi Lineæ erant in originalibus *Floweri* Chartis, jam proh dolor! amiſſis.

Sunt qui putant, neceſſe eſſe ut hiſce Pyramidalibus Figuris exprimantur Literæ, ex quibus aliquæ Voces conflatæ. Me autem judice, non ſunt Literæ, nec pro Literis intendebantur: ſed fuerunt ſolius Ornatûs cauſâ, in primâ Palatii Extructione, merus luſus primi Architecti, qui ludendo tentavit, quot Figurationes, à ſe invicem diverſæ, à vario talium Ductulorum ſeu Scriptulorum ſitu, & diversâ eorundem Poſitione & Compoſitione, oriri poſſent, ita ut, ne duæ harum inter ſe convenirent: quæ quidem Figurationes inter ſe invicem diſtinguuntur, & ſigillatim dignoſcuntur, per dictam Interpunctionem, ſine quâ ſciri non poſſent. Architectus itaque, ejuſve Sculptor, propoſuit Figuram Cunei, ſeu Gladioli, tentando quotupliciter diverſo ſitu variari potuit, ſcil. ex vario eorum ſitu, & diverſâ eorundem poſiturâ, quotuplices Figurationes exurgerent, quáſve exhibere poſſet, pro Phantaſiæ ſuæ Exercitio. Hi enim Ductuli Scriptulive diſpeſcuntur in tot Figurationes, inter ſe diſcrepantes & diſtinctas, ubi omnis Figuratio (ſive uno Scriptulo, ſive plurium Scriptulorum complexu conſtet,) Interpunctione ab aliâ diſtinguitur; quæ quidem inter ſingulas Configurationes Interpunctio indicat eas non poſſe eſſe Literas, eáſque à Vocum Compoſitione abſolvit. Nec ſunt ſimplices Vocum Characteres, quippe qui Mos in Linguâ *Perſicâ* nunquam obtinuit. Non itaque ſunt Literæ Vocem componentes, nec ſimplices integrarum Vocum Characteres; nam ſive hoc, ſive illo modo, accipiantur, certè vel eadem Litera, vel idem Character, in hiſce Lineis aliquoties recurreret & repeteretur: quod non fit. Lector itaque diligenter perpendat, an eadem Figuratio, aut idem Character, bis occurrat, necne: aliàs enim noſtrum Augurium nil valet. Ponendo autem ſingulas Figurationes eſſe tot diſtinctas Literas ex quibus Voces conflentur, tum ſequeretur ut inter ſingulas Vocum Literas eſſet Interpunctio, quod planè abſurdum, cum ex eis illo modo Vox componi non poſſet. Omnes itaque Voces *Perſicæ* componuntur ex pluribus Literis quæ Interpunctionem non admittunt. Fateor quidem, hunc eſſe *Veteris Linguæ Perſicæ* morem, ut ſingulæ integræ Voces à ſe invicem diſtinguantur ſimplicibus Punctis: unde ſi fingeretur dari integrarum Vocum ſimplices Characteres, ſeu Monogrammata, ut fit in Linguâ *Sinicâ*,

Sinicâ, tum poſſibile eſſet ut tales Figurationes, ſeu Monogrammata, non eſſent ad *Ornatum*, ſed Lectioni inſervirent. Sed cùm talis Mos in Linguâ *Perſicâ* nunquam obtinuit, ceſſandum eſt à tali Conjecturâ. Si autem talia Monogrammata acciperentur ut tot ſimplices Characteres ex quibus componerentur Voces, certè, hoc modo, nullius *Perſici* Regis Nomen in his contineretur : tum enim ad unius Nomen conflandum accerſendi eſſent totius integræ Lineæ Characteres ; cum nullius Regis Nomen uno Charactere, aut unâ Litera, conſtet, (ut fit Lingua *Sinicâ*, *Japanicâ*, & *Mogolicâ*,) ſed omnia eorum Nomina ſunt polyſyllabica. Cum itaque in Linguâ *Perſicâ* non ſint aliqui ſimplices Vocum Characteres, & dictæ Figurationes non ſint tales quæ Vocem aliquam componant, ergò hi Characteres, ſeu Figurationes, non poſſunt eſſe Voces, nec Literæ legendæ, nec tali uſui ſerviunt ; ſed tantùm Ornatûs & Luſûs Gratiâ adhibentur. At poſt omnia (quod palmarium eſt) ex punctorum ſitu, conſtat harum Figurationum, ſeu horum Monogrammatum, Ordinem eſſe à Siniſtrâ ad Dextram, contra Ordinem Linguæ & Lectionis *Perſicæ :* ad quam itaque non pertinet dicta Inſcriptio.

XI.

Pag: 330. Notus ille Autor *Georgius* المكين *ElMakînus* (qui fuit *Chriſtianus*, aliter dictus العميد *Al Omeid*,) ex ſolo *Tábari* optimè contexuit à *Mohammedis* Tempore Hiſtoriæ Compendium, quod eſt *Elmacini* Pars ſecunda, quam *Arabico-Latine* edidit *Erpenius*. Et idem *Elmacinus*, in priore ſui Chronici Parte ab *Adamo* ineditâ, ſatis benè recitat ea quæ ex S. Bibliis deſumpſit. Sed quam cum eis miſcet profanæ Hiſtoriæ Partem, ex aliis Autoribus corraſam, miſerè tractat, Mendaciis & Nugis ſcatens : miror ubi (omiſſis tot melioribus Hiſtoricis,) invenerit tot tantoſque Nugatores, quibus in ſuo Chronico uteretur, eóſque potiùs quàm meliores ex Delectu ſequeretur. Ideóque, ut prior Pars eſt hactenus inedita, ſic nec ullo unquam Tempore edi merebitur. Ibi enim, de Rebus *Perſicis*, ubique citat quendam زربهار *Zurbahâr*, nullius Autoritatis Autorem, qui poſt *Darium Hyſtaſpem* adducit *Smerdin*, quem ponit regnâſſe XIII Annos ; quamvis (*Elmacino* fatente) omnes alii Hiſtorici, præter *Zurbahâr*, ei dent tantum unum Annum. Iſte itaque Chronologus *(Elmacinus)* in Vitâ *Smer-*

dis

dis egregium & apertum de *Zeraduſhto* admiſcet Mendacium, contra Fidem omnium bonorum Autorum qui Res ejus unquam tractârunt. Ideóque nolui talia in noſtri Operis Corpus inſerere, ſed in hunc Locum rejeci, ut nullius Autoritatis Hiſtoriolam ſeu Fabulam; quæ talis eſt. Ibi, inquam, de زراداشت الفارس *Zerâduſht Perſâ* ſic refert;

عمل كتاب يعرف بالاستنشاه مكتوب في اثني عشر الف جلد ثور مخيط بالذهب شرح فيه مذاهب المجوس وعلومهم واتخذ بيوت النيران وعمل تخاريف ووافين اهل فارس بسحره وفي السنة الثانية عشر من ملك سمرديوش قال زراداشت لطلبه وتابعيه اذا امتزجتم بي وامتزجت بكم حصلت الشريعة للنجاة قالوا كيف نمتزج بك ونمتزج بنا قال بان تاكلوا لحمي وتشربوا دمي في الوقت الذي اعرفكم به فخافوا ان يرجع عن هذا الراي ثم سلقوه في خلقين كبير الي ان تهري لحمه عن عظمه وشربوا منه بالجماوات حتي امتزجوا به كما قال لهم ، واستمدت دعوته بما ينيف عن الف وخمسماية سنة ومات سمرديوش لتمام خمسة الف واربعون سنة ونصف للعالم

Fecit Librum vocatum Iſtinſhâh, 1200 *Coriis Taurinis ſcriptum & Auro ſtriatum, in quo Magorum Sectas & eorum Scientias expoſuit. Ille paravit Ædes pro Ignibus: & finxit Mendacia, adeò ut Perſidis Incolæ eſſent prorſus addicti Faſcinationibus ejus. Et Anno XII Regni Smerdis, Zerâduſht Clientibus & Aſſeclis ſuis dixit; Quando fueritis commixti mecum, & ego commixtus fuero vobiſcum, obtinebitur* [ſeu *extabit*] *Lex pro Liberatione. Reſponderunt; Quomodo commiſcebimur tecum, & tu commiſceberis nobiſcum? Dixit; Eò quòd edetis Carnem meam & bibetis Sanguinem meum Tempore quod vobis indicaturus ſum. Illi itaque metuentes ne ab hac ſuâ Sententiâ recederet, elixârunt eum in Abeno maximo donec ab Oſſibus decideret Caro ejus, & ex eo biberunt in Scyphis, ut cum eo commiſcerentur, prout dixerat. Et* [à Tempore Elmacini] *Prætenſio ejus diſtabat prope* 1500 *Annos. Et obiit Smerdes Anno Mundi* 5040 *cum dimidio.* Hæc Phraſis *edendi Carnem* & *bibendi Sanguinem* ejus, videtur ſumpta à Verbis *Chriſti*, longè poſt *Zoroaſtris* Tempora. Hoc itaque eſt Mendacium non ſat benè fictum: quin etiam errat in Nomine Libri, ponendo *Iſtinſhâh* pro *Abeſtâk*.

Et

Et prætereà planè ſtultum eſt imaginari illum ſcripſiſſe de variis eorum Sectis, qui voluit omnes eſſe ejuſdem Sectæ, i. e. Religionis ſuæ. Sed certè mira & inaudita eſt incondita illa Mixtionis Hiſtoriola, quam ergò multò meliùs tacuiſſet *Elmacinus*. Prætereà, malè collocat *Zerduſhtum* Tempore *Smerdis*. Ejuſdem Farinæ ſpuria ſunt Μαγικὰ Λόγια, quæ cum Scholiis *Plethonis* edidit *Obſopæus*; & Ζωροάστρε Λόγια, quæ cum Scholiis *Pſelli* edidit *Patritius*.

XII.

Pag. 373 & 380. De tribus Magorum Generibus & eorum Regulis agit H. *Lordius*, p. 29. &c. Quorum primum Genus ſtatuit *Behdîn* ſeu *Laïcos*; qui tamen *reverà* Magi non ſunt. Ille ergò pro *Sacerdotibus*, *Præſulibus*, & *Archipræſulibus*, ponit *Behdin* ſeu *Laïcos*, & *Hyrbood* ſeu *Sacerdotes*, & *Diſtoor* ſeu *Præſules*, prorſus omiſſis *Archipræſulibus*, quia fortè in *Surât*, aut *Núſſari*, talis non aderat, ideóque *Hujus* Regulæ ſeu Præcepta ibi non dantur. Dictus *Lordius* ſequentia habuit à Sacerdote *Perſico* in Urbe *Surât*, qui tanquam ex Libro *Zundavaſtaw* talia retulit; ſc. Τοῖς *Behdîn* ſeu *Laïcis*, *Deus (perpenſis eorum Avocationibus,) dedit tantùm V Præcepta ſeu Regulas*; viz. I, *Semper ſecum habere Pudorem*, ſeu *Modeſtiam: quia ſi habent Pudorem, nunquam oppriment Inferiores, nec aliquid furabuntur, nec falſum Teſtimonium dabunt, nec inebriabuntur. Sed Pudore ſepoſito, hæc omnia perpetrabunt.* II, *Semper ſecum habere Timorem, ut, inter precandum, quovis Oculi Nictu timeant ne ad Cælum non perventuri ſint, & timeant à Perpetratione Peccati; quia Deus perpendit quales ſunt qui Oculos ad eum elevant.* III, *Ut in omnibus Actionibus ſuis perpendant quid ſit permiſſum, aut vetitum, in Libro Zundavaſtaw; ut ſi vetitum ſit, non faciant; aut ſi permiſſum ſit, illud proſequantur.* IV, *Ut quamcunque Creaturarum Dei primò Mane viderint, inde ſumatur Occaſio Gratias agendi Deo, qui talia & tam bona in hominum uſum creavit.* V, *Ut, inter precandum, interdiu Faciem obvertant Soli, & Noctu Lunæ; cùm hi ſint duo magni Teſtes Dei, contrarii Diabolo, Tenebras plus quam Lucem amanti.*

Hæc Præcepta, *Laicis* data, ſunt etiam obſervanda à *Dâroo* ſeu *Herwood*, qui eſt communis Sacerdos, unà cum XI Præceptis aliis; quæ ſunt I, *Callere Ritus religioſos in Libro Zundavaſtaw præſcriptos; quia*

quia Deo meliùs arrident Ritus in ſuo Libro præſcripti. II, *Continere oculos à Cupiditate rei alienæ, quia Deus cuique dedit quantum ei viſum eſt neceſſarium: quia concupiſcere rem alienam, eſt non tantùm Deo negare Poteſtatem collocandi Beneficia ſua in quos velit, ſed & à Deo poſtulare illud quo iſtum videt eſſe indignum.* III, *Curare ſemper ut Veritatem loquantur; nam cùm omnis Veritas ſit à Deo, ea ab illo cum hominibus communicatur, ut eandem in Verbis & Actionibus ſuis exerceant: Falſitatis enim Autor eſt Diabolus, & quicunque eâ utitur; inde conſtat Spiritum illum malignum apud eum multùm pollere. Ideóque Herbood debet ſe ipſum oſtendere ei contrarium, loquendo Veritatem, quia omnes tenentur Fidem adhibere Verbis ipſius.* IV, *Verſari in proprio Negotio, non autem in Rebus mundanis; cùm ad eum tantùm ſpectet homines Dei voluntatem docere. Ideóque Laïci curabunt ut ei interim nihil deſit, ſed neceſſaria ei ſuppeditabunt; &, vice verſâ, ille nihil ſuperfluum quæritabit.* V, *Librum Zundavaſtaw memoriter addiſcet, ut promptus ſit eundem docendo Laïcos, ubicunque eos invenerit: ab eo enim Populus ſuam de Deo Scientiam derivabunt.* VI, *Servare ſe purum & incontaminatum à Rebus pollutis, uti, à Cadaveribus & à Cibis immundis: cùm enim Deus ſit purus, expectat Servos ſuos eſſe puros, abhorrentes à Viſu Rerum impurarum; quas quando videt, contineat Halitum ſuum, ne Aërem corruptum attrahendo Impuritatem contrahat.* VII, *Condonare omnes Injurias, commonſtrando ſe ipſum Manſuetudinis Exemplar, ut judicetur eſſe talis qui à Deo venit: quamvis enim Deum quotidie offendimus, ille tamen omnia Bona nobis dat, cùm potiùs mereamur ut reddat Malum pro Malo.* VIII, *Docere Populum orare, & cum eis orare pro quovis Bono quod appetunt: & ad Oratorium perveniendo, junctim cum eis in eundem Scopum orare.* IX, *Licentias dare pro Nuptiis, & Virum cum Fœminâ Matrimonio jungere: & curare ut non nubentur abſque Conſenſu & Approbatione Sacerdotis.* X, *Maximam ſui Temporis Partem tranſigere in Templo, ut ibi ſit in Promptu ad informandum omnes qui illuc veniunt: nam, eum in Finem, Deus illum ibi conſtituit, & eidem Negotio ſe addicere debet.* XI, *Ut ſub Pœnâ Damnationis non credat aliam Legem præter eam quam attulit Zertooſt; ut nihil ei addat, & nihil ab eâ demat: ea enim adeò miraculoſè fuit tradita, & talia Dona in Zertooſt collata, ut ea crederetur à Deo profecta.*

Illorum *Diſtoor* (qui in *Indiâ* eſt tantùm unus, cui omnes alii Sacerdotes parent,) ſicut eſt Dignitate ſuperior, ſic & Sanctitate reliquos ſuperare tenetur: ideóque, non tantùm omnia dicta aliorum Præcepta implere, ſed & *tredecim* alia *Præcepta*, ſibi peculiaria, inſuper ob-

ſervare tenetur. Quæ ſunt I, *Ut ſi tetigerit aliquem ex alienâ Religione, vel aliquem Laïcum ex ſuâ Religione, teneatur ſe ipſum lavando luſtrare, quia Deus ſibi illum ſanctum eſſe voluit, ideóque, non debet Deo, inter precandum, appropinquare aliorum Impuritate tactus.* II, *Ut omnia Opera ſibi neceſſaria peragat propriâ Manu, tam ad ſuam Humilitatem teſtandum, quàm ad ſe ipſum in Puritate ſervandum. Nempe debet in ſuo Horto Herbas plantare, & Agrorum ſuorum Grana ſeminare, & proprium Cibum coquere; niſi fortè habuerit Uxorem quæ ei miniſtret, quod tamen non eſt uſitatum.* III, *Ut à Laïcis accipiat Decimas, tanquam Dei Oblationes; quas, in quemcunque uſum voluerit, erogabit; cùm Deus eum Oeconomum ſuum & Eleemoſynarum Diſpenſatorem fecerit.* IV, *Ut non oſtentet Pompam, ex Bonorum Superfluitate; adeò ut, ex Reditibus ſuis annuis, perquam magnis, nihil in fine anni relinquatur ſuperfluum, niſi quod in Charitatis uſum Pauperibus, aut in reparandis Templis, erogetur.* V, *Ut juxta Templum habitet, ibique ſe contineat, perſeverando in Precatione & Abſtinentiâ; nec oſtentando ſe publicè, ſed privatim ut à Mundo recluſus vivens, tanquam ſoli Deo dedicatus.* VI, *Eum obligari ad majorem Puritatem quàm alii Homines, idque, tam in frequentibus Luſtrationibus ſeu Lotionibus, quam in Cibo, edendo Cibos ſecundùm Legem puriores habitos; atque ſeparando ſe ab Uxore, Tempore Pollutionum menſtrualium.* VII, *Ut cùm Herbood verſandus ſit in ſolâ Lege, ſeu Libro dicto Zertooſt, oportet ut Diſtoor ſit verſatus etiam in totâ illâ Doctrinâ quæ in Libro Zundavaſtaw, (ſc. tam in eâ Parte quæ agit de Judiciariâ Aſtrologiâ Sophis commiſſâ, quàm in alterâ Parte ad Medicos ſpectante, & præcipuè in Libro Legis;) cùm Lex expectanda ſit ab Ore ejus, qui debet omnes alios in eâ informare.* VIII, *Ut non edat aut bibat ad exceſſum; cùm talia ſint Impedimenta ſublimioribus illis Speculationibus, in quibus verſari oporteat Summum Sacerdotem.* IX, *Ut neminem timeat præter Deum, nec metuat ab aliquâ Re niſi à Peccato: illius enim eſt ita in Deo confidere, ut non metuat quid ei facturus ſit Diabolus.* X, *Ut cùm Deus eum præfecerit omnibus Rebus ad Animam ſpectantibus, ergò ille debeat quemvis Peccatorem (quamvis Magnatem) monere, qui etiam ei obedire tenetur, utpote qui non in Cauſâ ſuâ, ſed in Cauſâ Dei loquatur.* XI, *Ut ſecundùm Sapientiam à Deo ei datam, valeat diſcernere quomodo Deus, & quomodo Diabolus, ſe revelare ſoleant, adeóque inter Veritatem & Falſitatem diſcernere.* XII, *Ut cùm Deus ſe ei revelabit in Viſionibus Nocturnis, eique monſtrabit quo modo fecerit Opera*

ſua

ſua Creationis, is non divulget Dei Secreta, ſed, ea ſecum retinendo, illius Potentiam miretur: quia Deus non revelat ſe cuivis ſicut Summo Sacerdoti. XIII, *Ut alat Ignem perpetuum, qui, ab Igne cæleſti quem attulit Zertooſt accenſus, duret ad omnia Secula.* Heic adduntur à D. *Lordio* falſa quædam, [ſc. *donec venturus ſit Ignis pro Conflagratione Mundi: & ut Preces ſuas recitet ſupra eum, prout in Libro Legis ſtatutum eſt.*] Illi autem non credunt *Conflagrationem Mundi*, nec poteſt aliquis precari ſupra Ignem, quod eorum Lege expreſſè vetitum eſt. *Lordius* itaque hæc ex ſuo ingenio addidit. Et prætereà, haud pauci ſunt alii Errores, quibus ſcatet ipſius Libellus.

XIII.

Pag. 373. De *Paſargadarum*, tam Situ, quàm Nomine, inter Doctos diſcordatur. In *Ptolemæo impreſſo* legitur Πασαργάδαι; in Cod. *Pal.* Πασαράχα, in MS *Seld.* Πασάρραχα. Apud *Curtium* legitur *Perſagadum* bis, & ſemel *Paſargadæ*. Sed *Paſargadarum* Caſtellum & *Paſargadarum* Urbs fortè ſint diverſa, ut infràdicetur. *Curtio*; *Perſagadum, quam Urbem Cyrus ſtruxit, in Memoriam ibi victi Aſtyagis.* Hæc Urbs videtur eſſe *Plinii Cyropolis*, ex hiſce Verbis; *Sinus Perſicus: Regio ibi maritima Cyropolis.* *Ptolemæus* quoque haud procul ab *Hormûz*, in Caramaniæ Promontorio, *Paſargadas* conſtituit. Et ſic *Martianus Heracleota* ponit XC *Stadia* à *Carpellis*, quæ juxta *Sinum Perſicum*, Πασαργάδαι Καρμανῶν ὄντες ἐγγύς. Sic rectè legitur abſque *Voſſianâ* Emendatione γέν☞. Apud *Ptolemæum* videtur dari alia *Cyropolis* in Auſtrali Orâ Maris *Caſpii*, aliquot milliaribus orientaliter à Flumine ﻛﻮﺭ *Cùr*, ſeu *Coro*, ſive *Cyro*. Et apud *Stephanum* eſt adhuc alia *Cyropolis*, dicta *Kyra*, ſeu *Kyreſchata*, quæ in orientali Extremitate *Perſidis* verſus *Indiam*, q. d. Κῦρα Ἑκατα. Sed quoad *Paſargadi* Situm, D. *Voſſius* in *Notis ad Melam*, ſpretâ *Ptolemæi* & *Martiani* Autoritate, nimis temerè pronuntiat, *Ptolemæum non intellexiſſe verum Situm:* & deinde addit, *quòd Veteres, qui Res Alexandri prodidêre, Paſargadas Oppidum & Gentem circa Perſepolin ad Orientem deſcribunt.* Videtur autem D. *Voſſius* falli de *Oppido & Gente:* hæc enim ex ſupradictis Autoritatibus ſunt prope *Sinum Perſicum:* nam *Plinius*, poſtquam dixit, *Sinus Perſicus: Regio ibi maritima Cyropolis*, mox, inquam, poſt pauca addit; *Inde ad Orientem Magi obtinent Caſtellum,*

in quo Cyri Sepulchrum eſt, ſuper quo Turris haud magna. Adeò ut *Paſargadum*, ubi *Cyri* victoria contra *Aſtyagem*, & *Paſargadum*, ubi *Cyri* Sepulchrum, videantur fuiſſe in diverſis locis; & quòd fruſtrà, contrà *Ptolemæi* Autoritatem, contenderit *Voſſius* pro aliâ *Cyropoli*, quæ apud *Stephanum Cyreſchata*, quæ ad Finem *Perſidis*, in alterâ Extremitate verſus *Indiam*, totò Cœlo totâque Terrâ diſtans à loco quem *Voſſius* indigitare vellet, ſi *Ptolemæo* Fides. Præterea fallitur duplice *Araxi*: ille enim contendit pro *Araxi*, quæ memorari ſolet cum *Coro*, ſeu *Cùr*, cùm potiùs debuerat contendere pro alterâ *Araxi*, quæ hodie eſt *Bendamîr*, prope *Perſepolim*. Has enim *Araxes* confundit, eas non diſtinguendo. Illud autem *Paſargadum*, pro quo D. *Voſſius* contendit, *Ptolemæo* dicitur Πασαχάρτη *Paſacarta*, quæ ſitu convenit cum D. *Voſſii* Deſcriptione, ad Orientem & Boream *Perſæpoleως*. Hæc nempe eſt *Parthiæ* Urbs, quæ hodiè in Libris ſcribitur بسا *Baſâ*, ſeu فسا *Phaſâ*, vel *Paſâ*; quæ, additâ uſitatâ Terminatione *ghard*, ſeu *gherd*, ſit بساگرد *Paſâghard*, ſeu *Paſâgherd*. Nam *Paſargadi* nomen videtur malè tractatum à *Græcis* & planè corruptum: cùm ſyllaba *gad* vix poſſit eſſe aliqua vocis Terminatio *Perſica*, ſed potiùs *gard*, ſeu κάρτη, adeò ut, pro *Paſargad*, dicatur potiùs *Paſagard*. Nam *Spâhi-zâdeh* in *Lexico Geographico* legit; بسا *Baſâ*, *dicta Arabicè* فسا *Phaſâ*, *eſt maxima Urbs Provinciæ* دارابجرد *Darâb-gjerd*, *Magnitudine ferè accedens ad Shirâz. Pleraque Ligna, ex quibus extructa eſt, ſunt Cypreſſina. Forma denominativa ab Arabico eſt* فساوي *Phaſâvi*, *& à Perſico* بساسيري *Baſâſiri*. Et (quod ad Rem ſit) *Bâſâſîr* eſt *Locus Boreâ ſatur*, eâdem Ratione, quâ *Ghermſîr* eſt *Regio Calore ſatura*, & *Serdîr* eſt *Regio Frigore ſatura:* & ab his Denominativa ſeu Adjectiva Forma non erit *Ghermi* & *Serdi*, ſed *Ghermſîri* & *Serdſîri*. Eſt itaque *Paſâgard*, Πασαχάρτα, Urbs in *Darábgard*, ſeu *Nomo Darii*, X Paraſangis à *Perſepoli* ad Borrapelioten in *Parthiâ*, in Confiniis borealibus *Caramaniæ deſertæ*. Et quidem in Significatione Nominis eſt Indicatio ſitûs: nam بسا *Baſâ*, ex vi vocis (dicente D. *Golio*) eſt *Boreas*; ideóque *Baſâ-gard* eſt *Borealis Urbs*, ſeu *Nomus*; qui ſitus, in calidis illis Regionibus, gratus. Iſtam Terminationem *gard Perſæ* videntur olim habuiſſe à *Pœnis*, quibus קרתא Καρτα eſt *Urbs*, ſeu *Certa*, ut in *Tigranocerta*. Ad ſupradictam Diſquiſitionem pertinet ſcire, annon *Cyropolis* fuerit multiplex, ſc. plures *Cyropoles*, &

annon

annon ex eis fuerit *Shirâz*, ut vult D. *Voſſius*, & ut nos olim ſenſimus in Notis ad *Ulugh-Beighi* Aſtronomica.

In *Paſargadarum* Templo *Veneris* coronatus dicitur *Artaxerxes Mnemon*, qui *Veneris* Templa & Cultum primus inſtituit [a]. Dicta itaque ejus Coronatio, in *Pyréo* facta, in *Veneris* Templo fuiſſe à *Plutarcho* narratur prolepticè: nempe coronatus fuit in illo *Pyréo*, quod ab eo, poſteà ſtatim, Cultui *Venereo* dedicatum eſt.

XIV.

Pag. 390. D. *Tavernier* dicit, "*Nullos in toto Orbe tam parcos* "*& ſcrupuloſos eſſe in Religionem ſuam revelando ac ſunt Gavri: ſe* "*itaque neceſſarium habuiſſe eorum conſortium frequentare ſæpiùs,* "*antequàm poſſet addiſcere ea quæ heic dicturus eſt.*"

"*Antequam Mohammedani inceperant Perſecutionem exercere in* "*Gavros, multos ex eis fugiſſe ad* Surât *quæ in* Guzerât. *Et jam* "*eſſe plures quàm* 10,000 *in* Kirmân. *Horum, eos qui degunt in* "*Indiâ, eſſe Artifices præſertim Tornatores Eboris: eos qui in Kir-* "*mân, eſſe Mercatores Lanæ. A* Kirmân *IV milliaribus diſtare præ-* "*cipuum eorum Templum, ubi reſidet eorum Archipræſul: & illuc,* "*ſemel in Vitâ, Peregrinationem inſtituere teneri omnes. Aliquos ho-* "*rum degere prope* Iſpahân. *Eos affirmare Prophetæ ſui Patrem* "*fuiſſe Natione Francum, nomine* Azer, *Profeſſione Sculptorem.* "*Eum reliquiſſe Patriam ſuam (quæ tunc fuit* Babylonia*) ut de-* "*geret in Patriâ eorum, eumque ibi accepiſſe Uxorem nomine* Dogh- "dou, *quæ, aliquâ Nocte, ſomniavit Deum per Angelum à Paradiſo* "*ad ſe miſiſſe egregias Veſtes, quas illa haud citiùs induerat quàm* "*cæleſtis Lux operuerit ſuam Faciem, quam, ad inſtar Solis, reddidit* "*formoſam, ſeque evigilantem comperiſſe ſe ipſam prægnantem, &* "*gravidam Puero qui fuit Propheta* Ebrahim-Zer-Ateucht. *Illius* "*Temporis Aſtrologos, per Scientiam Stellarum, prænoviſſe Nativita-* "*tem dicti Pueri à Deo miſſi ad gubernandum homines & ad regnan-* "*dum in Cordibus eorum. Iſtos Aſtrologos adeuntes Regem, ei decla-* "*râſſe naſciturum Infantem qui aliquando eum Coronâ ſuâ privaret.* "*Deinde Regem (dictum* Nembrout*) omnes in Regno ſuo Fœminas*

[a] Confer cum Pag. 95.

"*gravidas*

" *gravidas interfici juſſiſſe: ſed, per Miraculum, ejus Graviditatem*
" *non apparuiſſe; unde evaſit.* — *Contra Morem aliorum Infantum,*
" *qui recenter nati plorant, iſtum Infantem riſiſſe: ipſum enim in eo-*
" *rum Cordibus triumphaturum, præmonſtrâſſe Gaudium, eorum Feli-*
" *citatem anticipando. His Regi ſignificatis, eum convocâſſe Aſtrolo-*
" *gos ad inquirendum quid rei eſſet, & quid de iſto Infante faciendum*
" *eſſet. Aſtrologos autem non potuiſſe Rem indicare, ideóque Regem*
" *voluiſſe propriâ Manu ipſum Gladio interficere: Deum autem ejus*
" *Brachium arefeciſſe. Cúmque hoc non poſſet, eum iratum juſſiſſe ac-*
" *cendi Ignem; eum autem, per Dei Potentiam, factum fuiſſe Cubile*
" *roſaceum. Hujus Ignis Partem ad hoc uſque Tempus reſervatam*
" *fuiſſe. Regem nolentem deſiſtere, nova pro Infante Tormenta exco-*
" *gitâſſe: Deum autem ad eum caſtigandum miſiſſe Culicum Agmina,*
" *qui Aculeis ſuis Mortem intulerunt omnibus qui non adorârunt iſtum*
" *Prophetam, ejus Pedes oſculando in Pœnitentiæ Teſtimonium. Re-*
" *gem autem, non pœnitentem, peſſimâ Morte periiſſe ex ictu Culicis in*
" *Aure ipſius.*"

" *Hujus Regis Succeſſorem fuiſſe* Cha-Glochten, *qui Initio regni*
" *ſui Perſecutionem moliebatur contra iſtum Infantem, Annis & Vir-*
" *tute Adoleſcentem. Regem quidem eum incarcerâſſe: attonitum au-*
" *tem fuiſſe, audiendo Equum (quo vectus in Pugnâ ſemper vincebat,)*
" *ſuos IV pedes amiſiſſe: ideóque Prophetam è Carcere evocâſſe, &*
" *Veniam petiiſſe, eúmque rogâſſe ut Equum ſuum reſtituere vellet.*
" *Prophetam annuentem, ad Deum quater orâſſe, & ſingulis orandi*
" *Vicibus unum Equo Pedem reſtituiſſe. Regem, viſo hoc Miraculo,*
" *ſemiconverſum fuiſſe: ſed ulterioris Certitudinis cupidum, petiiſſe à*
" *Prophetâ ut ſe conjiceret in Fornacem liquati Argenti, è quo ſi e-*
" *vaderet ſalvus & illæſus, ſe eum recepturum ut aliquem à Deo miſ-*
" *ſum, ejúſque omnibus Præceptis parere velle. Prophetam promptè*
" *ſuſcepiſſe Opus, & ſe ipſum conjeciſſe in Fornacem, unde illæſus exi-*
" *vit. His factis, Regem eum ad ſe vocâſſe, & cum Populo ſuo ut*
" *Prophetam coluiſſe, eique indidiſſe Nomen* Zer-Ateucht, *ſeu* Argen-
" to lotum. *Prophetam, obſervantem omnes ſe veneraturos, ſe ipſum*
" *ſubducentem noluiſſe videri. Gavriſque neſcientibus quid ei eveniſſet,*
" *credidiſſe eum cum Animâ & Corpore aſſumptum fuiſſe in Paradi-*
" *ſum: alios dixiſſe eum invenientem Sandapilam ferream in Viâ pro-*
" *pe* Babylonem, *ſe in eam conjeciſſe, & ab Angelis aſportatum fuiſſe*
" *in Paradiſum.*

" *Eos*

" *Eos Prophetæ ſuo aſſignâſſe tres Filios, qui tunc* [ſc. ante 2500 " Annos] *non venerant in Mundum, quamvis eorum Nomina tunc* " *indita eſſent & prænoſcerentur. Iſto autem Prophetâ* Ebrahim *ſuper* " *Aquam ſine Cymbâ ambulante, ab eo in ipſam cecidiſſe tres Seminis* " *genitalis guttas, ibidem deinde ſervatas. Deum poſteà ſuper eundem* " *fluvium miſiſſe Virginem à ſe adamatam, quæ, primæ Guttæ Recep-* " *tione, tunc evaſura eſſet gravida primo Infante, quem in anteceſſum* " *vocabant* Oſhîder. *Illum deinde in Mundum cum Autoritate veni-* " *entem, Patris ſui Legem confirmaturum & ut reciperetur facturum;* " *idque, non tantùm per Prædicationem ſuam, ſed & per multa Mi-* " *racula. Secundum, dictum* Oſhîderma, *eodem Modo concipiendum,* " *Fratri ſuo Opem laturum, ſiſtendo per X Annos curſum Solis, do-* " *nec totum Mundum de Doctrinæ ſuæ Veritate convinceret. Ter-* " *tium, ab eâdem Matre concipiendum, (cui Nomen Senoiet Hotius*[1]*)* " *venturum cum majore Autoritate quàm duo Fratres priores, omnes* " *perfectè ad Prophetæ ſui Religionem adducturum. Deinde poſteà* " *futuram eſſe univerſalem omnium Reſurrectionem; & eo Tempore* " *omnes Animas quæ tunc, vel in Paradiſo, vel in Gehennâ, ad* " *Corporum ſuorum Poſſeſſionem reverſuras. Tunc æquandos fore om-* " *nes Montes, & quaſvis Mineras liquandas, ad implendum Inferni* " *Abyſſum, ut omnes Diabolorum Manſiones perderentur. Deinde to-* " *tam Terram faciendam æquabilem ad inhabitandum, & unumquem-* " *que habiturum Manſionem aptatam Bonitati quam in Vitâ fecerat;* " *præcipuas autem eorum Delicias fore in Intuitione Dei &* Ebrahim " *Prophetæ ſui. Ante Reſurrectionem, eos, qui in Paradiſo, non in-* " *tuituros Faciem Dei, nec Angelorum, excepto uno, qui ſemper adeſt* " *ad famulandum eis, uti nec ipſos Angelos Deum viſuros, excepto* " *uno, qui ſemper ei adeſt ad recipiendum Mandata ejus. Deum* " *tandem velle miſereri damnatorum, qui etiam poſteà ituri ſunt in* " *Paradiſum, jam tum ſatis paſſi pro Peccatis ſuis.*"

" Ebrahim Zer-Ateucht *in Paradiſum fuiſſe receptum, cujus Ope* " *acceperunt VII Libros Legum, quos Deus, ex Benignitate ſuâ, mi-* " *ſit ad inſtruendum eos in Viâ Salutis. Eos quoque recepiſſe VII*

1 Sed ſciendum eſt *Tavernierum*, ad inſtar Plagiarii, hocce de *Gauris* Paragraphum (& ſorte multa alia) deſumpſiſſe ex alio Itinerario *Gallico* Ed *Lyons* 1671 in 8vo, cujus Autor eſt P. G. D. C. i. e. *Pere Gabriel de Chinon*, qui XXX Annos in *Perſiâ* tranſegit. Hoc de *Gavris* Extractum pro me fecit amiciſſimus & ingenioſiſſimus *D. Jo. Marſhal Londinas.* Is ſui Libri p. 429 legit *Dodon* pro *Dodou*. Notandum autem quòd pro *Tavernieri Senoiet-Hotius*, iſte Autor rectius legat *Seaous-hons.*

" *alios*

" *alios Libros de Interpretatione Somniorum: & tandem VII alios de*
" *omnibus Arcanis Medicinæ. Libros autem de Somniis & de Medicinâ*
" *fuiſſe deperditos, quippe quos, tanquam inæſtimabilem Theſaurum, ſecum*
" *aſportaverit* Alexander: *VII autem de Religione Libros (cum ſcribe-*
" *rentur in Linguâ à Nemine niſi ab Angelis intellectâ,) iratum* Alex-
" andrum *combuſſiſſe: Deum autem, ejus Temeritatem puniendo, Ægri-*
" *tudinem in eum miſiſſe, de quâ obiit. Aliquos Doctos Sacerdotes, qui ab*
" *ejus Crudelitate in Montes aufugerant, eo mortuo, rurſus conveniſſe, &*
" *ex Vi Memoriæ aliquem Librum compoſuiſſe. Sacerdotes in eo legentes*
" *vix intellexiſſe quid legerent: eos autem habuiſſe alios Libros Contenta*
" *ejus exponentes*; [viz. Sad-der.] *In illo Libro legentes, aut precantes,*
" *Pannum linteum ſuper Ora ſua ligare, &c.*"

" *Gavros non uti Circumciſione, ſed apud Infantum Nativitatem ha-*
" *bere aliquid ſimile Baptiſmo Chriſtianorum. Eos enim, aliquot Diebus*
" *poſt Nativitatem, Infantem lavare Aquâ, in quâ cocti fuerunt certi*
" *quidam Flores: & dum immergitur Infans, Sacerdotem aliquot preces*
" *perorare. Puerum, ſine illâ Lotione morientem, credunt ad Paradiſum*
" *iturum*; *ſed Parentes pro Neglectu ſuo reſponſuros, quia talis Lotio*
" *auxiſſet merita.*"

" *Quoad Nuptias, Gavros cuivis permittere habere V Uxores, ſi poſ-*
" *ſit: ſed non poſſunt in Uxores ducere Conſanguineas ſuas, Nuptiis intra*
" *tertium Gradum prohibitis, nec laudabile eſſe aliquam repudiare, niſi*
" *ob Adulterium manifeſtum, aut ſi Religionem mutaverit*; *præterea*
" *oportere Maritum per integrum Annum expectare an reſipiſcet necne.*
" *Fœminæ autem, ſuum Crimen confitenti, Sacerdotem præſcribere trium*
" *Annorum Pœnitentiam ab eâ ſubeundam: & poſteà, ipſo illos renu-*
" *bente, ambos habendos eſſe pro Nuptis ut anteá. In Nuptiis, Sacerdo-*
" *tem Virum & Fœminam ad ſe venientes coram Teſtibus interrogare de*
" *mutuo Conſenſu*; *& tum precando ſumere pauxillum Aquæ, & ambo-*
" *rum Frontes lavando Rem abſolvere. Eos non poſſe Matrimonio jungi*
" *intra tertium Gradum, nec poſſe obtinere Diſpenſationem. Quamvis*
" *verò permittatur habere V Uxores, attamen tantùm harum unam poſſe*
" *cenſeri nuptam, cum quâ ergò obligatur pernoctare ſaltem duabus Noc-*
" *tibus quovis Septendio, (putà Nocte Saturni & Veneris*;) *eámque ſem-*
" *per cæteris præcedere. Si autem illa non habuerit Liberos intra VII*
" *Annos, Viro permiſſum eſſe ſuperinducere aliam: priorem autem non*
" *repudiare, ſed alere.*"

" *Mulieres*

" *Mulieres menſtruatas ſtatim ſecedere in Campos, ut, durantibus*
" *Menſibus, maneant in Tugurio cui appenſus Pannus eſt pro oſtio;*
" *dum interim Cibus & Potus eis afferatur: & revaleſcentes, ad Sa-*
" *cerdotem, pro Oblatione, miſſuras Hœdum, aut Gallinam, aut Colum-*
" *bam; & poſteà ad Balneum euntes, invitaturas ad Refectionem*
" *aliquas Amicas ſuas.*"

" *Gavros, tam Viros quàm Fœminas, bibere Vinum & edere Porci-*
" *nam, ſi modo (aliter quam antea) in diſtincto aliquo loco, aliâ Diætâ*
" *paſti fuerunt Porci per integrum Annum prius quam mactentur:*
" *nam ſine iſtis Circumſtantiis Porcina eſt eis vetita. Eos non liben-*
" *ter præſcindere Ungues nec Crines: quòd ſi neceſſe ſit, tenentur illa*
" *Præſegmina portare ad aliquem Locum extra Urbem, præſertim ad*
" *Sepulchretum. Eos V Diebus in Anno abſtinere à Carne, Piſce,*
" *Butyro, & Ovis; & tribus aliis Diebus jejunare ad Veſperam.*
" *Illos habere XXX Dies Feſtos in Honorem Angelorum, in quibus*
" *Nemo operari audet. Diem Nativitatis Prophetæ ſui celebrari ſo-*
" *lere Pompâ maximâ & Eleemoſynis amplis. Aliquem eſſe Diem quo*
" *omnes exeunt ad necandum Ranas, idque mandato Prophetæ ſui.*
" *Sacerdotes habere Libros cum Picturis pallidis, ſeu aquei Coloris,*
" *Hominum futura Supplicia repræſentantibus, præſertim pro Pædi-*
" *catione quam abominantur.*"

" *Quoad Funera, ægrotantes Gavros accerſere Sacerdotes, quibus*
" *quodammodo ſua confitentur Peccata, & propterea eis injungi Elee-*
" *moſynas & bona Opera ad obtinendum Peccatorum Veniam. Eos*
" *ſuos mortuos non cremare nec ſepelire; Cadavera autem extra Ur-*
" *bem exportare ad Locum Muro cinctum, juxta quem ſunt multi Sti-*
" *pites, VII aut VIII pedes alti, quibus ſolent alligare Cadavera, Fa-*
" *ciebus verſus Orientem. Omnes funus comitantes ad commodam Diſ-*
" *tantiam orare, donec veniant Cornices, quas illa loca attrahunt.*
" *Si Cornix primò involaverit in defuncti Oculum dextrum, eos (cre-*
" *dendo defunctum eſſe felicem,) dare Eleemoſynas majores; ſi autem*
" *in Oculum ſiniſtrum, id eſſe malum Omen: nullas ergò Eleemoſynas*
" *dantes, redire domum ſilentes, non edentes nec bibentes.*"

" *Gavros nolle ut æſtimentur honorare Ignem per Modum Adora-*
" *tionis, cùm nollent reputari Idololatræ, dum agnoſcunt tantùm unum*
" *verum Deum, Cæli & Terræ Creatorem, quem ſolum adorant: Ig-*
" *nem autem eos ſervare & honorare, in Memoriam Miraculi, quo eo-*
" *rum Propheta* Ebrahim *à Flammis fuit liberatus. Autorem, ali-*
" *quando dum eſſet apud* Kirmân, *petiiſſe ut videret ſacrum Ignem;*

" *id autem ei negatum fuiſſe, cùm aliquando* Chân, *ſeu Gubernator Urbis*
" Kirmân, *idem expeteret, cui non potuerunt id denegare. Illum autem*
" *expectantem videre extraordinarium quendam Splendorem, fefelliſſe*
" *Spem: cúmque non videret alium Ignem quàm quem videre potuerit in*
" *Culinâ, mox iratum jurâſſe & fremuiſſe, & in ſacrum Ignem inſpuiſſe.*
" *Sacrum verò Ignem, hoc modo profanatum, avolâſſe in Formâ albæ Co-*
" *lumbæ, donec Sacerdotes per Eleemoſynas & Preces eundem revocarent:*
" *ideóque eos Nemini eum oſtendere velle. Eos, quoſvis Juramento adi-*
" *gendos coram ſacro Igne ſiſtere, ut coram Teſte, minando magna Sup-*
" *plicia pro Perjurio, & ſacrum Ignem avolaturum eſſe.*"

" *Eos interrogatos quid de iſto Igne ſentirent, reſpondiſſe, ſicut Sol*
" *inter Sydera, & Rex inter Subjectos, talem eſſe hunc Ignem Reſpectu*
" *aliorum Ignium ſublunarium: quamvis vero aleretur Lignis, quâ in*
" *Re non differebat ab aliis Ignibus, eum tamen miraculoſè ſuſtentari*
" *poſſe abſque Pabulo. Sacerdotes, ſingulis Menſibus, hujus Ignis Partem*
" *diſtribuere Laïcis, pro quo Favore ſatis carè ſolvunt. Ad Ædes vero*
" *ſuas portant, credendo inde eſſe Cauſam Abundantiæ omnium Rerum in*
" *Familiis ſuis: & coram eo collocant ægrotos ſuos, qui aliquando reva-*
" *leſcunt: ſi non, id Infidelitati tribuitur.*"

" *Eorum Linguam eſſe diverſam ab eâ reliquorum Perſarum, uti etiam*
" *ſunt eorum Characteres. Eos amare Epulas, & valde profuſos eſſe de*
" *ſuo potu* Erác. *Eos nunquam edere Lepores propter Menſtrua; nec*
" *Mora, utpote quæ credantur ex Mulierum & Leporum Menſtruis pro-*
" *cedere. Si pectinando Caput, unus Pilus ceciderit in Veſtes, illos tene-*
" *ri iſtas Veſtes lavare in Urinâ Vaccæ, propter earundem Purificationem:*
" *idem quoque faciendum ſi ſtercus aut ſordes tetigerint: & Sacerdotem,*
" *obviàm factum Funeri quod videt, ad idem teneri: id etiam aliquos ex*
" *Indis credere. Eos interrogatos unde talem Urinæ Virtutem intellige-*
" *rent, reſpondiſſe, aliquem Adamo coævum, habentem Brachium contu-*
" *ſum uſque ad nigrorem, jacuiſſe in campo dormientem; & dum juxta*
" *eum mingeret Vacca, aliquam Urinæ guttam, in Brachium ejus caden-*
" *tem, eam quam tetigit Partem ſanâſſe: Hominem ergò ſecutum Vac-*
" *cam donec ea rurſus Urinam mitteret, perfectè ſanatum fuiſſe.*"

" *Eos talem conſervare cum aliâ quâdam Aquâ mixtam, quam poſt*
" *Peccatorum Confeſſionem, Confitentibus propinant. Hanc vocari* Aquam
" Cazi, *ſeu Judicis, ſive Sacerdotis, quæ XL diebus debet ſervari, cum*
" *Infuſione Corticis ſalignei & aliquot Herbarum. Confitentes autem ali-*
" *quod grande Peccatum, teneri X diebus manere in domo Sacerdotis, nec*
" *aliquid edere aut bibere niſi quod ille dederit. Et in Ordine ad Abſo-*

" *lutionem,*

" *lutionem, Sacerdotem eum ſiſtere nudum, dextri Pedis Pollici alli-*
" *gando Caniculam, quam ergò ſecum circumducit in domo, aliquando*
" *per integrum Diem aut diutiùs. Eo modo ſe habentem, petere à Sa-*
" *cerdote abſolutionem, de ſuâ Parte credendo ſe ipſum eſſe purum.*
" *Deinde Sacerdotem ei reſpondere, Se non poſſe, ſed Canem eſſe qui*
" *eum purificet. Poſthac, Sacerdotem dictam Aquam compoſitam ſuper*
" *Caput ejus ſepties fundere, & unum ejuſdem Hauſtum ei propinare,*
" *& hoc modo eum abſolvi. Hanc Pœnitentiam eſſe caram, quia poſ-*
" *teà tenetur Amicos tractare apud Domum Sacerdotis. Autore in-*
" *terrogante, An Sacerdos hoc modo faceret Fœminis? reſponſum eſt,*
" *Sacerdotis Uxorem, aut Ancillam, id facere Fœminis. Eos ad quem-*
" *vis moribundum adducere Caniculam, quam ſuper ejus Pectus collo-*
" *cant; & dum ultimum Halitum expiraturus eſt, eos morientis Ori*
" *applicare Os Caniculæ, interim efficientes ut eo modo ſe habens la-*
" *tret bis, ita ut moribundi Anima intret in Canem, qui eam tradat*
" *in Manum Angeli eandem accepturi. Eos quemvis mortuum Canem*
" *extra Urbem portare, & pro eo Cadavere Deum precari, quaſi*
" *Beſtia, per illorum Preces, Beneficium acciperet poſt Mortem."*

" *Dari multas Beſtias quas amant, & alias quas odio habent, ut-*
" *pote non à Deo creatas, ſed ortas ex Corpore Diaboli, cujus Natu-*
" *ram retinent. Eos cum Admiratione amare Vaccas, & Boves, &*
" *Canes. Vetitum eſſe mactare tam Bovem caſtratum, quàm Taurum,*
" *propter Laborem ſuum in colendo Terram. Eos etiam de Vaccis*
" *eſſe valdè cautos: earum tamen Lac comedunt, & annoſas mac-*
" *tant & edunt. Hoc autem Animal præcipuè æſtimatur, quia ab eo*
" *habetur Materia ad Purificationem & Peccatorum Expiationem.*
" *Eos odio habere Colubros, Serpentes, Lacertas, Rubeta, Ranas,*
" *Cancros-piſces, Sorices, Mures, & (ſupra omnes) Feles, quas di-*
" *cunt referre Diabolum dantem eis tantam Fortitudinem ut difficile*
" *ſit eas occidere; ſeque velle Soricum & Murium Incommodum ferre*
" *potiùs quàm Felium. Quoad Animalia noxia, Gavros ægrotantes*
" *conducere aliquos qui exeuntes ea trucident, quod Morientium Bonis*
" *Operibus eſt accenſendum. Eos autem talia habere exoſa, quia cre-*
" *dunt illa eſſe Inſtrumenta quibus Diabolus Tormenta infligit damna-*
" *tis; ideóque illud eſſe Bonum Opus: eoſque talia perdere, ut ita,*
" *Diabolo Inſtrumentis deſtituto, Animarum, quæ in Gehennâ ſunt,*
" *Tormenta mitigari poſſint."*

" *Eos reputare ſe pollui poſſe variis Modis, quorum aliquos decen-*
" *ter memorare non poſſum. Præcipuè autem miror quòd Capitis &*

" *Barbæ Pili, quos quotidiè geſtant, reputentur immundi, & reſectos*
" *foràs è Domibus ſuis exportent: Sacerdotes autem nunquam reſe-*
" *care ſuos. Et ſi pectinando Caput, aut Barbam, aliquis Pilus ca-*
" *dendo in Veſtes, ibi manſerit per pluſquam dimidium Diem, tales*
" *Veſtes Urinâ vaccinâ luſtrandæ ſunt. Et ſi talis Immunditiei ali-*
" *quid in Terram ceciderit, talis Terræ Superficies, diligenter deraſa,*
" *exportanda eſt ad locum ejuſmodi Rebus peculiarem. E Naſo quoque,*
" *& quâvis aliâ Corporis Parte, fluens Sanguis, cenſetur inducere*
" *Pollutionem Urinâ vaccinâ luſtrandam; quæ tamen aliâ quâvis Aquâ*
" *poſteà lavetur. Et, quâvis harum leviorum Pollutionum Occaſione,*
" *tenentur fœtidam ſuam Aquam luſtralem adhibere, quamvis poſteà*
" *(ut dictum) Aquâ mundâ ſe lavare poſſint. Iſtum Urinâ luſtrandi*
" *Morem non eſſe ſolis Perſis peculiarem, ſed uſurpari etiam apud In-*
" *dos. Hunc tamen Morem non fuiſſe ab eorum Prophetâ inſtitutum,*
" *ſed Originem habuiſſe ab aliquo Homine Tempore Adami,*" &c. ut ſupra dictum eſt. [Ad hunc Locum Curioſus quidam Obſervator addidit; " *In Luſitanorum Noſocomiis jam Morem eſſe poſt Febres*
" *diu bibere Urinam vaccinam, ſicut Naturæ reſtaurativum quiddam,*
" *eodem Modo, quo in Angliâ bibitur Decoctum amarum: & hancce*
" *Indicæ Medicinæ Praxin nuper etiam in Londino obtinuſſe.*] Poſ-
" teà ſequitur; *Ad dictum luſtrandi Morem teneri nubendos, (tam*
" *Virum quàm Fœminam) qui id faciunt in Domo Sacerdotis. Quan-*
" *tum æſtiment Canem, hinc conſtare, quia Moribundis afferunt Ca-*
" *niculam quæ ultimum Halitum excipiat, quod vocant* Animam ex-
" cipere, *imaginando Caniculam (utpote puriorem) eam Angelo tra-*
" *dituram.* Sic etiam in Expiatione, ſeu Abſolutione, Caniculam
" puriorem reputant. *Eos abhorrere à Felibus, propter Mohamme-*
" *dem quem odio habent, affirmantes illum maledictum habuiſſe felinam*
" *Faciem & Caudam, ut & habuit Alexander; iſtúmque genitum fu-*
" *iſſe à Diabolo, qui ipſum ſuis Proprietatibus donavit, ita ut difficile*
" *eſſet eum occidere: ideóque Nemo Felem alit in Domo ſuâ. Eos*
" *necare Ranas, &c. quia polluunt Aquas; & Formicas, quia fu-*
" *rantur plus Granorum quàm eis ſufficiat ad vivendum. Eos mortuis*
" *ſuis detrahere Veſtes meliores, & induere deteriores.* [Orientales
" enim in Lecto dormiunt cum Induculâ & Subligaculis, &c.]
" *Perſas eſſe robuſtos & ſalubres: & affectare Veſtes ſaturi Coloris*
" *lutei, quales etiam ſunt Pallæ Muliebres. Pudet eos fateri ſuam, de*
" *Mortuorum Statu, Hariolationem à Volucribus Cadavera invaden-*
" *tibus: eos autem talia potiùs obſervare, ad ſciendum an Corpus citò*

" *reducere-*

" *reduceretur ad Sceleton, quia, diu manere incorruptum eſſet malum*
" *Omen. Proximo poſt Funera Die, Conſanguinei parant, tam De-*
" *functi, quàm Uxoris & Liberorum Imagines, quibus apponunt Con-*
" *vivium triduanum; quod poſteà ab Amicis comeditur, & reliquum*
" *Pauperibus datur. Interrogati cur talia facerent, reſpondebant,*
" *Animas hiſce Rebus refici, ſæpè talibus Conviviis adeſſe, & pios ſæ-*
" *penumerò cum eis converſatos fuiſſe. Poſteà, interficientes inviſa A-*
" *nimalia, Eleemoſynas erogant pro Animabus defunctorum, quæ ad*
" *Infernum ituræ, ſi Meritis præponderant Peccata, vel ad Paradi-*
" *ſum, ſi Peccatis præponderant Merita: vel ſi ambo adeò æqualia*
" *ſunt ut Differentia diſcerni nequeat, tum eunt ad medium aliquem*
" *Locum dictum Eſtemagoon. Alia dari Loca parata mortuis Infan-*
" *tibus, qui nec Merita nec Peccata habuerunt: & peculiaria parari*
" *Loca pro undecim generibus Hominum, inter quos numerant deſti-*
" *tutos Liberis, per quos aliquid mererentur, eos educando in Timore*
" *Dei. Pontem Judicii deſinere in arctâ Anguſtiâ, adeò ut, ibi euntes*
" *inde cadant in Gehennam inferiùs. Exportato Cadavere, tanquam*
" *pollutam abradunt & exportant Superficiem Terræ in quâ jacebat,*
" *aut moriebatur. Tantùm Viri, & Pueri ex Ephebis exceſſi, poſſunt*
" *mactare Cibum quem comeſturi ſunt: & Sacerdotes non debent edere*
" *niſi id quod ipſi mactaverint & eorum Uxores coxerint. Quando e-*
" *dunt (ſi non adſit aliquis Peregrinus) retrorſum jactant Capita, ut*
" *cibus, ſine Tactu Labiorum, in Ora cadat: & eodem Modo elevan-*
" *tes Poculum, in Ora ſua effundunt Potum: affirmantes hoc eſſe ad*
" *Imitationem Avium & aliorum aliquot Animalium retrorſum jactan-*
" *tium Capita; nam quaſi Deo eſſent gratabundi pro Beneficiis, ſur-*
" *ſum aſpiciunt, ad docendum nos, hâc Corporis Poſiturâ, Deo quoque*
" *gratos eſſe pro omnibus ſuis Beneficiis in nos collatis. Habent in*
" *Anno IV Feſta ſolennia; ſcil. Primum, in Æquinoctio Verno per*
" *XV dies. Secundum, dictum* Camſe Kadîm *per V dies, quod tran-*
" *ſigitur Precibus & Eleemoſynis pro Mortuis. Tertium vocatur*
" Geſhim Kadîm, *in quo ſe invicem mutuis Conviviis tractant.*
" *Quartum vocatur* Meſegom, *in Honorum XXV Angelorum qui*
" *Throno Dei propinquiores ſunt, & in ejus Miniſterio & Mandatis*
" *occupantur; qui tamen Divinam Præſentiam non aſpiciunt. Alia*
" *etiam dari Feſta: & Menſis etiam Diem XII atque XXI inſuper,*
" *per eorum Legem, Sacros haberi: quod tamen non eſt in hodiernâ*
" *eorum Praxi; fortè propter Paupertatem, cùm à quotidianis Ope-*
" *ribus tamdiu abeſſe non liceat. Jejunia ſunt per V dies in Anno,*

" *in*

" *in quorum tribus, nihil omninò comedunt; & in duobus, ſemel*
" *tantùm ſub Nocte: ajunt autem Laïcos non teneri ad hoc, quod*
" *ergò Sacerdotibus obſervandum relinquitur. Inter notabiliores Mo-*
" *narchiæ ſuæ Periodos, obſervant Victoriam Alexandri Magni;*
" *quem tamen nolunt in ſuorum Heroum Numerum inſerere, ne, hoc modo,*
" *horum Magnanimitatem minuere videantur: ajunt autem eum à Dia-*
" *bolo genitum fuiſſe, ſequente Modo*; viz. *Pater Matris Alexandri*
" *fuit Princeps tributarius τῷ Darâb, ſeu Dario, qui, multis auditis*
" *de ejus Filiæ Pulchritudine, eam in Uxorem expetivit ab eo, qui libens*
" *eam miſſurus erat. Interim verò Diabolus, ejuſdem Virginis Amorem*
" *expetens, ſe ipſum transformavit in nigrum Turbinem, quo involvebat*
" *Virginem, quæ exinde evaſit nigerrima, & tumefacto Ventre defor-*
" *mata: hocque horribili Statu adducta fuit coram Darâb, qui tali*
" *Spectro terrefactus, eam remiſit ad ſuum Patrem, cui peperit Mon-*
" *ſtrum quoddam Infernale, Aſpectu terribile, præſertim cum Auribus*
" *aſininis; ſub quâ Formâ totam Aſiam vaſtavit, cum Potentiâ irreſiſti-*
" *bili, quia plus quàm humanâ. Poſt Alexandri Mortem, aliquis ex ejus*
" *Ducibus, cui nomen* Ardeoun, *qui Gavrorum Regioni præfuit, exac-*
" *tus fuit per* Shâh Ardeſhîr, *qui reſtituit Monarchiam & Religionem,*
" *quæ duravit uſque ad Tempora τοῦ* Omar, *Succeſſoris Mohammedis, qui*
" *iſtam Regionem ſubegit.*" [Ardeoun eſt اردوان *Ardavân*, ſcil. *Artabân.*]

Horum ſaniores potiús credunt, talium Beſtiarum Formâ, dari Diabolos, qui hominibus Pœnas infernales irrogabunt. Atque Canicula, tam in alicujus Pœnitentiâ, quàm in Obitu, non eſt ad tradendum Angelo Animam, ſed ad, tam Pœnitentis, quàm Defuncti, Peccata aſportanda, ut apud *Judæos* erat *Hircus emiſſarius*. Cum multis aliis quæ Animadverſione indigent. Quod autem Canis tam venerabilis habeatur, videtur primò fundatum in Opinione *Sagacitatis* ex *Odoratu*, quo ſtultè imaginantur eum Animæ Puritatem, vel Impuritatem, diſcernere poſſe; unde etiam hujus Animalis Puritatem colligunt & concludunt. Et gradatim tranſeundo ab uno Errore ad alium, factum eſt, ut credant Animas *impuras* (quibus Peccata maxima) à Canibus recuſari; atqui *puriores* ab eis exceptum iri; quarum Peccata leviora, aſportare Canes, & tales Animas in Angelorum Manus tradere præſumuntur. Sed *Indo-Perſæ* non ſunt in omnibus Rebus Orthodoxi (ut ſupra notavimus) & aliqui eorum, Tractu Temporis, Rituum ſuorum Originis obliti, hodie tales Ritus diverſimodè exponunt, ut etiam ab *Ægyptiis*, & *Græcis*, & *aliis Gentibus*, factum eſt.

Quòd

Quòd *Canis* (ut *Hircus*) aſportaret Peccata, tale ſit Symbolicum, ut videatur dignum quod fortè inſtitutum fuerit à *Zoroaſtre*, cui nota erant *Veteris Teſtamenti* Biblia. At quòd Canis Animarum Statum ſuboleret, & haberet Commercium cum Angelis, eoſque conſuleret, eſt Dictu & Cogitatu abſurdum; contra reliqua *Perſarum* Principia; & quod hujus Religionis Inſtitutori fortè nunquam in Mentem venerit, ſed potiùs ex *Poſterorum Ignorantia* & *Superſtitione* ortum. At fortaſſis ex *Aſtrologica Vanitate* proceſſerit, quòd *Sertân*, & *Aſad*, & reliqua *Signa Cæleſtia*, ut hujus Mundi Rectores habeantur, ut ex *Lordio* notatum.[1]

Quoad ſuperiora Nomina, *Tavernieri Senoiet-hotius*, eſt mera Corruptela pro altero, apud *Pere Chinon*, *Seaoushons*, quod Perſicè reſcribendum سیاوشان *Siâoushân*, i.e. *Fratres*, ſc. *Fratrum* Tertius, eodem modo concipiendus.

Eſtemegoon, vulgari ſono, *Perſicè* videtur eſſe ستمگان *Stemaghân*, ſeu استمگان *Iſtemaghân*, i.e. *Vim paſſi:* ſc. compulſi & Vi concluſi in Loco, q. d. *incarcerati*. Eo itaque Nomine videtur intelligi *Vim paſſorum* Locus: nam Voces *Perſicæ* incipientes à Vocali *Keſre*, pro ſcribentium Libitu, admittunt Proſtheſin Literæ *Eliph*, ut شکم *Shikèm*, vel اشکم *Iſhkèm*, cum multis aliis.

Apud *Pere Chinon*, *Dodon* Erratum eſt pro دوغدو *Dodou*.

Coutſhac eſt *Perſicè* کوچک *Coutchàc*, i.e. *Parvus*, ſc. *Minor* Frater, in eorum Religione.

Chamſi ſeu *Solares*, Arabicè ſunt شمسي *Shémſi*, vel *Shámſi*. Et خمسة قديم *Cámſe Kadîm* Arabicè eſt *Pentas antiqua*. Et *Geſhim Kadîm* Perſicè eſt pro جشن قديم *Gjeſhn Kadîm*, i.e. *Feſtum antiquum*.

Et *Meſegom* fortè ſit Perſicè pro میزدگان *Mîſedeghân*, i.e. *Epulæ:* cùm *â* vulgò ſonet ut *oo*. Nam minùs accuratis Auribus talia accipere ſolent Viatores *Europæi*, rarò in hiſce Linguis ſatis verſati, vel plerumque colloquentes per Interpretes, qui aliàs ſunt Homines ignari, cum vulgo loquentes & pronunciantes, & colloquentium Mentem haud ſemper ſat accuratè aſſequentes.

1 Vid. poſteà pag. 576.

XV.

Pag. 425. Magna *Mediæ* Urbs τὰ ΕΚΒΑΤΑΝΑ, ſeu ΑΓΒΑΤΑΝΑ (apud *Æſchylum* in *Perſis*, *Agabatarum*,) ſynonymam habet in *Syriâ* Urbeculam, *Arabicè* dictam بتاذه *Battâna*; *Stephano* αἱ Βατανέαι; *Judithæ* I. 9, Βετάνη; cujus Civis eſt البتاني *Al Battâni*; unde Celebris Aſtronomus *Al Bategnius*. Et hinc conſtat quòd ΕΚΒΑΤΑΝΑ, ſeu ΑΓΒΑΤΑΝΑ, ſit corruptela pro ΕΛΒΑΤΑΝΑ, ſeu ΑΛΒΑΤΑΝΑ.

At prorſus diverſum quid eſt ejuſdem Nominis Urbs in *Mediâ*, in cujus Linguæ genuinis Vocibus, dictus Articulus *Al* nunquam uſurpatur. Vernaculè igitur الاباذان *Aabâdân*, ſeu آباذان *âbadân*, (ſive ut ſonari poſſit, *Aabatân*, ſeu *âbatân*,) eſt *Locus valdè habitatus*, *Incolarum Frequentiâ gaudens*, q. d. *Habitatio frequentata & ſelecta*. Et cùm *Ptolemæus* ponat ΑΚΒΑΤΑΝΑ in *Tropatenâ*, ſeu *Atropatiâ*, præcipua ibi Urbs eſt تبريز *Tabrîz*, ſeu *Tavrîz* (vulgò *Tauris*,) quæ, propter editiorem & frigidiorem Situm, haud immeritò, pro Regum *Æſtivario* electa fuerit & hodie eligitur, &, valdè probabiliter, pro Veterum *Ecbatanis* habita eſt. Adeò ut ΑΚΒΑΤΑΝ, cum Κ epenthetico plenioris Soni Cauſâ, ſit pro ΑΑΒΑΤΑΝ, ſeu ΑΒΑΤΑΝ. Et poſtquam à *Zoroaſtre* ibi primò ordinata eſſet Cuſtodia τῦ *Adur* ſeu *Ignis*, illa ipſa Urbs *Tabrîz*, tam olim, quàm hodiè, dicta eſt آذر آباذگان *Adur Abâdaghân*. In iſtis *Ecbatanis*, *Daniel* Propheta olim Βᾶριν ſeu *Turrim* ædificâſſe dicitur. *Græci* autem videntur cum *Ecbatanis*, ſibi notis, in *Syriâ*, conformâſſe Nomen *Ecbatana* in *Mediâ*, quamvis ægrè ad eundem Sonum adduceretur.

XVI.

Ex D. Henrico Lordio Notata, & in eum Animadverſa.

Lordius, in Epiſtola Dedicatoria, narrat, " *Perſarum Superſtitionem* " *(ut apparet ex Socratis Eccleſ. Hiſt. Lib. 7, cap. 8,) à Marûtha* " *Meſopo-*

"*Meſopotamiæ Epiſcopo multùm debilitatam fuiſſe in Opinione Jezde-*
"*gerdi, Perſicorum Regum ultimi, qui vacillante Fide*, &c." Fallitur autem *Lordius* in *Yezdegerdi* Perſonâ: fuerunt enim ejuſdem Nominis Reges Tres, & is, cum quo, *Marûtha (Epiſcopus Miyaphârekein* in Conſiniis *Meſopotamiæ)* de *Chriſtianitate* tractavit, erat eorum *Penultimus*, viz. *Yezdegerd Filius Sapor*; non autem *Ultimus*, qui *Yezdegerd Filius Shahriyâr*. Iſte verò *Marûtha* miſſus fuit Legatus in Perſiam à *Theodoſio Juniore* Imperatore, de quo videas *Abulpharagium*.

Lordius p. 8, quaſi tot Cuſtodes huic Mundo Præfectos, (*quinam* ſint nominando, ſed *quales* ſint tacendo,) enumerat *Signa Cæleſtia*, eaque Ordine inverſo: nam pro I, حمل *Hamal*, i. e. *Aries*; II, ثور *Sor*, ſeu *Saur*, i. e. *Taurus*; III, جوزا *Jozâ*, ſeu *Gjauzâ*, i. e. *Gemini*; IV, سرطان *Sertân*, i. e. *Cancer*; V, اسد *Aſad*, i. e. *Leo*; VI, سنبله *Súmbola*, i. e. *Spica*, ſeu *Virgo*; VII, ميزان *Mizân*, i. e. *Libra*; VIII, عقرب *Acrab*, i. e. *Scorpio*; IX, قوس *Caus*, i. e. *Arcus*, ſeu *Sagittarius*; X, جدي *Jedy*, i. e. *Capricornus*; XI, دلو *Daloo*, i. e. *Situla*, ſeu *Aquarius*; XII, حوت *Hoot*, i. e. *Piſcis*: pro his, inquam, (unum omittendo) ille ponit *Hamul* Præfectum Cœlis, & *Acrob* Angelis, *Joder* Soli & Lunæ & Stellis, *Soreh* Terræ, *Joſah* Aquis, *Súmbolah* Beſtiis, *Daloo* Piſcibus, *Rocan* Arboribus, *Cooz* Viris & Fœminis, *Sertan & Aſud* Diabolo & Malis Spiritibus, ne Creaturas lædant.

Pag. 11, 12, &c. ad 23, ea quæ de *Zertooſto* narrat, ab aliis paulò aliter narrantur: ſed cùm ſint fabuloſa, parum refert. Quod autem dicit *Canem eſſe Perſis exoſum*, eſt *planè falſum*; cùm *Canem* multùm æſtiment: at cujuſvis Animalis *Cadaver* & *Oſſa Mortua* Odio habent, ut res immundas.

Pag. 27. Triplex Scriptorum *Zoroaſtris* Diviſio fere convenit cum eis quæ tradit *Tavernier*. Ea itaque conferantur.

Pag. 41, 42. Incautè loquitur, quaſi totiùs Anni Feſta eſſent tantùm VI: ſed hoc intelligendum eſt de VI Feſtis Creationis. Poſt hæc ſingula Feſta ponit totidem *Jejunia*, ut vocat: ſed jejunando intelligendum eſt *parum edere*, ſc. *ſemel* tantùm in Die, & non *pluries*. Aliàs enim, *pura & ſtricta* Jejunia *non habent*. Ciborum ſuorum Partem, ut Oblationem pro Sacerdotibus, portant ad Templum dictum *Eggaree*; quod fortè ſit vel الجامع *Eggjâmi*, vel *Luſitanicum Igreſia*.

Pag. 44. Inter alios accendendi Modos, tradit Ignem ſacrum accendi poſſe ex *ordinario Igne* Culinario, vel ex Igne quo Indi Cadavera comburunt: ſed hæc ſunt *planè falſa*.

Pag. 47. Quando aliquis Puer poſt Baptiſmum confirmatur, & Tunicâ & Cingulo è Pilis camelinis donatus, in Religionem admittitur, Sacerdos orat, "*Ut omnibus diebus Vitæ ſuæ Deus efficiat eum ve-*
"*rum Aſſeclam Religionis Perſicæ, cujus Signum eſt talis Tunica, & Cin-*
"*gulum: & ut nunquam aliam aliquam Legem ſequatur præter illam Zer-*
"*tooſti: & ut Ignem ſacrum honorare perſeveret: utque de nullius Cibo*
"*edat, nec ex ullius Poculo bibat, ſed ſemper de ſuo proprio: & ut ſemper*
"*Perſarum Ritus & Cæremonias obſervare pergat.*" Et ibidem de eorum Nuptiis agens, eas quinquefariàm dividit in V genera: quorum Primum eſt *Shauſan*; quod eſt inter alicujus Filium & alterius Filiam Tempore Pueritiæ (illis inſciis) contractum, ſolo Conſenſu Parentum: hocce Nuptiarum genus multùm æſtimatur & Cœlum mereri putatur, quia tam maturè providetur. II. Secundum genus vocatur *Chockerſon*; quod eſt Perſonæ viduatæ, ſcil. ſecundæ Nuptiæ. III. Tertium genus eſt *Codeſherâhaſan*; quando Fœmina exquirit ſibi Maritum. IV. Quartum eſt *Eckſan*; ſcil. quòd, quando aliqua Perſona moritur innupta, procuratur aliqua alia Perſona, quæ defunctæ Perſonæ Matrimonio jungatur; cùm reputent Matrimonii ſtatum eſſe tam beatum ut æternam Felicitatem tandem mereatur. Iſte nubendi Mos præcipuè obtinet apud ditiores, qui pretio tales Nuptias procurare ſolent. V. Quintum vocatur *Ceterſon*; quando Pater aliquis, Filiis deſtitutus, Filiæ ſuæ Filios pro ſuis adoptat ut in Nuptiis dentur: eum enim reputant *Infelicem* qui deſtituitur Liberis in Matrimonium collocandis.

Quoad Nuptiarum Cæremonias, Vir & Fœmina, circa mediam Noctem convenientes in Domo, (Nuptiæ enim non celebrantur in Eccleſiis,) collocantur ſuper Lecto, aſtantibus duobus Sacerdotibus, quorum unus eſt ex Parte Viri, alter ex Parte Fœminæ, qui (unà cum utriuſque Conſanguineis, à Sacerdote aſſignandis,) in Signum Fertilitatis, Manibus tenent *Oryzam*, in Nupturientes ſpargendam, eis apprecando Fœcunditatem in Generatione ſuâ. Deinde ille Sacerdos qui eſt ex Parte Viri, imponendo Digitum in Frontem Fœminæ, ab eâ quærit, *An habebit iſtum Virum in Maritum ſuum?* Et illâ aſſentiente, alter Sacerdos qui ex Parte Fœminæ (imponendo Digitum ſuper Frontem Viri,) *eandem Quæſtionem* ei movet. Hoc Modo, habito utriuſque Conſenſu, jungendo Manus, mutuò ſibi invicem promittunt; ſc. Vir, ut eam ſibi obliget, promittit ſe daturum tot Aureos

reos *Dinâros* (valoris *Seſquilibræ Anglicanæ*;) quo quidem Promiſſo ille inſuper obligatur omnia ei neceſſaria, durante Vitâ, adminiſtrare & ſuppeditare. Et Fœmina, ex ſuâ Parte, promittit omnia ſua Bona illius eſſe. His utrinque factis, dicti duo Sacerdotes ſpargunt ſuper Nuptos dictam *Oryzam*, precando ut Deus eos multis Liberis fœcundos reddat; ut ſint ſicut Semen in Spicis Tempore Meſſis, & ut cum Unanimitate in Matrimonii Statu diu vivant. Hoc Modo peractis Cæremoniis, Fœminæ Parentes Dotem ſolvunt: Viri enim non dant. Et poſteà Feſtum Nuptiale per Octiduum celebratur.

Quoad Sepulturas, eorum Sepulchretum conſtituunt duo Ædificia rotunda & ſatis capacia, à ſe invicem aliquantùm diſtantia, quorum Tectum declive eſt verſus Centrum, in quo eſt Foramen ad excipiendum Cadaverum Saniem, dum juxta ejuſdem Tecti Latera jacent Cadavera, Aëri & Volucribus expoſita. Horum Ædificiorum alterum *album* eſt, pro iis quorum Vita & Converſatio fuit laudabilis: alterum verò *nigrum*, pro iis qui aliquo Vitio fuerunt infames, de quorum itaque Salute dubitatur. Quoad Sepulturæ Cæremonias, quando aliquis eſt moribundus, accerſunt Sacerdotem, qui in ejus Aurem hoc modo orat; "*O Domine, præcepiſti ut non offenderemus, ſed iſte homo offen-*
"*dit: ut faceremus Bonum, ſed iſte homo fecit Malum: ut te adore-*
"*mus, ſed iſte homo neglexit te adorare. O Domine, ei condonato omnia*
"*ejus Peccata, omnia ejus Malefacta, omnes ejus Neglectus.*" Eo autem defuncto, Sacerdos non ei appropinquat, ſed ad X Pedum diſtantiam dictat quinam debent eſſe Veſpillones, qui eum exportent ſuper *Feretro ferreo*; cùm Lignum non ſit Morticinio polluendum, quia eſt Pabulum Ignis quem reputant ſacrum. Et Funus comitantibus interdicitur Sermonis uſus, quia Sepulchrum eſt Quietis & Silentii Locus. Et Veſpillones, ad Conditorium venientes, Cadaver ibi deponunt; dum Sacerdos, ad commodam Diſtantiam ſtando, Sepulturæ Officium hoc modo recitat; "*Iſte Frater noſter, dum in vivis, conſtabat ex IV Ele-*
"*mentis: & cùm jam mortuus ſit, quodvis Elementum ſuam Partem*
"*capiat; terrea Pars abeat in Terram, aërea Pars in Aërem, aquea*
"*Pars in Aquam, & ignea Pars in Ignem. His factis, ſupplicant ad*
"*Sertân & Aſud (qui Diabolo & Malis Spiritibus præficiuntur,) ut*
"*iſtum Fratrem ab eorum Læſione tutum conſervare velint, dum, Luſtra-*
"*tionis cauſâ, ad ſacrum Ignem ſe recepturus ſit.*" Supponunt enim Animam poſt deceſſum, circa Corpus ſuper Terram volitare per Triduum; quo toto Tridui Spatio Diabolus ei Moleſtiam inferre ſatagit; quam itaque ut evitare poſſit, ad ſacrum Ignem fugiens, Aſylum ibi

quærit: hoc autem Triduo abſoluto, finalem Gaudii aut Supplicii Sententiam recipit. Et propter hanc ſuam Opinionem, durante iſto Triduo, omnes Amici (quantum eis vacaverit,) frequentant Conditorii Locum, *Mane*, *Meridie*, & *Veſperi*, fundendo Preces, ut Deus defuncti miſereri & omnia malè actæ Vitæ Peccata ei condonare velit. Iſto autem Triduo elapſo, & definitivâ Sententiâ [in meliorem, ut ſperant, Partem] datâ, *Die quarto* Convivium celebrantes, Luctum ſuum concludunt. Ex hacce *Lordii* Relatione videtur, quòd ſuperior Formula, quâ cuique Elemento ſuam Partem tribuunt, haud multùm abludat à noſtrâ, *Terra ad Terram, Cinis ad Cinerem, & Pulvis ad Pulverem abeat.*

Anno ab *Inthronizatione Yezdegerd* 1043, *Chriſti* 1633, *Veterum Perſarum* quidam in *Indiâ Sacerdos*, dictus *Hurmuz-yâr*, Cognomento *Sungjâna*, in Libri *Sad-der* à ſe deſcripti Calce, peracto Opere, hoc ſequens adjecit *Epiphonema ſuum*, quod & Ego etiam nunc *meum* eſſe volo;

نوشته بماند سیاه بر سفید *Nigrum ſuper Albo ſcriptum manebit:*
نویسنده را نیست فردا امید *Scriptori verò cras nulla Spes erit.*
نوشته من ندانم تا که خواند *Scriptum ego neſcio quis ſit lecturus:*
اگر میرم به بیشک این بماند *At etiamſi moriar, Hoc indubitanter manebit.*



DATE DUE

FACULTY

GAYLORD

PRINTED IN U.S.A.

BL2270 .H99
Veterum Persarum et Parthorum et Medorum
Princeton Theological Seminary-Speer Library
1 1012 00034 1166